ACTA ET DOCUMENTA CONCILIO OECUMENICO VATICANO II APPARANDO

SERIES I
(ANTEPRAEPARATORIA)

VOLUMEN IV

STUDIA ET VOTA UNIVERSITATUM ET FACULTATUM ECCLESIASTICARUM ET CATHOLICARUM

PARS I

UNIVERSITATES ET FACULTATES IN URBE

2

(SUB SECRETO)

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXI

PONTIFICIUM ATHENAEUM
ANGELICUM

PONTIFICIUM ATHENAEUM ANGELICUM

Romae, 7 martii A. D. 1960

Eminentissime Princeps,

Cum Eminentia Tua per epistulas, die 18 iulii A. D. 1959 missas, Athenaei nostri « Angelicum » nuncupati sententias et vota in his quae ad res in futura Oecumenica Synodo tractandas pertinent, benigne petieri (Prot. N. 2 C/59-4), Magisterii S. Theologiae necnon illius Iuris Canonici sententias et vota Eminentiae Tuae mandare, honoris et gaudii pariter hodie mihi est.

In devoto Sacrae Purpurae osculo, enixe rogor Eminentiam Tuam, ut nostri obsequii testimonium libenter accipias.

Scribebam Romae, die 7 martii, in festo S. Thomae Aquinatis.

Fr. L. B. Gillon, O. P.
Rector

FACULTAS THEOLOGICA

1. DE RELATIVISMO

Inter principia errorum nostri temporis praecipue notatur quidam relativismus. Etenim magnae mutationes factae sunt diebus nostris, inventiones scientificae mirabiles mutaverunt vitam quotidianam, populi qui sub influxu civilisationis occidentalis vixerunt, ad proprios « valores » ut aiunt sese convertunt, ex altera parte in animi cultu praevalet indoles historica. Propter istas rationes, multi etiam catholici non sine difficultate admittunt posse existere conceptus, institutiones, quae supra tempus existentes valeant pro omnibus locis et temporibus. Huic ut periculo provideatur, opportunum videtur iudicio Concilii submittere praesertim istas propositiones de expressione dogmatum quae videntur totam catholicam doctrinam subvertere.

De dogmatibus. Conceptus analogici quibus dogmata exprimuntur non possunt esse immutabiles, sed mutari debent secundum diversas philosophias et opinationes quae saeculorum decursu oriuntur.

Ita diebus nostris, conceptus philosophiae graecae a scholasticis adhibiti quibus Concilia praeterita usa sunt, non amplius intelligi possunt ab aetatis nostrae hominibus, ideoque magisterium Ecclesiae uti debet conceptibus philosophiae hodiernae, et etiam scientiarum. Theologis incumbit praecipue dogmata liberare a loquendi ratione iamdiu in Ecclesia recepta et philosophicis notionibus vigentibus penes doctores catholicos, et novas expressiones temporibus nostris et unicuique mentis efformationi in diversis nationibus excultae accomodatas proponere.

Ut etiam unioni christianorum faveatur theologia aliqua oecumenica, non confessionalis, proponatur quae modum loquendi scripturae sacrae retineat.

De sacerdotio. Ea omnia quae de sacerdotio a theologis docentur sese referunt ad « Sacerdotium Christianitatis » in qua eius essentia refertur ad cultum divinum, ministrationemque sacramentorum praedicationemque Verbi sacri. Quae non possunt applicari sacerdotibus in nationibus non amplius christianis existentibus quibus munus reducitur ad testimonium et praesentiam per vitam omnino similem cum his inter quos vivunt.

De civilisatione christiana. A multis etiam existentia alicuius civilisationis christianae negatur. Alii valde confuse loquuntur de necessitate ut « Christianismus sese liberet ab omnibus quae accepit ab Occidente ut possit " incarnari " in aliis partibus terrae ».

Radix huius confusionis est quod saepe saepius vox « civilisatio » sumitur in plurali, sensu sociologorum, ad designandum complexum phaenomenorum sive religiosorum, sive moralium, sive scientificorum, sive technicorum, sive artisticorum quibus tempore determinato distinguitur vita aliquarum societatum.

Sed adest sensus philosophicus quo vita civili dicitur ea quae in societate ducitur secundum exigentias rationis. Si insuper exigentiis fidei respondet, erit christiana civilisatio. Elementa immutabilia et universalia istius civilisationis quibus frequenter loquuntur Pontifices Leo XIII, (*Immortale Dei,* etc.) Pius XI (*Divini Redemptoris* etc.) Pio XII (*Summi Pontificatus, Evangelii praecones, allocutiones* 1 sept. 1944, 7 sept. 1955, 9 martii 1956 etc.) sunt definienda ut vitentur istae confusiones cuius consequentiae practicae saepe deplorantur in relationibus catholicorum cum communistis vel in collaboratione cum acatholicis. Sic facile apparebit quomodo haec elementa possunt in diversis « civilisationibus » sensu sociologico « incarnari ».

2. EVOLUTIONISMUS COSMICUS

Evolutionismus cosmicus (Teilhard de Chardin) quo datur interpretatio christianismi nova quo scandalizantur etiam aliqui protestantes.

Materia non differt essentialiter a spiritu. Quin potius substratum universi est indivisio spiritus et materiae atque universum non continet nisi materiam quae fit spiritus. Sic consociatur materialismus cum spiritualismo.

Universum, quod est radicaliter unum, dupliciter considerari potest; nempe prout complectitur unitatem supremam suique semper consciam, quae est Deus, ac insuper prout per vitae evolutionem diversos conscientiae status acquirit, ut denique reflexam sui conscientiam in homine consequatur. Unde pantheismus cum Dei personalis religione amice consociari potest.

Alii multi errores continentur in hos systemate de quibus esset inquirendum, ut perversio totalis totius doctrinae christianae vitari possit.

Peccatum originale

Existentia. Peccatum originale non est dogma fidei (propter incertam approbationem Concilii Carthaginensis a Papa Zosimo a quo posteriora concilia pendent), sed modum secundum quem, in conceptione « Fixista universi » (per oppositionem ad conceptionem evolutivam) explicatur mythice origo mali in universo.

NATURA. *Peccatum originans* non fuit peccatum alicuius personae singularis, sed collectivum. Potest concipi ut dominatus initialis passionum sensitivarum quae ex origine belluina procedit.

Peccatum originatum. Peccatum originale in nobis non est nisi conscientia « solidarietatis » generis humani in malo: « La necessité théologique du baptême s'explique par la solidarité génétique de tous les hommes au sein d'une même humanité (imprégnée par le péché par nécessité statique) où les liens collectifs se découvrent encore plus réels et plus profonds entre tous les individus que toute liaison de type directement et linéairement héréditaire » (Teilhard de Chardin, cité par Cognet, p. 122).

SUPERNATURALE

Deus creare non potest creaturas intellectuales, quin easdem ad visionem beatificam ordinet et vocet. Thesis opposita non est nisi interpretatio gratuitatis ordinis supernaturalis ope philosophiae deficientis.

DE IMMORTALITATE ANIMAE. Conceptus immortalitatis animae non provenit ex revelatione iudaica-christiana, sed ex eius interpretatione secundum data philosophiae graecae. Ideoque, cum revelatione christiana, admitti potest animam simul cum corpore destrui, sed tempore resurrectionis simul cum ipso vitam recuperare (cf. G. Cullman).

Alii mitius loquuntur de non insistendo in hac immortalitate, sed in resurrectione, non in salute personali, sed in glorificatione totius corporis Christi mystici, in Parousia. De purgatorio, de aeternitate poenarum inferni, multi, etiam sacerdotes, dubitationes movent. Doctrina de existentia limborum pro pueris sine baptismate decedentibus in multis ephemeridibus in dubio ponitur.

DE REDEMPTIONE CHRISTI. Christus assumpsit hominem universalem et est homo universalis ideoque ab ipso salvatur totum genus humanum ita ut illi qui ab actu personali sese excludunt ab humanitate redempta sint fructibus suae redemptionis privati. (Ita *Eléments de doctrine spirituelle,* Fiche 87, p. 1).

Multa alia possent proponi de interpretatione symbolica praesentiae Eucharisticae etc.

3. DE RELATIONIBUS INTER ECCLESIAM ET STATUM

Multi auctores his ultimis annis recesserunt a doctrina in documentis Magisterii ecclesiasticis contenta, et a probatis auctoribus edicta quae sese refert ad officia religiosa status catholici. Eis videtur non ex fine essentiali utriusque societatis profluens, sed nihil aliud nisi synthesis theo-

retica relationum olim existentium inter Ecclesiam et potestatem monarchicam « vigente sacra christianitate ». Opportuna videtur affirmatio solemnis istius doctrinae dummodo cum ea proponatur doctrina de legitima tolerantia cuius elementa inveniuntur in litteris Encyclicis Leonis Papae XIII et in allocutionibus Pii Papae XII.

De laicismo

Plena separatio inter ordinem sacrum et ordinem profanum est fructus plenioris intelligentiae distinctionis evangelicae inter « spirituale » et « temporale » a qua diebus nostris oportet deducere omnes consequentias quoad laicitatem Status, Scholae, operum ad res profanas promovendas ut sunt opificum sodalicia, litteratorum doctorumque circuli, rerum publicarum et socialium consociationes.

Ius conscientiae erroneae

Principio obiectivo, iuxta quod « iura soli veritati competunt, minime vero errori », substituendum est principium subiectivum « iuris subiectum non est res quaedam abstracta ut veritas, sed persona humana sive individualiter, sive collective sumpta, cui agnoscendum est ubique et semper ius agendi secundum suam conscientiam, etiam erroneam ».

DE RELATIVISMO HODIERNO

(P. Garrigou-Lagrange)

Relativismus hodiernus, de quo pluries loquitur Encyclica *Humani Generis* Pii XII, est neomodernismus. Etenim, aeque ac modernismus negat valorem ontologicum et transcendentem primarum notionum et primorum principiorum, v. g. principii causalitatis. Dictum causalitatis principium non haberet amplius nisi valorem phoenomenalem et in hanc vel similem formam redigi deberet: « omne phoenomenon exigit phoenomenon antecedens ».

Realismus vero traditionalis huic principio hanc dat formulam: Omne quod pervenit ad esse exigit causam et, in ultima analysi, Causam Primam, quae sola est Ipsum *esse subsistens*.

Si relativismus verus esset, principium causalitatis esset sicut mantica (porte manteau) in auro depicta, quae certe nihil portare potest. Ex hoc sequitur quod existentia Dei demonstrari non posset, neque origo divina christianismi; praeambula fidei probari non possent, qui errores scilicet damnati sunt in Concilio Vaticano et in Encyclica *Pascendi* Pii X.

Contra hunc relativismum, ad phoenomenismum et scepticismum perducentem, futurum Concilium oecumenicum deberet defendere traditionalem definitionem veritatis quae est: « adaequatio rei et intellectus » seu conformitas nostri iudicii cum re extramentali. Sublata definitione traditionali, veritas nihil aliud est quam conformitas cum phoenomenis quae sunt in perpetua evolutione. Veritas esset solum conformitas nostri iudicii cum legibus phoenomenorum, quae sunt in perpetuo fluxu, ut iam dicebat Heraclitus.

Nulla esset veritas immutabilis, sed omnis veritas esset tantum tempus. Hoc autem est contra affirmationem Christi Domini: « Coelum et terra transibunt: verba autem mea non praeteribunt (*Matt.* XXIV, 25).

Relativismus hodiernus autem redit ad hanc negationem veritatis immutabilis. Cf. *Enchiridion Denzinger* 2058: « Veritas non est immutabilis plus quam ipse homo, quippe quae cum ipso, in ipso et per ipsum evolvitur ».

DE IURAMENTO ANTIMODERNISTICO

Observantia qua par est petitur, ut — *ablato iuramento antimodernistico* — *errores ibi nominati in alia forma concinne exprimantur* (e. g. in professione fidei ultimis temporibus adaptata).

DE DOCTRINA SOCIALI « PROGRESSISTICA »

1. Ut condemnetur sententia « progressistarum », quod scilicet fideles non tenentur sequi doctrinam Ecclesiae nisi in quaestionibus dogmaticis et ethicam personalem spectantibus; in quaestionibus vero socialibus licet ipsis sive in theoria sive in praxi sequi doctrinam marxismi vel liberalismi atheistici.

Probatur necessitas huius condemnationis: haec sententia valde divulgata est in pluribus nationibus catholicis; immo proponitur a nonnullis sacerdotibus ad seducendum populum catholicum sub pretextu quod etiam formalis collaboratio ad introducendam socialisticam structuram cum religione catholica componi potest.

2. Ut severissime condemnentur odia et persecutiones adversus quamcumque gentem vel nationem.

DE MAGISTERIO ECCLESIAE

Aliquos theologos, non semper recte sentire de Magisterio Ecclesiae, ex recentioribus documentis Summorum Pontificum — praesertim Pii Papae XII — abunde constat. Item notissimum est, inter fratres dissidentes ab Ecclesia catholica, aliquos inveniri qui, pro reditu eorum ad ovile Domini unum, tanquam offendiculum autumant factum et doctrinam quod soli Romanae Ecclesiae, i. e. Sedi apostolicae, divinitus datum est Magisterium universale, exclusivum et normativum tanquam munus primarium et principale quod Dominus Iesus Ecclesiae suae indidit, quique tamen profitentur se fidem ac revelationem divinam amplecti.

Ostendi autem potest esse de ratione Magisterii Ecclesiae quod sit, munus ac praerogativa, ex institutione divina, soli Ecclesiae, una cum fontibus revelationis concreditum, et in ipso primatu Petri comprehensum, ad docendum, in rebus fidei et morum, veritates a Deo revelatas — aliasque ei intime vel necessario connexas — per assistentiam Spiritus Sancti, qua Ecclesia, utpote vicaria Christi, particeps est Magisterii Dei, ideoque falli nescia per charisma supernaturale infallibilitatis.

Licet autem Ecclesia numquam notionem praecisam, seu « definitionem » ut aiunt, de Revelatione vel de Magisterio dedit, tamen ostendi potest ambo ita ad invicem connecti, quod omnes qui fidem profitentur et Revelationem agnoscunt, ipso facto et ex natura rei, ipsum Magisterium prout ab Ecclesia docetur, iam amplecti debent, utpote quia Revelatio et Magisterium Ecclesiae, et institutione et voluntate ipsius Christi, ad invicem co-intelliguntur.

FACULTAS IURIS CANONICI

PROPOSITIONES

I – *Detur Ecclesiae Latinae Codex, nedum exclusivus, verum quoque hodiernis necessitatibus adaptatus.*

1. *Exclusivus.* Imprimis quia, inde ab eiusdem promulgatione, 1918 (cf. NOVAL I., *Codificationis Iuris Canonici Recensio Historico-apologetica,* Romae, Desclée et socii, 1918) non minus quam quadraginta et duo anni transierunt, quorum decursu ipsa disciplina, eodem contenta, sat immutationes, et quidem salutares, passa fuit, uti patet ex fere innumeris responsionibus non tantum C. P. ad Canones authentice interpretandos, verum quoque Romanorum Dicasteriorum.

Indignum est, praeterquam quod contra praescriptum in Apostolica Constitutione promulgatoria *Providentissima Mater Ecclesia* et potissimum contra Motu Proprio *cum Iuris Canonici Codicem,* n. III, perdurantibus quadraginta istis annis, nec quidem una editio Codicis nostri facta fuisset, qua recolligerentur huiusmodi immutationes. Pervagantur per diversas collectiones, omnino privatas (*Coronata, Bruno, Buscharen, Regatillo, Sartori*) vel apud *A.A.S.,* quae plura volumina complectuntur.

Secundo, quia codificationum peculiaris nota est ut sint exclusivae, praeterquam authenticae. Idque ut illa vel confusio vel ignorantia evitetur quae necessario habetur quando ius per diversas fontes pervagatur. Valet in casu principium, experientia plane comprobatum: legislatio divisa, legislatio ignorata.

2. *Hodiernis necessitatibus adaptatus.* Id, imprimis, iam promisit Urbi et Orbi Ss.mus D.nus Noster (Quem Deus diu sospiter) Ioannes XXIII, quando in Archibasilica Sancti Pauli Extramuros, tria illa nova communicavit: Synodum Romanam, futurum hocce Concilium Oecumenicum atque adaptationem Codicis hodiernis necessitatibus.

Id, secundo, patet ex generali principio novarum codificationum. Uti namque recte contendebat cl.mus Pillet (cf. *Revue des sciences ecclésiastiques,* 1897), verba desumens ex cl.mo Cantu: « chaque société répose sur la combinaison des faits *moraux, politiques* et *économiques;* or, chaque fois qu'un de ces éléments vient à être altéré profondément, *force est de reformer le droit* ».

Haec porro fundamentalia elementa, quae caeteroquin non sunt unica,

profunde immutata fuisse, praesertim post duo immania bella, quae universum orbem afflixerunt, nemo est qui non videat.

Quapropter, huiusmodi aliisque sat multis immutationibus perpensis, merito aliquem Codicem postulare humiliter audemus, qui hunc novum ordinem iuridicis principiis tueatur.

Singulas applicationes huius generalis principii opportuno loco trademus (S. Alvarez).

II – *Ad praeliminares canones quod attinet, animadvertimus*:

1. Ipse primus canon hodie deberet, in novo Codice, simpliciorem redactionem habere. Etenim:

a) Iam ipsa redactio nimis verbosa est, contra fundamentale principium cuiuslibet codificationis, quae debet esse simplex, brevis ac praecisa. Bis dicitur quod Orientales non tenentur, qua generalis regula, legibus in Codice contentis: idest, quando asseritur quod ipse Codex « *unam* respicit Latinam Ecclesiam », et quando subsumitur: « neque Orientalem obligat ». Redundantia omnino inutilis, quippe quod *si unam* respiciat Latinam Ecclesiam, evidens est quod non obliget Orientalem! Verbum, namque, *unum* id in latinitate significat exclusionem. Et nedum in latinitate verum quoque in pluribus aliis canonibus, veluti in illis 1414, § 1, 1257, 1934 etc.

b) Tunc temporis, quando Codex noster promulgatus fuit, codificatio pro Ecclesia Orientali deerat omnino, quippe quod nec quidem, ob practicas rationes, consulta fuisset Ecclesia Orientalis quando Codex fuit adparatus. Hodie autem etiam talis Ecclesia suam codificationem, fere completam habet. Unde canon primus simpliciorem redactionem necessario hodie requirit.

V. gr.: « *Codex unam respicit Latinam Ecclesiam, Orientalem vero nonnisi cum de iis agatur quae ex ipsa rei natura* eamdem Orientalem Ecclesiam afficiunt ».

2. Eamdem simpliciorem redactionem expostulat canon 3, de relationibus Codicis nostri ad ius Concordatarium. Illa verba « nullatenus abrogant aut iis aliquid obrogant », imprimis duplicia sunt (abrogare et obrogare), quando praescriptum ipsum *uno tantum* proponi posset ac, iuxta indolem codicialem, deberet, v. gr. non tangit, non respicit, immutatum reliquit. Sed et secundo: ansam praebuit quibusdam auctoribus hypercriticis faciendi aliquas nimis asperas animadversiones; quibusdam aliis, uti *Michiels et Van Hove* faciendi quosdam excursus plane inutiles ad alios Codicis canones. Inutiles, dicimus, quia, deficiente in Codice nostro classico Titulo *De verborum significatione,* unicum principium exe-

geticum, quod nobis suppetit, est illud in canone 18 contentum: « *in proprio textu et contextu* ».

Proponerem, proinde, hanc simpliciorem formulam:

« Codicis canones initas ab Apostolica Sede cum variis Nationibus (proprius hodie loqueremur de Statibus) nullatenus abrogat; eae perinde etc. ».

3. Numeros 2um et 3um canonis 6 in unum refunderem, ita sonantem: « Canones qui ius vetus *sive ex integro, sive etiam ex parte referunt,* ex veteris iuris auctoritate atque ideo ex receptis apud probatos auctores interpretationibus sunt aestimandi ». Rationes:

a) Quia, prout iacent hi duo numeri, postremus est quaedam inutilis repetitio, illo extante principio exegetico: dictum de toto, dictum de parte. Totum semper comprehendit diversas partes, vere totum si sit.

b) Quia redactio postremi numeri deficiens est, quippe quod non reasumatur generale interpretationis principium: « atque proinde (ideo) ex receptis apud probatos auctores interpretationibus etc. ».

c) Exinde quod talis numerus 3us aequo iure, saltem primo aspectu, interpretari possit: recurrendum ad probatos auctores et non recurrendum ad probatos auctores. Ratio: quia in primo (2°) dicitur, in altero autem (3°) non dicitur, iuxta exegeticum principium: Legislator *quod voluit dixit quod noluit tacuit,* consequitur quod in primo numero reccurrendum sit ad illos probatos auctores, non item in secundo, ubi talis pericope omittitur.

Alii, e contra, nixi hisce principiis exegeticis, *dictum de toto, dictum de parte* necnon: *ubi eadem est ratio eadem debet esse iuris dispositio,* contrariam sententiam sustinebunt.

Utrique numeri in unum refundantur, cum relatio, quae hisce duobus numeris continetur — relatio *referentiae,* seu relationis — non mutetur ex eo quod maiori vel minore extensione verificetur. *Magis ac minus non diversificant speciem.*

4. Ad canonem 4um quod attinet, perpendi deberet utrum tempus advenerit necne dandi aliquam definitionem iuridico-canonicam illorum verborum: « Iura aliis quaesita ». Etenim:

a) Patet Legislatorem id facere posse pro legibus suis, sicut comprobatur canone 8, § 2 (ubi *pro lege ecclesiastica* praesumptionem statuit in favorem indolis territorialis ipsius), § 1 eiusdem canonis 8 (circa necessitatem *promulgationis,* relinquendo sive theologis sive philosophis ut adhuc disputent de eadem promulgatione, agentes de lege ut sic, etc.);

b) Patet quoque necessitas dandi talem definitionem iuridico-canonicam, praesertim perpensis diversis notionibus quas doctrina de huiusmodi

iuribus quaesitis proponit, quae tempore suo crisi submissae fuerunt a cl.mo *Ojetti.*

c) Patet, tandem, quaedam elementa fuisse in medio prolata, occasione praesertim famosae causae *Cuneen.* (S. Alvarez).

III – *De delictis et poenis.*

« *Proponitur abrogatio reservationis censurarum latae sententiae, exceptione facta quoad delicta quae censuram specialissimo modo S. Sedi reservatam adnexam habent* ».

Reservatio censurarum eo praecipuo fine ab Ecclesia instituta est ut fideles melius agnoscerent gravitatem facinoris cui censura reservata adnexa est et ut a tali crimine patrando magis deterrerentur etiam ob difficultatem consequendi absolutionem poenae illius.

Censurae tamen latae sententiae quae sive Ordinario sive S. Sedi simpliciter vel speciali modo reservatae sunt sat numerosae apparent. Consequenter fere a nemine apprime cognoscuntur. Immo neque confessarii neque scientiae canonicae cultores generatim habent illam comprehensivam cognitionem quae necessaria esset ad diudicandum utrum delinquens censuram reservatam contraxerit.

Praeterea tales reservationes in foro conscientiae, vi can. 2247, § 3, effectum haberent et consequenter incommodum importarent poenitenti (et etiam generatim confessario) si iste admodum diligens fuerit in acquirenda cognitione censurarum reservatarum, non vero si confessarius ignorantia quoad illas laboraret! Onus autem recurrendi ad S. Poenitentiariam, quando absolutio a censuris praedictis data fuerat ad normam can. 2254, § 1, non comprehenditur a fidelibus et generatim convertitur in onus pro confessario, cum poenitens non cognoscat quomodo recurrendum sit et ad absolutionem obtinendam non induceretur si confessarius illud onus non esset suscepturus.

Plures rationes proinde abrogationem talis reservationis suadent. Ex hoc insuper magis evidens deformitas delictorum evaderet quibus censura Sedi Apostolicae reservata adnexa remaneret. Pro illis autem delictis quae censuram latae sententiae reservatam adnexam amplius non haberent, S. Sedes imponere posset aliquam poenitentiam specialem determinatam vel determinandam quam delinquens vel poenitens acceptare et serio promittere eius adimpletionem deberet antequam absolveretur (M. Said).

IV – *De re matrimoniali.*

1. In can. 1015 supprimatur § 3 « matrimonium inter non baptizatos valide celebratum dicitur legitimum ».

Rationes: 1) In hac paragrapho verbo « legitimum » datur sensus innaturalis. Legitimum est id quod est factum secundum leges. Legitimum non dependet a baptismo vel infidelitate; 2) Codex constanter verbo « legitimum » utitur in sensu contrario, (cann. 331, 1075). Et ubi verbo utitur in sensu hoc statuto, addit: « legitimum *inter non baptizatos* ». Quare haec § 3 nocet claritati.

2. Can. 1037. Definitio *impedimenti publici* et sui correlativi *impedimenti* occulti tollatur, et loco eius restituatur definitio, quae admittebatur in iure veteri; illa nempe qua impedimentum occultum est impedimentum quod non est divulgatum nec in talibus versatur adiunctis, ut prudenter iudicari possit et debeat illud facile divulgatum iri (can. 2197).

Rationes: 1) In Codice impedimentum occultum saepe sic sumitur. 2) S. Poenitentiaria, quae tractat res occultas et proinde dispensat in impedimentis occultis, constanter impedimentum occultum intelligit in sensu iuris veteris et non sensu Codicis (can. 1037).

3. Illa impedimenta iuris ecclesiastici in quibus practice semper dispensatur, abrogentur; alia (exceptis impedimento Ordinis sacri et professionis solemnis) fiant mere impedientia.

Rationes. 1) Post statutam formam iuridicam, impedimenta impedientia sufficienter impediunt matrimonia pro quibus sunt statuta. 2) Dispensationes facile concessae ducunt ad contemptum legis et auctoritatis. 3) Sic evitantur matrimonia invalida ob impedimentum non detectum; dolendum enim est plura matrimonia esse et manere invalida ob impedimentum, quod si fuisset detectum absque ullo dubio fuisset dispensatione sublatum. 4) Abrogatio plurium impedimentorum diminuet labores parochorum, qui praesertim hodie sunt multis laboribus onerati. Abrogatio et mutatio impedimentorum dirimentium in impedimenta prohibentia etiam diminuet labores tribunalium et non raro scandala quae ex declaratione nullitatis sequuntur (infra, n. 14).

4. Abrogetur impedimentorum multiplicatio.

Ratio. Hodie utilitas est fere nihil ut patet ex can. 1052; sed causat labores.

5. Impedimentum disparitatis cultus, saltem pro matrimoniis cum personis quae non sunt Hebraei aut Macometani, fiat mere impediens.

Ratio. Hodie de multis haereticis viget periculum quod non sunt valide baptizati; ideoque matrimonium initum cum dispensatione mixtae religionis erit invalidum, quia obstat impedimentum disparitatis cultus.

6. Si disparitas cultus sustineatur tamquam impedimentum irritans statuatur: moralem certitudinem, de qua in can. 1061, n. 3, non esse requisitum *ad validitatem* dispensationis.

Ratio. Moralis certitudo est status mentis personalis, per se occultus et postea difficile probandus. Matrimonii validitatem reddere dependentem a facto occulto videtur bono regimini matrimonii, instituti socialis et publici contrarium.

7. Authentice et publice dirimatur quaestio, utrum cautiones non sincere seu ficte datae invalidam reddant dispensationem in impedimentum mixtae religionis et, quod maioris momenti est, quia de hac re dependet matrimonii validitas, disparitatis cultus.

8. Dirimatur controversia utrum potestas dispensandi de qua in can. 1045, ab Ordinario et parocho exerceri possit etiam erga peregrinos actu in territorio commorantes, sicut conceditur in cann. 1043-1044.

9. E textu can. 1051 expellatur verbum « dirimente », ita ut effectus iuridicus (legitimatio prolis) adnectatur etiam dispensationi concessae ab impedimento impediente.

10. Can. 1096 sic mutetur ut exceptio de vicariis cooperatoribus etiam extendatur ad vicarios adiutores, qui pro parte tantum parochi vicem adimpleant.

11. Casus quo impossibilitas habendi gravi incommodo Parochum vel Ordinarium vel sacerdotem delegatum causatur a lege civili prohibente assistentiam sacerdotis sub gravi sanctione, subducatur a canone 1098 et pro hoc casu concedatur Ordinariis potestas dispensandi a praesentia sacerdotis.

Ratio. Impedire ne fideles et in specie personae minores *independenter a Superioribus ecclesiasticis* possint valide et licite contrahere coram solis testibus, quoties eorum matrimonium nequeat civiliter contrahi.

12. Cann. 1133-1137. Normae quae respiciunt omnes tres casus et causas invaliditatis separentur a canonibus, qui specifice agunt de matri-

monio invalido ob impedimentum dirimens et ponuntur antequam agitur de aliquo casu speciali. Istae normae continentur in can. 1133 § 2 et 1134. Respiciunt enim omnes tres casus.

13. Instituatur convalidatio matrimonii *automatica,* quo obtinetur ut post temporis spatium elapsum a die celebrationis, in lege determinatum, matrimonium fiat validum ipso iure seu absque renovatione consensus. Et quidem: 1) pro matrimoniis invalidis ob defectum formae quae (forma) tamen ita est servata, ut matrimonium invalidum sit *celebratum coram Ecclesia.* 2) pro pluribus impedimentis, nisi ipsa aut abrogentur aut reddantur simpliciter impedientia.

14. Clare statuatur utrum norma can. 1127 sit norma agendi pro ipsa sola S. Sede, an etiam applicari possit ab aliis, quoties dubium non respiciat baptismum (P. Bender).

PONTIFICIUM ATHENAEUM
S. ANSELMI

PONTIFICIUM ATHENAEUM S. ANSELMI

25 maii 1960

Eminentissime Princeps,

Pontificium Athenaeum S. Anselmi de Urbe honorificae invitationi Eminentiae Vestrae obsecundans Commissioni Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico sequentia vota submittit, futuri Concilii Patribus proponenda, si Eminentia Vestra hoc opportunum iudicaverit.

I. Votum de necessitate ut Concilium iterum affirmet et pressius pro hodiernis, possibilitatem, vim et momentum *cognitionis conceptualis et discursivae,* atque ut damnet irrationalismum hodie grassantem.

(Votum confectum a P. Cypriano Vagaggini OSB, professore theologiae dogmaticae in Facultate Theologica Pont. Athenaei Anselmiani).

II. Vota de *Sacramentorum celebratione et administratione*

(proposita a P. Anselmo Günthör OSB, professore theologiae moralis et pastoralis in Facultate Theologica Athenaei Anselmiani).

III. Votum *pro restaurando ritu Baptismi adultorum*

(confectum a P. Augustino Mayer OSB, professore theologiae sacramentariae in Pont. Athenaeo Anselmiano).

IV. Votum de *instructione ad apostolatum socialem,* imprimis quod clericorum institutionem attinet.

(propositum a P. Gerardo Békés OSB, professore theologiae dogmaticae pro cursu seminaristico in Pont. Athenaeo Anselmiano).

Praeter haec vota in particulari folio suppliciter exponuntur quaedam desideria quae nomine consilii academici huius Athenaei submittuntur Commissioni Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico.

Qua propitia occasione usus, incensos venerationis sensus Vestrae Eminentiae exprimo et, Sacram Purpuram deosculans, omni qua par est reverentia et submissione me profiteor

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
dev.mum obligatissimum in Domino servum

AUGUSTINUS MAYER, O. S. B.
Rector Pont. Athenaei S. Anselmi

Desideria quaedam Commissioni Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico nomine Consilii Academici Pontificii Athenaei S. Anselmi de Urbe suppliciter humiliterque exposita:

1. Ut principia in Litteris Encyclicis *Mediator Dei* et in Instructione S. R. C. de Musica Sacra et Liturgia, diei 3 septembris 1958, exposita, imprimis quod actuosam fidelium participationem in cultu liturgico attinet, in universa legislatione liturgica sanciantur.

2. Ut ritualia *bilinguia* universaliter permittantur; item ut usus linguae vulgaris permittatur, quod partem didacticam attinet, in Missis celebratis coram populo, secundum regulas stabiliendas a Sancta Sede.

3. Ut permittatur revisio textus Psalterii Gallicani, super fundamentum criticum optime positum in Psalterio Piano, retenta vero lingua ecclesiastica antiqua.

4. Ut auditores in facultatibus ecclesiasticis inscripti a Rectore Universitatis vel Athenaei et a Decano propriae facultatis obtinere possint licentiam legendi libros prohibitos, in ordine ad studia in facultate peragenda.

AUGUSTINUS MAYER, O. S. B.
Rector Pont. Athenaei S. Anselmi de Urbe

DE NECESSITATE UT CONCILIUM ITERUM AFFIRMET ET PRESSIUS PRO HODIERNIS ADIUNCTIS DECLARET, IN REBUS AD FIDEM SPECTANTIBUS, POSSIBILITATEM, VIM ET MOMENTUM COGNITIONIS CONCEPTUALIS ET DISCURSIVAE ET DAMNET IRRATIONALISMUM HODIE GRASSANTEM

(C. Vagaggini)

I

Doctrina magisterii

Doctrina de vi et momento cognitionis conceptualis et discursivae in rebus ad fidem spectantibus, contra eos qui eandem deprimunt, declarata est a magisterio extraordinario praeprimis occasione damnationis errorum fideismi — seu traditionalismi —, agnosticismi critici kantiani et modernismi, necnon contra nonnullas recentes falsas opiniones de quibus in Encyclica *Humani Generis* (*A.A.S.*, 42 [1950] 561-78).

Simul collatis punctis quae in praedictis documentis tanguntur, sequentia in subiecta materia praecipue constare videntur:

1. *Existentia et quodammodo natura Dei* personalis, naturali rationis lumine, per visibilia creationis opera, tamquam causa per effectum, certo cognosci et demonstrari potest (Formula completior in iure iurando contra errores modernismi, Dz 2145. Sed iam contra traditionalistas: Dz 1622; 1650; 1875; 1806, et contra kantianos, Dz 1785; 1806).

2. *Animae spiritualitas, hominis libertas,* cum certitudine per ratiocinium cognosci potest (Dz 1650: propositio contradictoria propositionibus ex traditionalista Bonnetty desumptis).

3. *Cognitio legis moralis naturalis* recte per rationem haberi potest (HG p. 571).

4. *Motiva credibilitatis* debent constare rationi priusquam consentiat in actu fidei. Ratio potest sibi acquirere evidentiam de credibilitate fidei etiam ex motivis externis, in primis ex miraculis et prophetiis (Vide Dz 1623-27; 1651: contra traditionalistas; 1790; 1812; 2145; 2072: contra modernistas).

5. *Revelatio* potest aliquomodo exprimi et communicari per conceptus humanos et ideo formulae dogmaticae non exprimunt solummodo id quod subiecto videtur quin res divinas in se attingant, neque sunt

solummodo symbola experientiae religiosae subiectivae, neque habent solummodo momentum practicum tamquam normae agendi (contra modernistas: Dz 2079).

6. *Scientia rerum divinarum* possibilis est (Dz 1799). In specie: ratio, fide illustrata, cum sedulo, pie et sobrie quaerit, aliquam Deo dante, mysteriorum intelligentiam, eamque fructuosissimam, assequitur, tum ex eorum quae naturaliter cognoscit analogia, tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo; numquam tamen idonea redditur ad ea perspicienda instar veritatum, quae proprium ipsius obiectum constituunt (Vaticanum, Dz 1796).

7. *Methodus scholastica,* uti adhibetur v. g. a S. Thoma aut a S. Bonaventura, non ducit per se ad rationalismum (Dz 1652: contra Bonnetty: HG p. 571-74).

8. *In systematibus theologicis diiudicandis* non potest admitti relativismus radicalis (GH p. 566-67).

II

Opiniones generales non catholicorum

Inter non catholicos, inde a concilio vaticano et a lite modernista, in quaestione de vi cognitionis conceptualis, facti sunt quidem plures conatus positivismum superandi (sola phaenomena experientiae pervia sunt certa; de his solum curandum; speculationes quae attingere vellet « naturas », uti fit in metaphysica, debent derelinqui), qui et ipse derivatur a kantismo (ratio inclusa in phaenomenis).

Conatus huiusmodi vellent aliquomodo « rem in se » de qua Kant, attingere et inde quandam metaphysicam, sensu magis obiectivo, fundare.

Ut hoc vero assequantur, ab ipsa experientia cognoscitiva et vitali subiecti semper incipiunt. Sed quidam magis attendunt ad id quod in ista experientia spirituali naturae magis intellectualis habetur (praesertim, hodie, phaenomenologia et existantialismus): putant se aliquomodo in ipsa conscientia intellectuali rem in se attingere posse.

Alii vero, multo magis attendunt ad id quod in conscientia subiecti habetur naturae non intellectualis: ad nisum sensitivum biologicum, ad affectus animi, ad volitionem. Exinde, inter alias, philosophia valorum, vitae (etiam religiosae), philosophia « actionis » (cui etiam philosophus catholicus Blondel et discipuli nomen dederunt), philosophia intuitionis et nisus vitalis Henrici Bergson. Hi saepe ipsam distinctionem appetitus et intellectus negant, asserentes utrumque irradicari in aliqua fonte inconscia communi, quae utrumque quasi praedeterminat.

Omnes tamen, positive, primo: laborant maxima cura concretismi, quatenus praeprimis volunt omnes omnino aspectus rerum, pressius: alicuius rei concretae et individualis hic et nunc existentis in sua ipsa forma existendi — ante omnia personae humanae — in sua integralitate apprehendere. Haec cura, in ipso subiecto erit: apprehensio concreta et integralis experientiae vitalis in omnibus suis aspectibus; in obiecto vero: apprehensio omnium aspectuum de facto existentium in obiecto in conscientia praesente.

Secundo: hanc rem concretam et integralem volunt apprehendere immediate et simplici ictu, in quadam intuitione vitali.

Negative: negant omnes validitatem conceptuum abstractorum ad attingendas res in se et ideo sunt omnes inimici intellectualismi moderati thomistici, quem accusant de vitio ingenui rationalismi. Multi vim « conceptuum » et « notionum » ad attingendam « realitatem » ex toto negant concedentes eis ad summum meram utilitatem ad vitam practicam gerendam. Ita, in specie, Bergson. Alii volunt ut huiusmodi quaestio maneat semper saltem « suspensa ». Diffidentia erga quidquid sapit « abstractiones », « apparatus notionales » etc. est prorsus generalis.

Apud eos frequenter adhibentur formulae huiusmodi uti: quod veritas « authentica », integra » etc. non possit attingi sola cognitione, eo vel minus conceptibus, sed est quaestio alicuius actus vitalis concreti et totalis ad quem totus homo hic et nunc debet cooperari. Immo quod: veritas ultimo pendat ab aliqua animi « optione ».

Quoad modum quaestiones exponendi, cum nolint « conceptus » communicare, sed potius « animum » movere, adhorrent a dialectica traditionis scholasticae, ab accuratis definitionibus, distinctionibus etc. et confugiunt ad descriptiones psychologicas et ad expressiones lyricas et rethoricas.

Quod philosophos religionis et theologos non catholicos spectat, haec, presertim in sensu magis irrationalistico affectivo et fideistico, plurimum valent apud slavophilos et neoslavophilos orthodoxos (v. g. Sergius Bulgakov, Berdiaev) et inter theologos dialecticos neocalvinistas (C. Barth: fideismus calvinista cum vehementi negatione analogiae ad cognoscendas res divinas).

III

Status rerum inter catholicos hodiernos

In praesenti quaestione inter hodiernos catholicos possunt tres fortasse generales « tendentiae » distingui.

A) *Hi qui servant simpliciter positionem traditionalem.*

Multi philosophi et theologi catholici qui his quaestionibus operam navant traditioni strictius scholasticae aut neoscholasticae adhaerent. Realismum conceptualem moderatum thomisticum tenent et defendunt, cum omnibus derivantibus consequentiis circa singula puncta doctrinae et circa methodum generalem philosophicam et theologicam. Neque multum curant de illa mente concretistica et intuitionistica quae tantum hodiernis e contra cordi est.

B) *Qui positionem traditionalem satagunt, successu plus minusve felici, in eadem linea perficere.*

Alii, eidem traditionali realismo moderato adhaerentes, eumque, saltem in sua essentiali conclusione, servare volentes, solliciti tamen simul sunt melius vindicandi id quod hodierniores tantum inculcant de vi et momento cum considerationis integralis et concretae rerum, tum intuitionis et in genere mentis vitalisticae et personalisticae.

Hi a prioribus quandoque differunt etiam in quaestione de via qua idem realismus fundetur et demonstretur. Non raro nempe censent etiam rectam applicationem methodi criticae, aut phaenomenologicae et existentialis, aut etiam philosophiae vitae, actionis et intuitionismi, posse ad conclusionem realismi ducere et ita a realismo, suo modo, in eo quod boni habent, ad propriam manifestationem adhiberi.

Non auderem dicere praedictos auctores res suas, omnibus aspectibus adamussim libratis semper exponere. Nam, propter illam legitimam curam realismo conceptuali simul vindicandi praedictos aspectus concretos, vitales, personales, intuitivos veritatis, saepe in his ita vim faciunt ut realismus potius praesuppositus et hic inde leviter affirmatus quam vere explicatus et defensus, non attento saltem lectori, videri possit.

Quidquid sit, haec mens deinde non parvas consequentias habet in universa methodo scientifica sive philosophica sive theologica, quatenus in singulis quaestionibus tractatis aspectus personalistici et vitales multo plus quam apud fautores prioris tendentiae in lucem proferuntur.

C) *Qui ambigue se gerunt aut etiam falsis opinionibus laborant.*

Factum eiusque origo

Negari non potest adhuc hodie apud nonnullos in ista materia, et cum non paucis consequentiis tam in re theologica quam philosophica, ideas serpere ambiguas et propensionem ad errores plus minusve conscios contra quos, iam anno 1950, Encyclica *Humani Generis* catholicos monuerat.

De quadam propensione generali agitur ad irrationalismum, de cuius sensu ipsi, in primis iuniores seminaristae et clerici et religiosi, saepe non sibi bene conscii sunt sed cuius consequentiae omnino practicae facile ex toto eorum modo se gerendi in quaestionibus philosophicis et theologicis percipi possunt. In subiecta materia status rerum, de quo iam Encyclica *Humani Generis* egerat, praesertim in regionibus linguae gallicae, sed etiam germanicae, minime adhuc hodie sanatus dici potest, ita ut necessarium videatur concilium iterum doctrinam catholicam inculcare et errores removere debere.

Sicut olim Encyclica rem descripserat ita etiam hodie negotium se habet: « Novae huiusmodi opiniones, sive improbando novitatis desiderio sive laudabili causa moveantur, non semper eodem gradu, eadem claritate iisdemque terminis proponuntur, nec semper unanimi auctorum consensu; quae hodie a quibusdam, cautelis nonnullis ac distinctionibus adhibitis, magis tecte docentur, cras ab aliis audacioribus palam atque immoderate proponentur, non sine multorum offensione, praesertim iunioris cleri, nec sine ecclesiasticae auctoritatis detrimento... Nec tantum inter sodales utriusque cleri et in sacris seminariis institutisque religiosis tales opiniones divulgantur, sed etiam inter laicos... » (p. 565).

Haec mens nutritur hodie primo a lectione horum auctorum qui doctrinam traditionalem satagunt, successu tamen non semper perfecto, in eadem linea perficere. In his lectores, praesertim iuniores aliunde iam mente irrationalistica imbuti, non raro non tam attendunt ad id quod realismum fundat conceptualem quam ad id quod vitalismo favere videtur. Praeprimis vero haec mens nutritur a lectione auctorum acatholicorum de quibus supra dictum est: uti Bergson, slavophilorum, Barth eiusque discipulorum, et praesertim eorum qui philosophiae existentialismi et phaenomenologismi addicuntur; aut etiam auctorum catholicorum qui tamen mente anticonceptualista imbuuntur, uti Scheler, Newman, Blondel.

In genere quidem ex his auctoribus derivatur ad iuniores ex clero — qui ad huiusmodi lectionem accedunt sine sufficienti manuductione et

critica praeparatione — indeterminata quaedam sitis non bene illuminati concretismi, vitalismi e intuitionismi, et generale quoddam fastidium erga speculationes et traditionem conceptualisticam scholasticorum.

Consequentiae quaedam

Ex illa incerta anticonceptualismi aura, passim in quibusdam regionibus diffusa, nonnulli facile ad hoc deveniunt ut, sensim sine sensu (multo plus quam modo abrupto et clare conscio) versentur in periculo plura puncta fidei catholicae in seipsis et in aliis obscurare aut corrumpere. Quod fit praesertim ex usu quorumdam ambiguarum formularum, quae, quamvis possint — et de se deberent — recte intelligi in sensu sani realismi conceptualis, a pluribus tamen vix non intelliguntur in sensu irrationalismi et ideo, immanentismi, vitalismi et intuitionismi subiectivistici. Ita e. g.:

1. *Circa conceptum religionis et fidei*: nonobstantibus claris a magisterio in hoc puncto iam definitis doctrinis, plures, plus minusve conscie, sibi persuasum habent: religionem et fidem, sine ulteriori distinctione (et in hoc stat periculum huius assertionis), non esse rem intellectus, sed experientiae, intuitionis, « optionis » cuiusdam, nisus et affectus vitalis totius hominis.

2. *Circa cognitionem existentiae* Dei: plures vix sibi suadere valent Kant revera semel pro semper traditionalia argumenta ad existentiam Dei via conceptuali probandam non destruxisse. Quandoque non solum de aptiori modo principium causalitatis formulandi dubitant, sed etiam de eius intrinseco valore. Certe aegre ferunt viarum illarum traditionalium « intellectualismum » et « abstractismum » qui non ad « personam » sed ad « ideam quandam » ducere solum posset, et toti confugiunt ad necessitates vitae practicae, ad intuitionem quandam vitalem generis bergsoniani, ad quandam totius hominis concreti suiipsius deditionem (engagement), vel simpliciter ad viam fidei in sensu fideistico. In his sensibus adhibetur, in sua ambiguitate sequens v. g. formula: quod « plena certitudo » de vi argumentorum existentiae Dei assequi non potest nisi ab illo qui iam credit, vel qui seipsum erga hanc veritatem totum dedit, vel qui Deum « expertus est ».

3. *Circa cognitionem naturae Dei* via conceptuali: habetur diffidentia et quasi despectus conceptuum uti: ens a se, actus purus, intellectio intellectionis, motor immobilis etc. ex falsa specie quod Scriptura revera Deum praeprimis describit uti: personam vivam et concretam, Deum amoris, Deum historiae etc., quasi haec ad invicem componi non possent et deberent.

4. *Circa conceptum dogmatis*: propensiones illae ad falsas opiniones

de quibus Encyclica *Humani Generis* conquerebatur, cum iisdem ambiguitatibus et periculis adhuc hodie permanent: despoliandi scilicet dogma a suo aspectu et formulatione intellectuali, praesertim vero si colorem philosophiae scholasticae quodammodo induere videatur: « Quorumdam consilium est dogmatum significationem quam maxime extenuare; ipsum dogma a loquendi ratione in Ecclesia iamdiu recepta et a philosophicis notionibus penes catholicos doctores vigentibus liberare ... Accedit quod, catholica doctrina ad hanc redacta condicionem, viam sterni autumant, qua, hodiernis necessitatibus satisfaciendo, hodiernae etiam philosophiae notionibus dogma exprimi possit, sive « immanentismi », sive « idealismi » sive « existentialismi » aliusve systematis. Quod idcirco etiam fieri posse ac debere audaciores quidam affirmant, quia fidei mysteria numquam notionibus adequate veris significari posse contendunt, sed tantum notionibus « approximativis », ut aiunt, ac semper mutabilibus, quibus veritas aliquatenus quidem indicetur sed necessario quoque deformetur » (pp. 565-66).

5. *Circa evolutionem dogmatum*: periculum est iterum exaggerandi aspectum intuitivum, vitalem, personalem, subiectivum cum detrimento aspectus intellectualis et obiectivi. In hoc contexu adhibetur v. g. sequens ambigua formula: quod terminus a quo evolutio dogmatum facta est inde ab Apostolis (ergo ipsa « revelatio » in NT) non tam fuit systema doctrinale quam quaedam persona concreta, nempe Christi, et experientia Spiritus, et dirigebatur non tam ad intellectum quam ad totam personam credentium.

6. *Circa universam methodum theologicam* theoricam et practicam: plures sunt consequentiae praedictae propensionis. Quaedam iam ab Encyclica *Humani Generis* damnatae fuerunt. Ita e. g.:

a) Hodie, etiam apud optimos, non raro viget debilitas mentis et virtutis speculativae in tota ratione theologiam considerandi et docendi, ex unilaterali praeoccupatione male derivata ex (vera ceteroquin) necessitate in revelatione aspectus theologiae biblicae, theologiae historiae, aspectus magis concretos et directius inservientes vitae spirituali et pastorali, magis quam hucusque factum est vindicandi.

Non multi sunt hodie qui utrumque aspectum vere coniugant.

b) Apud non paucos iniustus adhuc habetur despectus theologiae scholasticae.

c) Item iniusta diffidentia erga apologeticam conceptualem. Remanet adhuc hodie verum id quod *Humani Generis* iam dixerat: « alii denique rationali indoli *credibilitatis* fidei cristianae iniuriam inferunt » (p. 571).

d) Laudanda et necessaria omnino cura ut theologus ipse et con-

stanter incumbat in studio Scripturae et Patrum — etiam plus quam hucusque plures theologi traditionales fecerunt — detorquetur a nonnullis in sensum antiintellectualisticum et antispeculativum. In lectione Scripturae facile fundamentum spernunt sanae philologiae et criticae, ex falsa specie quod theologo onus incumbit (et hoc verum omnino est) cum omni cura aspectus spirituales et pastorales textu sacro in debitam lucem ponendi. Patres facile (quod et sanae historiae prorsus contradicit) in sensu irrationalistico philosophiae recentioris interpretantur; et necessitatem « redeundi ad Patres » quandoque ita intelligere videntur ac si theologus, in quadam quaestione tractanda, sistens in Patribus, posset non curare de eo quod in eadem materia, post ipsos, alii theologi, in specie scholastici, dixerunt.

e) Habetur non raro tendentia ad quemdam radicalem relativismum theologicum, non quidem quoad ipsa dogmata, sed quoad systemata et speculationes explicativas dogmatis a magisterio non uti de fide impositas. Et hoc ita fit ac si, praeter id quod a magisterio de fide imponitur, circa res divinas, humana ratio nihil certi dicere posset et huiusmodi explicationes ulteriores dependerent unice a quadam « optione » caeci affectus aut a necessitatibus practicis vitae. In hoc sensu hodie non raro intelligitur id quod passim — non, utique, sine recta ratione — dicitur: quod nempe theologia non debeat circa quaestiones inter ipsos catholicos disputatas et « inutiles » plus aequo versari.

f) In ipsa expositione quaestionum theologicarum, ex intentu theologiae « vivae » (quae quidem in aliquo sensu omnino necessaria est), derelicta methodo sobria et stricte scientifica, facile deflectunt ad modum loquendi rethoricum et plus minus lyricum — ad instar philosophorum qui phaenomenologismo aut existentialismo, aut intuitionismo addicuntur — et qui, si non fundatur in sano realismo conceptuali, affectum potest aliquomodo hic et nunc excitare, sed, intellectum non nutriens, animum revera vacuum relinquit.

7. *Circa theologiam moralem et ethicam*: cum « persona » non raro concipiatur constare essentialiter in elementis « conscientiae » vel « voluntatis », vel « affectus », in sensu antiintellectualistico conceptis, quasi ageretur de elementis caecis quibus nulla norma obiectiva veritatis extrinsecae praeluceat, ipsa facile reputatur unica sibimetipsi agendi norma. Exinde facile devenitur ad negationem libertatis ex psychologia subconscii et ad doctrinam de morali sine peccato et de morali situationis. Ipsa « ethica communismi » apud plures, praesertim iuvenes, tantum valet propter quandam praesuppositam « mysticam actionis », vel « mysticam heroismi » in sensu irrationalistico intellectam.

8. *Circa methodum philosophicam,* adhuc ex toto vera manent ea

quae hac in re dixerat Encyclica *Humani Generis* (p. 571-75): non raro derelinquuntur ipsa essentialia fundamenta thomismi ac philosophiae perennis ac si, uti saepe dicitur, exinde necessario philosophia in aridum rationalismum detorqueretur; — incapax esset, praeter essentias immutabiles, spectare et explicare « existentiam » et vitam semper fluentem; — omnia vera et bona quae in aliis systematibus forte adsunt sibi adsumere non valeret; — in genere iustis exigentiis et postulatis mentis hodiernioris satisfacere non posset; — et in specie, incapax esset, ex sua nimis exclusiva cura intellectus, iustam rationem habendi affectuum et voluntatis in tota reali humana vita et praesertim in ipso processu cognoscitivo totali.

9. *Circa practicam oboedientiam magisterio et hierarchiae debitam*: ea quae passim hodie « crisis auctoritatis » dicitur, non raro theoricum fundamentum in eodem irrationalismo habet. In quasdam namque regiones, etiam inter catholicos, inconscie doctrina A. Ritchl penetravit, secundum quam, videlicet, maximi inimici veri spiritus religiosi sunt « philosophia » et « auctoritas hominum ». Philosophia quia ratio non valet verum sensum religionis attingere et auctoritas quia, suis normis extrinsecis, spontaneum impetum huius spiritus extinguit. Quare qui in societate vitam religiosam vere nutriunt et perficiunt non sunt necessario auctoritatem habentes, sed solum ii qui huiusmodi impetum magis experiuntur et exprimunt. Ipsi debent proprium sensum sequi; auctoritas quidem in initio obstabit, sed, deinde, velit, nolit, necessario cedere debebit. Practicae consequentiae huiusmodi mentis facile intelliguntur.

IV

Quid Concilium facere deberet

Principia.

Hodie in re doctrinali, simul cum periculo materialismi, periculum irrationalismi culturae recentioris maxima fons videtur ex qua maiora mala pro Ecclesia sunt timenda.

Ecclesia debet simul: 1) obstare erroribus et invigilare ne sensim sine sensu, animos, praesertim clericorum et religiosorum, inficiant; 2) ostendere ea vera et bona quae, per accidens, a fautoribus falsorum systematum recte notantur et defenduntur, in doctrina catholica, et solum in ea, vere vindicari posse et debere; exinde philosophos et theologos catholicos monere et incitare ut ea, pro suo munere, et prae oculis semper habitis omnibus aspectibus integralis veritatis, in ipso systemate catholico evolvant et cum zelo vindicent.

In subiecta materia concedendum est hodiernos legitime praeoccupari de accuratiore investigatione et vindicatione considerationis integralis et concretae — uti distinguitur a consideratione abstracta — rerum singularium et existentium et de momento quod huiusmodi consideratio, in vita practica, in universa philosophia et theologia, habere potest.

Item concedendum est hodiernos legitime sollicitos esse de accuratiore investigatione eorum aspectuum humanae psychologiae qui ad cognitionem conceptualem non possunt simpliciter reduci; in specie aspectuum physico-biologicorum, affectivorum et simplicis intuitionis; item legitime vindicare eorum momentum in vita individuorum et societatis, quoad actiones practicas, quoad vitam religiosam in specie, quoad ipsam cognitionem veritatis speculativae et praesertim quoad ipsius practicam in vita concreta receptionem, de qua ultimo tandem interest pro aeterna salute.

Practice a Concilio gerenda.

Haec duo praecipua videntur:

1. *Philosophos et theologos catholicos monere et incitare* ut principia illa, quae in philosophia et theologia S. Thomae certe adsunt et ex quibus praedictae curae hodiernorum concretismi et intuitionismi in eo quod recti habent satis superque fiat (in specie doctrinam S. Thomae de cognitione quam intellectus habet de seipso, de proprio subiecto, de propria anima; ipsius doctrinam de cognitione singulariorum et de cognitione per connaturalitatem) altius eruant, in eadem linea perficiant et vindicent quam hucusque factum est, et ope eorumdem, obiectionibus et instantiis irrationalismi obvient. Item monere lectores philosophiae et theologiae ut ad cognitionem et crisim — ex fundamentis thomisticis — irrationalismi hodiernorum alumnos manuducant, ne ipsi, sine sufficiente praeparatione hos auctores legentes, aut eorum doctrinas, nunc ubique, quasi per auram, sparsas, audientes, nesciant, cum magno eorum detrimento, bonum assumere et malum reicere.

2. *Limites clare stabilire quos nemini catholicorum transgredi liceat* in praesenti quaestione de relationibus inter realismum et conceptualismum moderatum traditionis catholicae et hodiernorum tendentias concretisticas, vitalisticas, intuitionisticas. Formula, magis negative quam positive rem considerans, posset esse sequens, aut similis quaedam:

— Consideratio rerum, praeterquam in suo aspectu magis abstracto, universali et obiectivo, etiam in suo aspectu magis concreto, personali et subiectivo;

— aut vindicatio existentiae et momenti in humana psychologia,

praeter cognitionem conceptualem, etiam elementorum ad eam non simpliciter reducibilium: in specie physico-biologicorum, affectivorum, volitivorum et cognitionis per simplicem intuitionem:

— numquam possunt ita intelligi ut negetur valor obiectivus ad attingendas res in se, cognitionis conceptualis et discursivae, eiusque proprium momentum in rebus ad fidem pertinentibus;

— in specie: in cognitione existentiae et quodammodo naturae Dei, naturali lumine rationis, per visibilia creationis opera tamquam causae per effectum; in conceptu religionis et fidei; in modo intelligendi dogmata eorumque evolutionem; in cognoscenda cum certitudine animae humanae spiritualitatem et libertatem; in stabiliendis evidentibus motivis, etiam externis, credibilitatis fidei; in cognoscenda et observanda lege morali naturali et revelata; in determinanda et in praxim deducenda generali methodo philosophica, apologetica, theologica.

Damnatio irrationalismi sub anathemate posset ita fieri: Si quis legitimitatem considerationis rerum etiam in suo statu concreto, necnon existentiam et momentum in vita humana experientiae vitalis affectivae et cognitionis intuitivae, ita intelligit ut neget vim, ad cognoscendas res in se, cognitionis conceptualis et discursivae in rebus ad fidem eiusque scientiam pertinentibus A. S.

DE SACRAMENTORUM CELEBRATIONE ET ADMINISTRATIONE

(A. Günthör)

I. De sacramentis in genere

Devota receptio sacrametornum et actuosa participatio fidelium in vita sacramentali-cultica Ecclesiae promoveantur renovatione signorum quoad ritus accidentales (non ipsum ritum essentialem) et permissione usus linguae vernaculae in quibusdam partibus rituum.

a) Ritus aliqui accidentales in administratione sacramentorum et in sacrificio eucharistico a fidelibus non amplius intelliguntur, quia aliis in temporibus et in epochis culturae transactis orti sunt (v. gr. usus incensi in functionibus, casularum plicatarum pro Levitis in Adventu et in Quadragesima, usus salis in baptismo infantium etc.). Periculum existit, ne fideles propter ritus partiales illis inintelligibiles totam vitam sacramentalem-culticam Ecclesiae uti rem antiquariam considerent illique terga vertant.

b) Homines hodierni in aevo technico viventes et rationalismo fa-

ventes ad magnam partem incapaces facti sunt ad percipiendam vim significativam signorum naturalium. Homo modernus vix cogitat in categoria signorum naturalium, sed in categoria technica, utilitaristica.

c) Homines moderni assuefacti sunt ex ludis cinematographicis, ex « televisione », quod eis omnia monstrentur et explicentur propria eorum lingua.

Conclusio: « Ut fideles vim caeremoniarum, quibus singula sacramenta conficiuntur, cognitam et perspectam habeant » (*Catechismus Concilii Tridentini,* ed. Romae 1920 n. 158 p. 111) necessariae esse videntur simplificatio rituum accidentalium, vel eorum adaptatio ad tempora moderna, usus linguae vernaculae praesertim in administratione sacramentorum et in quibusdam partibus sacrificii eucharistici.

II. De sacramentis in specie

1. *Baptismus*: Omittendi esse videntur ritus, qui potius transumpti sunt ex baptismo adultorum, praesertim usus salis et exorcismi (non ex toto, sed tales quales nunc praescribuntur).

2. *Confirmatio*: Summi Pontifices clare mentem suam expresserunt, confirmationem ab infantibus recipiendam esse, ubi primum rationis usum attigerint, eamque debere per se praecedere primam communionem eucharisticam (cf. praesertim ep. *Abrogata* Leonis XIII. de die 22. iun. 1897 ad episcopum Marsiliensem; Gasparri, *Codicis iuris canonici fontes,* t. III 515-6). Praxis, quae potius difformis est menti Summorum Pontificum, videtur revocanda ad normas a Summis Pontificibus datas.

3. *SS.ma Eucharistia*:

a) uti *sacrificium*: Actuosa participatio fidelium in sacrificio Eucharistico videtur valde impediri, nisi pro missa catechumenorum et pro aliis quibusdam verbis (v. gr. « Misereatur vestri... » usque « Domine non sum dignus... » communionem fidelium; benedictio sponsae in missa pro Sponsis) permittatur usus linguae vernaculae.

Unitas ecclesiae orantis propter usum linguae vernaculae vix periculo exponitur, quia haec unitas magis profluit ex iisdem verbis *intellectis,* quam ex externa forma verborum prorsus eadem in toto orbe terrarum conservata. Unitas ecclesiae non dependere videtur ab usu eiusdem linguae quoad omnes partes cultus (quod est medium potius naturale, adhibitum quoque a rebus publicis ad nationes unificandas) sed ab operatione ipsius Spiritus Sancti.

Praedicationi in missis dominicalibus omnibus, quibus fideles assistunt, speciale momentum attribuendum esse videtur. Ecclesia verbum Dei et sacramenta uti praecipua fulcimina vitae christianae habet:

« Postremo vero ostendunt, totum Christianum aedificium firmissimo quidem lapidis angularis fundamento inniti, verum, *nisi verbi Dei praedicatione, et sacramentorum usu undique fulciatur,* magnopere verendum esse, ne magna ex parte labefactatum concidat » (*Catechismus Concilii Tridentini,* ed. cit. n. 165 p. 117). Hoc in textu praedicatio verbi Dei in primo loco poni videtur. Propter ignorantiam religiosam multorum fidelium nostris diebus praedicatio verbi Dei videtur esse adhuc magis necessaria. Locum suum habeat ex rationibus internis in ipsa celebratione eucharistica, cuius mysteria ipsa praedicatione explicantur. Codex Iuris Canonici c. 1344-1346 non sufficienter insistit in *obligatione* praedicandi verbi Dei in missis dominicalibus cum assistentia fidelium celebratis; Codex hac in materia perfici posset normis de sacris concionibus a *Synodo Romana* prudentissime datis.

Celebratio eucharistica in die dominica promoveatur commendatione quietis dominicalis et apta definitione *operum in die Dominica prohibitorum.* Terminus « opera servilia » proprius Veteri Testamento quoad historicam applicationem ad quietem christianorum in die dominico multa dubia excitat. Prima aeva christiana quietem in die Dominico non deduxerunt ex verbis Veteris Testamenti, sed ex essentia Dominicae, quae est memoria resurrectionis Dominicae. Quiete a labore christiani gaudeant libertate a maledictione (« in sudore vultus tui ») eis per Christum comparata, anticipent requiem finalem in caelis, et tandem eis possibiles reddantur assistentia celebrationis eucharisticae et vacatio pro Deo. Terminus « Opera servilia » deficiens esse videtur praesertim etiam respectu habito conditionum laboris in aevo industrializato.

Finis quietis dominicalis inculcandus esse videtur. Opera prohibita definienda sunt v. gr. ad mentem Summi Pontificis Leonis XIII., qui dicit, quietem revocare hominem « *a laboribus negotiisque vitae quotidianae,* ut ad cogitanda revocet bona caelestia, tribuendumque cultum numini aeterno iustum ac debitum » (*Rerum Novarum, Acta Sanctae Sedis* 23, p. 660).

b) uti *sacramentum*: Praescripta Decreti S. Congr. de Sacramentis sub S. Pio X. editi « Quam singulari » in multis regionibus Ecclesiae non observantur. Dilatio primae communionis est in damnum animarum, qui nostris temporibus magis adhuc indigent cibo eucharistico, et in damnum auctoritatis S. Congr. de Sacramentis et S. Sedis, quarum decreta in hoc casu negliguntur.

4. *Sacramentum Poenitentiae*: Valde desiderandum est, formam absolutionis sacramentalis pronuntiari posse lingua vernacula, ut fideles propria lingua audire possint nuntium laetum misericordiae divinae et remissionis peccatorum.

Magna pars *excommunicationum* abrogetur, quia non producunt effectum medicinalem. Maior omnino pars fidelium ignorat varias excommunicationes. Insuper excommunicationes fundantur super mentalitatem diversam a mentalitate hodierna. Olim fideles timebant separationem ab ecclesia (quae non raro secum ferebat exclusionem a societate civili, quia ecclesia et societas civilis intime unitae erant). His diebus deest ille spiritus ecclesiasticus. Excommunicationes quaedam homines hodie potius irritant et obstinatos reddunt.

5. *Unctio infirmorum*: Diversae orationes componantur pro his infirmis, quorum sanatio sperari potest, et pro his infirmis, qui sunt moribundi. Orationes pronuntiatae lingua vernacula magnae consolationi esse possunt ipsis infirmis et propinquis assistentibus.

DE RESTAURANDO RITU BAPTISMI ADULTORUM

(A. Mayer)

I. Exponuntur breviter « rationes » ex quibus haec restauratio videtur opportuna.

1. In Encyclica Pii XII s. m. *Mediator Dei* et in tota hodierna renovatione liturgica vere actuosa omnium fidelium participatio in actionibus liturgicis summopere exigitur. Ordo autem baptismi adultorum hodie vigens talem actuosam participationem minime reddit facilem:

— ritus sunt nimis implicati; orti enim sunt ex contractione non organica multorum rituum qui olim distribuebantur diversa in tempora et loca. Sicut hodie prostant, illi ritus non facile psychologice approprientur a baptizando, ne bona quidem instructione praemissa.

— caeremoniae hodiernae saepius non sunt clarae; verbi gratia, ritus tam gravis sicut traditio orationis dominicae et symboli apostolici in actuali forma contracta quasi non iam percipitur.

— caeremoniae non sunt sufficienter vitales, supponunt enim institutum catechumenatus non amplius existens.

— caeremoniae non sunt proportionatae. Verissimum quidem est Ecclesiam in summis suis sacramentis praeparare essentialem actionem sacramentalem ampla orationum et rituum corona; sed in baptismo adultorum moles anorganica rituum praeparationis quasi opprimit ipsam actionem baptismi.

2. In terris missionum, in Europae quoque et utriusque Americae regionibus in dies frequentiores fiunt adultorum baptismi. Quorum praeparatio hodie curatur mera quadam instructione catechetica. Desideratur

ut introducantur in vitam Ecclesiae modo magis completo qui mutatis mutandis respondeat instituto veteris Catechumenatus. Deinde vero quaedam sacramentalia (orationes solemniores, exorcismi, signationes, « scrutinia ») iam adhibenda erunt una cum instructione; ex tali organica anticipatione complicatio rituum hodiernorum ad partem saltem poterit solvi.

3. In restauratione recentissima vigiliae paschalis peculiare momentum datum est renovandis baptismi promissionibus. A non paucis etiam desideratur ut si adsint condidati baptismi, in ipsa paschali vigilia baptizentur. Sed in tali casu ritus baptismi deberet esse brevior.

II. Proponuntur quaedam principia pro huius ritus restaurationE.

1. Separentur iterum ritus praeparatorii ab ipsa baptismi collatione. Ritus hodiernus posset in tres caeremonias distribui:

a) Ad catechumenum faciendum: prima cum Ecclesia pactio, signatio, impositio manuum, traditio S. Scripturae.

b) Caeremoniae circa « electos »: exorcismi, solemnis traditio orationis dominicae et symboli, (scrutinia?), monitio.

c) Ipsi ritus baptismales: renuntiatio (cum unctione), interrogationes de fide, Baptismus et ritus explicativi. Sollemnis dimissio.

2. Inquantum fieri potest, baptismo restituatur « indoles communitaria »: Ecclesia (paroecialis) congregata recipiat neophytos.

3. Lingua vernacula permittatur universim, excepta ipsa forma baptismi.

(Quaestio peculiaris de proprio ritu baptismi parvulorum condendo, infantum conditioni vere respondente, hic non respicitur).

III. Quaedam subsidia studiorum, de argumento huius voti.

M. Righetti, *Manuale di Storia Liturgica,* vol. IV, Milano 1953.
(imprimis de ortu, momento, decadentia catechumenatus antiqui).

C. Vagaggini, *Il Senso Teologico della Liturgia,* Roma 1957.
(continet optimas considerationes e. g. de exorcismis qui non deberent aboleri: vide imprimis caput XIII quod inscribitur: « Le Due città. La Liturgia e la lotta contro Satana »).

B. Botte, *Les textes baptismaux;* in: *La Maison-Dieu,* fasc. 32 (1952) 36 ss.

L. Bouyer, *Symbolisme des rites baptismaux;* ibid. pp. 5 ss.
(utilia de significatione rituum hodiernorum et de interpretatione genuina textuum).

A. STENZEL S. I., *Erwägungen zum Ritus der Erwachsenentaufe;* in: *Liturgisches Jahrbuch* 3 (1953) 310-321.

A. STENZEL S. I., *Die Taufe. Eine genetische Erklärung der Taufliturgie,* Innsbruck 1958.

(Auctor acri subtilique ingenio et iudicio percenset ritum hodie existentem et plura proponit quomodo in melius possit mutari).

J. SEFFER, S. I., *Rechte Gestaltung der Taufliturgie;* in opere: *Liturgische Erneuerung in der Weltmission,* editum ab J. Hofinger et J. Kellner, Insbruck 1957.

P. A. LIEGÉ, O. P., *Das Katechumenat in Aufbau der Kirche;* in opere: *Verkündigung und Glaube,* editum ab Th. Filthaut et J. A. Jungmann, Freiburg i. Br. 1958, 250-270.

(Auctor bene illustrat momentum quod convenit catechumenatui restaurando prout exigitur a conditionibus hodiernis).

VOTUM DE INSTRUCTIONE AD APOSTOLATUM SOCIALEM

(G. Békés)

Cum nemo nesciat tertiam iam partem generis humani sub ditione tyrannica Communismi atheistici vivere eiusque deceptionem utopisticam in mundo quoque libero ita propagari, ut influxus eius etiam inter populos liberos magis in dies crescat, summae videtur necessitatis, ut viri apostolici, sive clerici, sive laici, intensius praeparentur, qui capaces sint non tantum ad erroribus Communismi resistendum, verum etiam ad viam, qua progressus veri nominis obtineri potest, indicandum.

An hunc finem votum nostrum id postulat ut ex una parte problemata hodierna societatis humanae futuris apostolis clare exponantur et fallaces solutiones Communismi detegantur; ex alia parte, ut principia philosophico-religiosa ac socialia doctrinae christianae, quae viam ad solvenda problemata parant, nitide explicentur et viri Ecclesiae, praeter instructionem theoreticam illo quoque sensu iustitiae socialis, humanaeque solidaritatis et zelo apostolico imbuantur, quibus dynamismo revolutionario Communismi resistere animasque ad iustitiam pacemque socialem dirigere valebunt.

1. Inter problemata hodierna societatis in unaquaque communitate nationali centralem locum habet illa distributio bonorum, qua unicuique membro communitatis permittitur ut, pro suo ingenio, facultates suas libere exercere et activitatem suam pari iure in vita communitatis explicare valeat (« democratisatio » societatis).

Problema in campo internationali, mutatis mutandis, idem est, in-

quantum aequalitas iuris non pro singulis personis, sed pro singulis communitatibus nationalibus postulatur, quae pro viribus ingeniisque propriis vitae internationalis pari iure participes esse cupiunt.

2. Communismus atheisticus — sub fundamento doctrinali Materialismi dialectici ac historici — problema ita solvere intendit ut per dictaturam proletariatus proprietatem privatam paulatim supprimens, possessionem terrae et officinarum collectivam vel statalem reddat, sicque sublatis classibus privilegiatis illam societatem atheistico-humanisticam producat, quae ab auctoritate status et religionis emancipata in fruitione bonorum huius vitae beatitudinem suam obtinet. Quae cum omnino utopistica sint, in praxi Communismus populum fallit. Dictatura enim proletariatus ad regimen tyrannicum dirigentium Partis reducitur, possessio autem atque productio bonorum problemata oeconomico-socialia non solvit, immo et aggravat, tandem operarii minore libertate gaudent et magis exspoliantur, quam in regimine capitalistico.

In campo vero internationali emancipatio gentium ab imperialismo coloniali, quae a Communistis omnibus mediis sustentatur, non habet alium scopum, quam populos sic « liberatos » ditioni Partis subicere eosque in systema oeconomico-politicum Moscoviae inserere (imperialismus Communismi).

3. Nostrum igitur esset ut rectam viam indicemus. Munus nostrum certe non est reducendum ad meram refutationem errorum, qui cum Materialismo dialectico ac historico congeniti sunt, uti evolutio vitalistico-spontanea materiae monistice conceptae, evolutio deterministica historiae, despectio valoris ac iurium personae humanae, solutio mere extrinseca problematum socialium per suppressionem proprietatis privatae, fallacia utopistica societatis atheistico-humanisticae, etc. Immo in lucem ponenda sunt a nobis magna principia doctrinae socialis Ecclesiae, uti duplex aspectus aeque essentialis hominis, qui ex natura sua non tantum rationale animal sit, sed et sociale; persona ergo sui iuris simulque membrum communitatis; iura quidem habens personalia simul tamen obligationes sociales, ita ut perfectionem suae personae non nisi in societate obtinere valeat. Ostendatur quoque bonum communitatis praecedere quidem bonum individui, necesse tamen esse, ut commune bonum progressui materiali ac spirituali personae et familiae inserviat, quae propriis iuribus libertatis gaudentes bonum commune non ex coactione externa, sed ex intima persuasione conscientiae promovebunt.

Idem valet, mutatis mutandis, de singulis communitatibus nationalibus, quae propria quidem autonomia frui omnino ius habent, ita

tamen ut fines particulares sibi invicem coaptent, et ex mutua cooperatione bonum et pax totius generis humani resultet.

4. Cum autem pro Communista veri nominis theoria non habeat sensum nisi inquantum in praxi verificatur, et non pauci eorum in servitio propriae causae mirabilem ardentemque ostendant zelum, ne viris quidem Ecclesiae sufficit instructio mere theoretica, si id expectatur ab illis ut de hostibus Christi victoriam reportarent. Unde praeter intensam vitam spiritualem praeprimis opus est ut nostri apostoli vivido sensu iustitiae socialis, humanaeque solidarietatis et amoris fraterni imbuantur, ita ut si casus fert (sicut v. gr. in Hungaria), consortes quoque fieri vitae laborisque operariorum valeant. Sine hoc zelo apostolico victoria sperare vix potest.

« Caritas Christi urget nos... ut, et qui vivunt, iam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est et resurrexit » (*2 Cor.* 5, 14-15).

PONTIFICIUM ATHENAEUM
ANTONIANUM

PONTIFICIUM ATHENAEUM ANTONIANUM

Die 14 maii 1960

Ill.me ac Rev.me Domine,

Eminentissimi et Reverendissimi Domini Card. Dominici Tardini, Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico praesidis, litteris circularibus (d. 18 Iulii 1959 N. 2 C/59-6) obsequendo, Pontificium Athenaeum Antonianum de Urbe studia et vota hucusque praeparata Tibi transmittere gratum habet.

Magnificentiae Tuae Reverendissimae

add.mus

P. Damianus Van den Eynde
Rector Magnificus

I

DE SPIRITUALIS B. V. MARIAE MATERNITATIS DEFINIBILITATE

Preces ad Romanum Pontificem, mariani anni decursu centenarii, die 14 mensis septembris 1954, Mexicanae Ecclesiae miserunt Episcopi ut declarare ac dogmatice definire dignaretur « doctrinam quae Virginem Dei Genitricem Mariam matrem hominum esse veram teneat, in supernaturali gratiae ordine, et a Deo revelatam ac proinde ab omnibus fidelibus firmiter constanterque tenendam ».

Quae vero supplices ad Sanctam Sedem preces prima vice tunc non pervenerant. Iam etenim Supremo Ecclesiae Pastori aliae ex omnibus orbis terrarum partibus pro dogmatica mediationis Virginis Mariae universalis veritatis definitione delatae erant supplicationes. Quam Deiparae praerogativam intime illi spiritualis maternitatis esse coniunctam clare patet.

Pontificium igitur Athenaeum Antonianum traditionis suae gloriosae vestigia premens atque franciscalis theologiae marialis prae oculis habens normam qua Sanctae Dei Genitrici quidquid gloriosius sit, Ecclesiae nisi magisterio repugnet et sacrae non contradicat auctoritati Scripturae, tribuendum putet declaretque, motui pro veritate tanti muneris socialis definienda libentissime adhaeret.

Cuius autem rationes adhaesionis et argumenta minime desunt.

Veritas enim spiritualis omnium hominum Virginis Mariae maternitatis, ex divinae maternitatis atque in opere Filii redemptivo participationis cum oriatur doctrina, tutissimis ac validis nititur fundamentis. Eam Ecclesiae magisterium docet, sacrae testimonium revelationis fulcit, Patrum traditio Doctorumque evulgat, ratio tandem theologica probat.

1

Testimonia Romanorum Pontificum

Nomen quo Maria magis ac pluries consalutetur suavissimum est illud absque dubio maternum.

Iam antiquorum memoria christianorum Novae Hevae viventium matris omnium immo genitricis titulis Maria est insignis. Cuius a

doctrinae studio ac institutione, in dies amplioris, intermissionem numquam Ecclesia fecit.

Cum enim esset Salvatoris mater, servatorum quoque matrem esse Mariam Leo Magnus asseverabat;[1] « gratiae Matrem » ac « pietatis gratiae Matrem » eam Xystus IV[2] et Xystus V[3] appellant; eamque in omnes semper fuisse misericordem firmis Urbanus VIII,[4] Clemens XI[5] et Benedictus XIV[6] probant argumentis.

« Matrem amabilissimam » immo « dulcissimam misericordiae atque gratiae Matrem » cum saepe saepius Mariam Pius IX invocet, huius spiritualis fundamentum maternitatis ex plenissimo B. Virginis cum Christo contra satanam triumpho inferre videtur.[7]

Quo Leonis XIII profundiora ac assiduiora de maternitate Mariae spirituali fuerint praecepta eius monumenta produnt mariana.

Ipse enim tantae spiritualis fundamenta maternitatis quot et qualia essent decrevit ac statuit.

Divina in maternitate qua frater Christus noster factus fuerit prius constituit fundamentum: « Mariae — scribit Pontifex — non aliter, ex eo quod Christi Domini eiusdemque fratris nostri electa est mater, hoc supra matres omnes singulare inditum est, ut misericordiam nobis proderet effunderet suam ».[8]

Alterum in Mariae ad nostram redemptionem auxilio ponit: « Virgo sanctissima quemadmodum Iesu Christi Genitrix, ita omnium est Christianorum mater, quippe quos ad Calvariae montem inter supremos Redemptoris cruciatus generavit ».[9]

Quibus duobus spiritualis Mariae maternitatis cum nitatur fundamentis, omnium salutis nostrum Matrem Mariam renuntiare Filii morientis

---

[1] LEO MAGNUS, *In Nativ. Domini sermo 26* (*PL.* 54, 213).

[2] SYXTUS IV, bulla *Cum praecelsa,* ed. SERICOLI, *Immaculata B. M. Virginis Conceptio iuxta Xysti IV Constitutiones,* Sibenici - Romae 1954, p. 153.

[3] SYXTUS V, bulla *Dum ineffabilia,* 30, I, 1585, in J. BOURASSÉ, *Summa aurea,* VII, Parisis 1866, col. 107.

[4] URBANUS VIII, litt. *Imperscrutabilis divinorum,* 12, II, 1623, in *Summa aurea,* VII, col. 223.

[5] CLEMENS XI, bulla *Commissi nobis,* 6, XII, 1708, in *Summa aurea,* VII, col. 339.

[6] BENEDICTUS XIV, bulla *Gloriosae dominae,* 27, IX, 1708, in *Benedicti XIV opera omnia,* XVI, *Bullarium,* II, Prato 1846, p. 428b.

[7] PIUS IX, litt. apost. *Ineffabilis Deus,* in TONDINI, *Le Encicliche Mariane,* Roma 1954, pp. 42-56.

[8] LEO XIII, litt. enc. *Magnae Dei Matris,* 8, IX, 1892, in *Leonis XIII... acta,* XII, Roma 1853, p. 225; TONDINI, p. 159.

[9] LEO XIII, litt. enc. *Quamquam pluries,* 15, VIII, 1889, in *Leonis XIII... acta,* Romae 1890, p. 179; TONDINI, p. 116.

notis iam verbis « Ecce Mater tua » « Ecce filius tuus » [10] Summus docet Pontifex.

Quorum huiusmodi maternitatis fundamentorum Pontifices recentiores, S. Pius Papa X nempe et Benedictus XV, prioris alteriusque fideles comparate admonent.

Apud S. Pium Papam decimum enim legimus: « An non Christi mater Maria? nostra igitur et mater est... Ita ut Salvatorem habens Maria in utero, illos etiam dici queat gessisse omnes, quorum vitam continebat vita Salvatoris... Unde spirituali quidem ratione ac mystica, et Mariae filii nos dicimur, et ipsa nostrum omnium mater est ».[11]

Istis cum verbis sententiam hac de re Benedictus XV dicit suam: « Liquet item, Virginem Perdolentem... a Iesu Christo universorum hominum mater constituta, eos tamquam infinitae caritatis testamento sibi relictos acceperit... ».[12]

Omnia insuper haec spiritualis Mariae maternitatis principia, quae iam Leonem XIII docentem audivimus sibi quoque Pii XI et XII Pontifices vindicant: in divinae igitur Maternitatis necnon et servatorum saluti cooperationis veritate, eo quod a Christo esset in Cruce hoc statutum et divinae Genitrici in haereditatem traditum, spiritualis Virginis maternitatis firmamentum constitui.

Quis est nunc quem matris nomen non emolliat et tanta cum Genitrice audacter non communicet, eique, dulci cum sit tanto nomine decorata, secreta sui pectoris non aperiat suasque non sententias declaret?

Fideles idcirco qui Virginis in tutelam semper confugerent saepissime instimulavere ac Eam orarent verbis « Monstra te esse matrem — sumat per te preces — qui pro nobis natus — tulit esse tuus » flagranter monuere.[13]

En verba infinita superfluentia spe, quibus mirae suae Encyclicae « Ad diem illum » finem ponit S. Pius Papa X: « Seviat licet procella et coelum atra nocte occupetur; nemo animi incertus esto. Mariae adspectu placabitur Deus et parcet ».[14]

---

[10] Leo XIII, litt. enc. *Octobri mense,* 22, IX, 1891, in *Leonis XIII... acta,* XI, Romae 1892, pp. 304-305; Tondini p. 136; litt. enc. *Adiutricem populi,* in *Leonis XIII... acta,* XV, p. 302; Tondini, p. 222; litt. enc. *Augustissimae Virginis,* 12, IX, 1897, in *Leonis XIII... acta,* XVIII, Romae 1898, n. 286; Tondini, p. 258.

[11] Pius X, litt. enc. *Ad diem illum,* in *Pii X... acta,* I, pp. 152-153; Tondini, p. 310.

[12] Benedictus XV, litt. apost. *Inter sodalicia,* in *A.A.S.* 10 (1918), p. 182.

[13] Hymnus: *Ave Maris Stella.*

[14] Pius X, litt. enc. *Ad diem illum,* in *Pii X... acta,* I, p. 166; Tondini, p. 328.

Viginti tandem saeculorum testimoniis erga filios amoris atque Mariae sollicitudinis in Ecclesiam maternae adductis, Pius XII laudibus Maternum cor Virginis, misericordiae Matris, quae magno animo semper Adami adfuerit filiis, celebrat summis.[15]

2

De revelato materni muneris spiritualis fundamento

Postquam ordinario Ecclesiae magisterio Mariam spiritualem esse vero aliquo sensu Matrem hominum probavimus, quaedam argumenta quibus, de fide quoque divina et catholica haec doctrina demonstretur, ex Sacra Scriptura et Traditione afferuntur.

I. *Sacrae Scripturae testimonia*

Protoevangelium. In prima Geneseos messianica prophetia (*Gen.* III, 15) nonnulla sunt valde perpendenda: auctores, factum, futuri eventus.

Duplicis sunt gradus auctores: priores ruinae, alteri gratiae. Illi (diabolus-Heva) ad ruinam totum genus trahunt humanum; isti (mulier eiusque semen) vitam tradere hominibus dicuntur.

Nunc si inter priores relatio adest, inter posteriores quoque inveniatur oportet. Et revera inimicitiae satanam inter et mulierem, utrumque inter semen, a Deo praedictae usque ad victoriam sese protrahunt: « inimicitias ponam inter te et mulierem, inter semen tuum et semen illius, ipsa (ipsum) conteret caput tuum » (*Gen.* III, 15).

Victor certe fore ut semen fiat vaticinium affirmat; at, unione inter posteriores statuta auctores, etiam mulier, per semen et cum semine, victoriae huiusmodi participat eaque gaudet.

Pater nunc cum sit spiritualis totius humani generis Semen-Iesus ob redemptionem omnibus allatam hominibus, *mater* esse quoque dici debet Maria propter inseparabilem cum Filio suo actionem in primi peccati auctorem.

Calvariae testamentum. In crucis ara Aeterno Patri pro hominibus peccati labe foedatis sanguinem suum misericorditer offerebat Christus. Non tamen hoc in opere salvifico solus.

Iuxta sacrificii altare Mater quoque Christi aderat, quae maternis renuntians iuribus, ardentissimo in Filium et in eiusque mortis aucto-

[15] Pius XII, sermo *Questa viva corona,* in *Discorsi e Radiomessaggi,* II, p. 85.

res amore flagrans, Aeterno Deo immaculatam, pari pietatis ac oboedientiae ardore, salvificam hostiam exhibebat. Qua de re Dei Filii, scilicet capitis, cum esset mater naturalis, diros inter cruciatos, ob Filii mortem maerens, membrorum quoque genitrix facta est spiritualis.

Cui membrorum maternitati, quippe quam, sanctissima in Filii cruentis hora, Virgo meruerit, novam verba Christi, ex cruce prolata, afferunt lucem: « Ecce Filius tuus », « Ecce Mater tua ».

Quid, supremo in illo vitae discrimine, voluit his verbis significare Christus, nisi spiritualem Virginis erga omnes homines maternitatem, eidem discipulum committendo quem vehementer diligebat?

Cum Christi omnia in cruce verba sint efficacitate referta, iure meritoque concluditur veram, his quoque vocibus, etsi spiritualem, sanctae Deiparae erga genus humanum maternitatem ratam voluerit.

Apocalypseos mulier. Duo Ioannea in visione consideranda sunt: triumphus et lucta; triumphus immo ex lucta; gloriae diadema coelestis post laboriosum in draconen certamen.

Cum gloriae solium ex anteactae operibus vitae iam deportavisset mulier, stellarum visa est redimita fulgore. Et haec sufficeret visio!

Mulierem hanc esse Filii Dei Matrem constans tenet exegetica traditio; quapropter, quamvis beatitudine iam fruatur, nondum est tamen expers dolorum. Partu laborat sane mystico: omnium videlicet hominum, qui cum caelestem adhuc non sint patriam assecuti, eo quod virtutum supernaturalium igne languidi, continuo fore ut, materna Virginis caritate quae numquam illos deserere potest, ad Dei gloriam gignantur.

Nunc si in protoevangelio Maria, tamquam seminis triumphantis genitrix cum eo est coniuncta certamine, et consequenter illius est de peccato ceterisque consectariis particeps victoriae; si, in suprema mortis hora, summo Calvariae loco, Christo est Virgo praesens, tamquam humana divini Filii sacrificii tenerrima oblatrix, quapropter ob ultima Christi voce humanum ei — Ioannis persona designatum — est concreditum genus, ut illud in filium susciperet; si in caelis quoque gloriosa Virgo, quasi in utero adhuc gestans, caritate atque sedulitate, filios in lacrimarum deambulantes valle, ad aeterna gignere gaudia videtur, haec, procul dubio, spiritualis eius maternitatis indicia sunt.

II. *De traditionis testimoniis*

Auctoritate sacrae Scripturae innixi Patres, inde a priscis Ecclesiae temporibus, spiritualem divinae Genitricis maternitatem affirmant, fidelesque erudiunt.

Tot inter Patres scriptoresque ecclesiasticos eminent Ephraem, Epiphanius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Cyrillus Alexandrinus,

quibuscum spiritualis maternitatis doctrina, in scriptis saeculi II et III Patrum, Iustini nempe, Irenaei, Tertulliani, Origenis indirecte iam notata, quippe qui Novam Hevam vitae fontem spiritualis Mariam indicent, aliquatenus enunciatur.

Verba sufficiant S. Ephraem qui Mariam omnium parentem salutat, per quem omnibus sanctitas, una cum honore et gloria, derivatur, sicut antea iam derivata est, et in posterum derivabitur; [16] sat sancti Ambrosii cogitatio sit, qui salutis Matrem vocat Virginem; immo omnium gratiarum imbrem, qui, ipsa Filii Dei cum sit Genitrix, semper erit redundans; [17] satis Epiphanii cogitatum evadat, qui ipsius vitae fontem dicit Mariam, quam, cum Vitae Genitrix sit, eum in mundum introducendo, omnium Mater facta est viventium.[18]

Alia quoque non minoris momenti extant Patrum testimonia.

Mariam omnium esse spirituum fidelium salvatricem S. Cyrillus Alexandrinus enuntiat.[19] Per eam genus servatum esse humanum ac bona adeptum esse sempiterna testatus est S. Modestus Hierosolymitanus.[20]

Testimoniis Patrum illa theologorum accedunt. Et innumeri, nostris quoque temporibus, inveniuntur doctores, scriptores sacrarumque scientiarum cultores qui beatissimam Virginem Matris omnium spiritualis titulo ornent atque sacrent.

III. *Theologica ratio*

Virgo sanctissima Christi, gratiae et vitae pro omnibus auctoris, Mater est, eo quod eum, salva virginitate utpote supernaturali foecundata virtute, concepit ac genuit, aluit atque usque ad eius obitum materna in eum iura servavit.

Post autem vitae suae cursum, in qua meritorum fuit locupletata cumulo, cum ad caelum evecta esset gloriosa, materni quoque muneris erga Filii sanguine redemptos initium fecit.

Caelestis igitur hominum constituta est advocata, quae beneficia obtineat, detque omnibus gratias.

At cum Christi gratia homines sic vivant ac renascantur ut Filii Dei nominentur atque sint; has ob rationes Maria, cum huiusmodi sit gratiae

---

[16] S. Ephraem, *Sermo de SS. Virginis laudibus,* Assemmann, III, 532.

[17] S. Ambrosius, *De Instit. Virg.,* c. 13, nn. 81-86 (*PL.* 16, 339-340).

[18] S. Epiphanius, *Adv. Haer.,* c. 3, haer. 79 (*PG.* 42, 727).

[19] S. Cyrillus, *Homilia 11* (*PG.* 77, 1034).

[20] S. Modestus Hyeros., *Encomium in B. Virginem* (*PG.* 86, 3306).

vitaeque Mater et impetratrix, vitae quoque nostrae spiritualis dicenda est Mater.

Nunc quia veritates ad divinam relate gratiae auctoris maternitatem, necnon ad mirum relate harum gratiarum effectum sunt de fide, prout magisterio ordinario et universali Ecclesiae doctrina probatur; logice doctrinam, quae Mariam hominum matrem teneat spiritualem, esse implicite in supradictis revelatam praemissis dicamus oportet.

II

DOCTRINA QUAE TENEAT MARIOLOGIAM ET MARIALEM ECCLESIAE CATHOLICAE PIETATEM POTIUS ESSE IMPEDIMENTUM QUAM AUXILIUM AD CHRISTIFIDELIUM UNITATEM OBTINENDAM FALSA ESSE DECLARATUR

Ecclesiae Catholicae alacritas pro filiorum procul aberrantium reditu vehemens semper fuit ac continua, etsi doctrinalibus vel aliis ob causis illi maternum eius dereliquerunt sinum. Difficultatem tamen magnam, intrinsecis vel extrinsecis rationibus, semper reditus iter habuit.

Intrinsecas inter difficultates fidelium erga Dei Genitricem eminet pietas, quam inde a superiore saeculo vividiorem esse omnes norunt.

Etenim nedum et fratres extra Ecclesiam viventes, data occasione, concertativas movent accusationes, sed catholici quoque viri, in recenti oecumenico motu, praecipue tantae huius erga Dei Matrem pietatis causa, haesitant ac dubia mente feruntur.

Sancta ergo Dei Genitrix, miris ac divinis ornata privilegiis, et eorundem accurata investigatio, qua cultus in dies augetur, viam ad omnium Christi cultorum unionem expeditiorem an difficiliorem reddunt?

Huiusmodi quaestioni quae, oecumenico imminente concilio, cum idonea ac necessaria iudicetur, sedulum feratur responsum oportet; ad quem laborem verba quibus Iesus Christus, ultimo vitae suae die, credentium unitatem vehementer exoptavit, omnes impellunt.

Terminis igitur claris atque dilucidis quaestio ponatur ut sub infallibilis Ecclesiae luce doctrinae, qualis Mariae in Ecclesia sit locus, qualeve opus exerceat maternum videatur, atque spes, difficultatibus bono animo compositis, ad placidum mutuumque propositum perveniendi, non irrita tandem affulgeat.

1

Utrum B. Virgo ad oecumenicum motum incitamentum sit

Omnium unioni fidelium Virginem Matrem non obstare, sed huiusmodi unionis efficacius potius suaviusque esse intrumentum Ecclesia catholica semper docuit.

Quod ex recentium summorum doctrina Pontificum omnino elucebit.

Materno Virginis Immaculatae interventu errantium ad sinum Ecclesiae, in iustitia et sanctitate, Pius IX reditum cupit;[1] in omnipotenti eiusdem intercessione fore ut schismata inter christifideles finem habeant, omnesque ad fidei redeant unitatem, spem Leo XIII vivam alit; non paucas hoc de argumento encyclicas marianas sollicitudinibus huiusmodi apostolicis redundantes,[2] summum hunc Pastorem scripsisse constat; ad quam deinde cum Christo gentium unionem neminem esse Virgine aptiorem,[3] Pium X sollemniter docuisse liquet; tamquam anulum insuper orientales inter et occidentales christianas gentes Dei Matrem sedulo indicavisse [4] Pium XI ex litteris *Ecclesiam Dei* et *Lux veritatis* encyclicis apparet; mysticum tandem Christi corpus unum efficiendum « visceribus Virginis ope maternis erga omnia illius augusti Corporis membra » [5] Pius XII apprime suadet.

Pastor immo iste immortalis memoriae Virginem Matrem, sive nuntiis radiophonice missis (Bendito seja o Senhor) sive encyclicis ad rem aptis, tamquam summum supernaturalis lucis verticem quo omnes confluant gentes, enixe ostendit.[6]

Quid vero de sedula erga tantam Dei Genitricem fiducia ac summi regnantis Pontificis pietate dicendum?

Cum oecumenicum concilium Ioannes XXIII indixisset, illud sub Virginis Mariae posuit tutela, quod florens virtutum cuiuscumque speciei

---

[1] Pius IX, litt. apost. *Ineffabilis Deus,* 8 dec. 1854 in *Pii IX Pontificis Maximi Acta,* I-1, Romae (1854) 617.

[2] Leo XIII, litt. enc. *Adiutricem populi,* 5 sept. 1895 in *Leonis XIII Pontificis Maximi Acta,* XV, Romae, 1896, 305-306.

[3] S. Pius X, litt. enc. *Ad diem illum,* 2 febr. 1904, in *Pii X Pontificis Maximi Acta,* I, Romae 1905, 151.

[4] Pius XI, litt. enc. *Ecclesiam Dei,* 12 nov. 1923, in *A.A.S.* 15 (1923) 581-582; litt. enc. *Lux veritatis,* 25 dec. 1931, in *A.A.S.* 23 (1931) 513, 515.

[5] Pius XII, const. apost. *Munificentissimus Deus,* 1 nov. 1950, in *A.A.S.* 42 (1950) 769.

[6] Idem, litt. enc. *Fulgens corona,* 8 sept. 1953, in *A.A.S.* 45 (1953) 590-591.

christianarum abundantia pro nostris quoque fratribus — inquit — ac filiis qui huic Nostrae apostolicae Sedi non obtemperarent, invitamentum atque incitamentum evaderet.[7]

Quam ob rem omnes iussi sunt totius orbis terrarum christifideles — catholici, christiani dissidentes — misericordem coeli Reginam precari ut tam mira unitas sanctae eveniat Ecclesiae: « Neque aliud quidquam — Leo XIII scripsit — Mariae gratius acceptusque fuerit, utpote quae Christo maxime coniuncta, maximopere id cupiat et velit ut qui uno eodemque donati sunt eius baptismate, una omnes eademque fide perfectaque caritate cum ipso et inter se cohaereant ».[8]

Comunis igitur ac continua est Ecclesiae doctrina qua beata Virgo optimus consalutetur terminus quo praestans et spirituum ingens motus unum ovile sub unius Pastoris persequentium regimine concurrat.

2

Interponiturne Maria quominus oecumenica actio habeatur

An constans hic atque florens mariologiae catholicae progressus est qui, una cum maiore erga sanctam Dei Genitricem pietate, insuperabile fere impedimentum constituat, in quod omnis oecumenici motus spes infringatur.

Qua de re eandem fere habent opinionem, quamvis in nonnullis discrepent, « orthodoxi » aeque ac protestantes. Priores enim omni unionis conatui progressus Ecclesiae catholicae obicere solent doctrinales; alteri vero ut aliqua admittatur possibilis inter partes compositio, posse fieri ullo modo vident: mariologiam quidem catholicam aliquo modo idololatriam sapere dicunt.

Quibus principiis saeculorum decursu conciliatrix experientia omnimode viguit!

Cum veritates mariales in Ecclesia catholica ab origine ignotae, dogmatico verbo essent definitae, quidquid ad concordiam spectet impossibile est.

His vocibus Leo XIII Antimum Constantinopolitanum Patriarcham loquentem audivit cum, saeculo labente superiore, appulsum quemdam ad orthodoxam efficere Ecclesiam voluit.

Principio nixus iuxta quod veram dicendam esse Ecclesiam quae

---

[7] IOANNES XXIII, ep. enc. *Grata recordatio,* 26 sept. 1959, in *A.A.S.* 51 (1959) 678.

[8] LEO XIII, litt. enc. *Fidentem piumque,* 20 sept. 1896, in *Leonis XIII Acta,* XVI, Romae 1897, 287.

« septem Conciliis oecumenicis » fulciretur, Constantinopolitanus Patriarcha observabat « Ecclesiam papalem adhuc innovavisse, quadraginta vix ante annis, novum dogma Immaculatae Virginis Mariae cum definiret, quod antiquae esset ignotum Ecclesiae ».[9]

Cum idem nunc Protestantes catholicae Ecclesiae obicerent, ne hypotheticum quidem compositionis tentamen admittunt.

Apud Maury enim, in opera « Le protestantisme et la Vierge Marie » inscripto, legitur: « Constans doctrinae et marianae incrementum pietatis obstaculum esse videtur pro nostra christiana conscientia inexsuperabile non solum relate ad unionem sed etiam ad verum ac grave eiusdem unionis tentamen cum Ecclesia romana sive quoad doctrinam sive quoad cultus pietatisque manifestationes ».[10]

Attamen istae ad Virginem spectantes dogmaticae duae veritates diverticula contra unionem cum catholica Ecclesia sectatoribus Photii ac Lutheri tantum dant: *altior causa est qua utrique verae Ecclesiae absolute dissentiant.*

Ad duo redeundum est, etiamsi diversa principia, quibus suum utraque confessio theologicum elaborat systema.

Etenim septem post oecumenica priora concilia, dogmaticae doctrinae arbitrari incrementum, iuxta orthodoxae Ecclesiae sententiam, non licet; opinione vero Protestantium admissa, praeter sacrae litteralem Scripturae interpretationem aliam proferre revelatae doctrinae fontem omnino nefas est.

Utroque in casu, uti liquet, de iisdem agitur ecclesiologiae dogmaticae atque revelationis fontium principiis: ecclesiologicae ergo non mariologicae quaestiones hos illosque ab Ecclesia catholica dividunt.

Quomodo nunc erroneum sit de doctrinae loqui novitate circa Immaculatae Conceptionis atque Assumptionis dogmata, omnibus compertum est. Denuo illa dicere recenter revelata aut verba de illis sacram Scripturam numquam (implicite vel virtualiter) facere falsum est.

Cum veritas quaedam a suprema Ecclesiae auctoritate tamquam fidei dogma definitur, illa, utpote revelata, ab omnibus credenda proponitur.

Huiusmodi vero revelationis declarationem historicis fulciri argumentis, universali Ecclesiae sustineri fide, implicitis sacrarum Litterarum firmari quoque testimoniis, quae tamen exegetarum Patrumque cum

---

[9] Cf. Le Bachelet X, *Immaculée Conception,* in *Dictionnaire de théologie catholique,* VII-1, Paris 1927, 1211.

[10] Maury P., *Le protestantisme et la Vierge Marie,* Paris 1950, 27.

interpretatione, ipsius Ecclesiae ordinarium et extraordinarium comprobaverit magisterium, omnibus notum est.

Longum certe iter sed continuum ac, in dies, securius unius eiusdemque veritatis quae, cum esset ab initio obscuris fortasse primordiis atque dubiis involuta, paulatim ad clariora ac gradatim firmiora pervenit elementa, quibus via ad certitudinem sternitur absolutam.

Quod infallibili Spiritus Sancti effici gratia omnes norunt; immo idem veritatis Spiritus, cum ab ipso Fundatore esset Ecclesiae promissus, temporibus sibi soli notis, lucem, iuxta divinae Sapientiae placita, largitur necessariam ad veritatum intellegentiam *implicite vel obscure* fidei depositio commissarum.

Qua de re ad illa tantummodo septem priorum oecumenicorum dogmata Conciliorum restringere, ut « Orthodoxi » opinantur, hoc idem sonat ac ipsam comprimere revelationis oeconomiam.[11]

Ceterum hac in revelationis oeconomia scripturisticum utriusque supradictae veritatis constitutum est fundamentum.

Si enim Protoevangelii mulier, semini suo coniuncta, tam peccati auctori semper infensa ac inimica fuit ut omnino de illo triumpharet;[12] — explicita haec est, etsi obscura, gratiae ministerii revelatio —; si in virginali Iesu conceptione Maria « plena gratiae » ab Angelo salutatur;[13] si a consobrina, cum eam salutaret, Virgo « benedicta inter mulieres » praedicatur,[14] omnia haec eiusdem veritatis tempore progredientis dicenda sunt elementa.

Ex istis dein scripturisticis primordiis Patrum exegesis, summorumque doctrina Pontificum necnon et theologorum elucubrationes ipsaque fidelium pietas tantam deduxerunt Virginis sanctitatem, illasque gratiarum collegerunt divitias, ita absolutum eiusdemque in mortem eruerunt dominium ut, infallibili atque sollemni Ecclesiae Pastorum auctoritate, fulgentibus excelsae Dei Genitricis caput coronis ornarent.

Quae *minime sunt veritates novae*; at, prout liquido perspicitur, *expletiores* eiusdem veritatis formae!

Contra omne igitur cum Protestantibus reconciliationis tentamen mediationis Virginis Mariae doctrina patenter stat.

Sunt qui — Barth duce — eam praecipuam totius theologici systematis catholici clavem teneant;[15] non desunt autem qui Mariae media-

---

[11] Cf. SOLOVIEV W., *Les fondements spirituels de la vie,* Bruxelles 1932, 189.
[12] *Gen.* 3, 15.
[13] *Lc.* 1, 28.
[14] *Lc.* 1, 42.
[15] BARTH H., *Dogmatique,* vers. gall. F. RYSER, Genevae 1954, 132.

tionis opus Christi gloriam perfecti Mediatoris, validis sacrae Scripturae textibus comprobati, praestringere dicant; [16] et reperiuntur tandem qui, supradictis innixi rationibus, non solum omnem redemptionis operi participationem Virgini negent, sed illicitum etiam cuiuscumque speciei cultum declarent, idololatriam immo catholicae Ecclesiae clament.[17]

Sed in verborum controversia contentio posita est. Christum enim *perfectum* esse Mediatorem, cui *soli* omnis honor et gloria tribuenda sit, doctrinam esse non a Protestantibus inventam sed a sacra Scriptura saepissime repetitam, quam insuper fideles formaliter docuerit Ecclesia, necnon et quam omnes instruxerint theologi neminem latet.

Attamen haec quidem Mediationis Christi perfectio catholicis theologis occasionem praebuit ad sanctissimae eiusdem Genitrici quidquid excellentius esset humanae creaturae, nisi cum revelata pugnaret veritate, tribuendum.

Cum igitur eadem maneant salva principia, nemo negat catholicum systema magis logicum extare magisque amplitudine decoratum apparere.

Ex ipsa immo Immaculatae Conceptionis defensione hoc principium, iuxta intuitivam Ioannis Duns Scoti sententiam, quam patefactum fuerit fere omnes experti sunt. Quo insuper principio summus quoque usus est Pontifex Pius XII cum ad caelos beatam Virginem anima et corpore ascendisse sollemniter sanciret.

Verba dein de Mariae mediatione facientes, insufficientem, ut ita dicamus, mediationem Christi fuisse absolute negamus; *superabundantiam* potius meritorum atque elargitionis affirmamus: *non iure* — aliis verbis — *sed gratia Christi* in Almam factam esse sociam Mariam.

Tam profundam gratiarum abyssum cum Verbum Patris humanam assumpsisset ex mulierem carnem si quis investigare mavult, totius catholicae mariologiae necnon et omnium pietatis marianae rituum queat habere rationes.

Cuius obiectivae veritatis inquisitionis quam summum sit pro auspicata unione momentum, quoniam peritissimis coram doctoribus loquimur, docere verbis non debemus.

Nec signa, quae tempora praesignificent feliciora minime desunt.

---

16 *1 Tim.* 2, 5.

17 Cf. LOEVENICH W., *Der moderne Katholizismus*, Witten 1955, 77.

3

Oecumenici fermentum motus cur sit Maria

Unionis denuntiatio non parvi facienda ex accuratiore ipsius Reformatoris operum studio datur. Ex his enim Mariam peculiari luce, quae ipsi divina conveniant maternitate, circumdari infertur.

Utrum aliquid maius quam illam Dei Genitricem praedicare quis dicere possit, ignoro.[18] Quae verba Lutherus, quamvis axiomati scripturistico atque christologico — *sola Scriptura, solus Deus!* — firmissime adhaereret, de Virgine libris commisit.

In scriptis quoque Zuinglii [19] vindices virginalis Mariae maternitatis adsint confirmationes neminem qui ignoret hominem esse, arbitror; idem sentire Calvinum ex eius scriptis colligere unicuique fas est.[20]

Originum studio suarum non solum dissiti incumbunt fratres, sed etiam catholicae indulgent scientiae veritatis; qua in re, laborem, ultimis vere temporibus, assiduiorem, magis praeiudiciorum expertem, quem conscientiarum circumspexerint ductorem, eos posuisse constat.

Quos inter labores, Virginis argumentum prius potiusque fuit; sed mariologiae catholicae cognitio, erroribus foedata, scopulus est quem communis doctrinae tentamen offendit.

Hinc inde tamen animosi gestus modusque inveniuntur.

Scriptores protestantes, Max Thurian enim et Hans Asmussen, necnon et nonnullos anglicae Ecclesiae theologos tenuisse aliquando catholicae theologiae vestigia asserere iustum est: immo non paucas esse doctrinales quaestiones quas in lucem veritatis protulerint, multaque capita quae in rectum retulerint pariter aequum est affirmare.

Unici Mediatoris doctrina non impedit quominus in Ecclesiam aliquis redeat veram: nunc amplissimum mediationis gradum Maria adipiscitur; nunc et Sanctorum quoque memoria non est obscurata; [21] evanuit nunc apud bonae voluntatis protestanticos viros idolatriae nota qua infamiam Ecclesiae inurere catholicae conati sint; et ipsi quidem mediationis Mariae necessitatem praedicant liceitatemque defendunt.

Matrem inter et Filium, Christi inter opus et Virginem relationibus

---

[18] Cf. D. M. Luthers Werke, ed. Weimar 1883, VII, 572.

[19] Zuingli H., *Opera omnia,* VI, pars I, 204.

[20] Cf. Hamer J., *Marie et le protestantisme à partir du dialogue œcuménique,* in *Maria* (H. Du Manoir), V, Paris, 1958, 989.

[21] Thurian M., *Mariology* (d) *Reformed,* in *Ways of Worship, The reported of a Theological Commission on Faith and Order,* London 1951, 323.

firmissimis nemo est qui obstet.[22] Doctrinae huic catholicae fides tandem tribuitur quae utinam ab omnibus citissime amplectatur!

Asserit sine ulla dubitatione Thurian mediationis praeter illam Christi negationem, illius quoque per ipsum et cum ipso habitae, ad ipsius Christi mediationis ducere negationem.[23]

Solitariis testimoniis collectivae assentiunt voces et magni sunt momenti quae edicto, cui nomen est « Über alles die Wahrheit » Dresdae impresso, lutherani significanter evulgant.

Quin minime haesitent cultum Mariae praestitum inde ab Ecclesiae origine et qui numquam, labentibus saeculis, exaruerit, cui insuper vigorem in dies firmiorem Lapurdi ac Fatimae habitae auxerint apparitiones, legitimum praedicant.

Edicti immo compilatores ulterius progressi sunt. Prodigiis Apparitionum notatis, curationibusque perpensis in apparitionum templis effectis, ipsum ponunt mariologicum problema: « quae vis — in edicto scriptum est — his subiecta mirabilibus relate ad salvificam Dei oeconomiam videre oporteat ».

Et mirum huic quaestioni datur responsum: istarum significatione supernaturalium vocum totum excutere Protestantium mentis habitum necesse esse, quo historiae cognoscatur momentum et Dei Mater in Evangelicam denuo intret Ecclesiam.[24]

Uberius tandem doctrinali luce inter Protestantes extat argumentum: *animorum scilicet cruciatus.*

Maria indigere omnes, etsi latenter hoc advertant, Protestantes confessi sunt; et omnes agitari ut, diva favente Genitrice, efficiatur Ecclesiae unitas, agnoscunt.

Quo facilius affectent propositum, plures non solum votis supplicationibusque ad Deum confugiunt, sed haec etiam ad Virginis instar, qualem Evangelium praebeat, sollicite fundunt.

Quapropter de Protestantium gremio, cum Desolatam Virginem tamquam vitae exemplar religiosae constituerent, quippe quae Filii morientis totius humani generis, sanguine eius redempti, supernaturalis haereditatem accepisset maternitatis, aliquot ante annis, nova familia, floruit.

Quae beatae Virginis necessitas plurium animos Protestantium pervadens, ad totam eiusdem pertinet vitam: quot ergo « sorores » in novam cum convenirent vitae disciplinam, oecumenicoque optent favere mo-

---

[22] ASMUSSEN H., *Maria, die Mutter Gottes,* Stuttgart 1951, 49-51.

[23] THURIAN, *op. cit.,* 313.

[24] Cf. *Über alles die Wahrheit,* in *Una Sancta* 11 (1956), 88-92.

mento, quidquid Virgo in Annunciatione senserit et in Filii passione passa fuerit, ad hoc animos continuo intendunt.

Cuius tanti spiritus valor ex sequenti sane intelligitur testimonio: « Ad Christum, suum Dominum accedat Christianus, divinam pectore aperto et animo soluto humiliterque sicut Virgo, vocem intendens.

Illud verbum " Ecce ancilla Domini, fiat mihi sicut verbum tuum " quod, cum ex Virginis ore prolatum fuisset, unum constet creaturae esset proprium, fideliter repetet.

Cum hominum sensus Virginis illis pares fuerint, cumque angelico nuntio Virginale responsum in fidelium cordibus tacite resonuerit, tam altum ac dictiosum silentium, quod tamen Virginis vox direxerit atque dominaverit, ad Aeterni supplex inclamabit thronum Unio tunc Spiritus Sancti gratia iterum efficietur ».[25]

Reditum igitur quotquot viri in melius mutati Virginis ope ad sinum Ecclesiae peregerunt.

Quod tam lene ac tacitum opus fuit, quod Frida Dierholf degustaret quae, germanica natione, celeber cum esset cantatrix, seraphicam divae Clarae vestem suscipiebat? Quid non sensit maternum Irma Bassi ex Pannoniae oriunda regione? Quid non Douglas Hyde in Statuum Foederatorum Americae terris natus? [26] Newman denique, omnibus superatis obstaculis, cum adhuc propter Virginis cultum in Ecclesiae catholicae ingressu fluctuaret, eiusdem amore se victum fuisse Virginis affirmat.[27]

Protestantium igitur testibus Virginem adesse in itinere ad Christum dicentibus fidem adhibere consentaneum est.

Quemadmodum illa fuit quae hominibus redimendis Filium Dei redemptorem offerret, ita ipsa est quae cum, Deo sic volente, *Redemptoris Socia* et omnium gratiarum per Christum promeritarum Mediatrix facta esset, Christifideles omnes, etsi inter se dissentientes, ad primaevam Ecclesiae a Christo fundatae unitatem reducat.

Mater cum sit Capitis, membrorum quoque esse genitricem negare absurdum est.

Pontificum igitur doctrina, veri catholicae theologiae progressus, constans fidelium pietas, qua credentes Virginem colant, et in quam fratres quoque separati propendant, ad omnium Christianorum unionem

---

[25] Cf. Villain M., *Introduction à l'œcuménisme,* Paris 1958, 147.

[26] Cf. Capanaga V., *La Madonna nella storia delle conversioni,* Roma 1953; Grasso D., *La Vergine nelle conversioni contemporanee,* in *Virgo Immaculata* (Acta Congressus Mariologici-Mariani, Romae anno MCMLIV celebrati, XIII), Romae 1957, 37-47.

[27] Cf. Newman J. H., *Storia delle mie opinioni religiose - « Apologia pro vita sua »,* Placentiae 1909, 164.

— unus ac logicus et veritatis revelatae auspicatus epilogus — adducunt Virginem, Matrem unitatis, Ecclesiae Matrem quoniam Mater est Christi.

Quod ut securius et tutius obtineatur et ne fratribus separatis occasio praebeatur universam Ecclesiam catholicam calumniandi: dum devotio et cultus, scientia ac pietas marialis promoventur, quidam abusus et exaggerationes in nonnullis regionibus, qui potissimum nunc occasione sic dictae « peregrinationis » B. V. de Fatima, et interpretatione quarumdam revelationum privatarum, manifestantur, omnino arcendi sunt.

III

DE DIEBUS B. VIRGINIS FESTIS

Honores Virgini Matri aliisque fidei martyribus atque propugnatoribus deferre inde ab Ecclesiae origine christifideles noverunt; sed Sancta Dei Genitrix ceteris cum praefulgeret, ingens habere incrementum statim coepta est.

1. Non paucos igitur dies festos mariales kalendarium Ecclesiae universale numerat, quorum septem, vitae Mariae cursum respiciunt, magnaque antiquitate pollent; sex voti gratia vel pietatis imperati sunt; tres aliquam Virginis complectuntur ideam.

2. Quae Virginis vitae curriculum sequuntur, primum, in romana liturgia, festorum Virginis cyclum efformantes, hoc ordine inveniuntur: Nativitas, Annuntiatio, Purificatio, Assumptio.

3. Tria insuper sacra, medii aevi tempore, huic sunt adiuncta cyclo; festum scilicet Immaculatae Conceptionis, Visitationis et B. Virginis Praesentationis.

4. Recentioribus vero temporibus quaedam inditae sunt festivitates sive ob particularem unius alteriusque Ordinis Religiosi pietatem, sive in gratiarum actionem pro nonnullis a Virgine acceptis beneficiis.

En series: Festum SS. Rosarii, Mariae Nominis, Septem B. V. Mariae Dolorum (feria VI hebdomadae Passionis et die 15 mensis septembris), B. V. Mariae de Mercede Redemptionis captivorum, B. V. de Monte Carmelo, B. Virginis ad Nives.

Alia quattuor, nostro autem tempore, sacra statuta sunt, nempe: B. V. Mariae Lapurdensis, Maternitatis divinae, Immaculati Mariae Cordis, B. V. Mariae Regalitatis.

5. Missale Romanum plus quam viginti Missas exhibet B. V. Mariae proprias *pro nonnullis locis*. Tales inter festivitates exstant: Auxilii

Christianorum, omnium Mediatricis gratiarum, gratiae Matris, B. Virginis de perpetuo succursu, misericordiae Matris, peccatorum Refugii, infirmorum Salutis, Divini Matris Pastoris, Divinae Matris Providentiae, B. V. Mariae Patrocinii, Reginae pacis...

6. At dies festi pro universali assignati Ecclesia generatim aut eventus vitae eius chronologicos celebrant (Nativitas...) aut personalia commemorant privilegia (Immaculata Conceptio...), et nullam habent *directam* Virginis *socialis muneris* denotationem. E contra, specialia uni alterive loco cum agantur sacra, evidentior illa Virginis socialis apparet missio. (Apparitio v. g. Lapurdensis, B. V. de Mercede, Rosarium, B. V. Cor, B. V. Regalitas, etc.).

Nullum vero est Virginis sacrum quo eius spiritualis maternitas et consequenter sociale eiusdem munus celebretur; neque festivitates, prout nunc prostant, ullam exhibere adaequatam relationem fatendum est sive circa obiectivam sive circa subiectivam redemptionem, de qua praesertim Summi, memoria nostra, Pontifices diffuse locuti sint.

7. In Missali dein Romano, ut ante diximus, inter dies festos pro Ecclesia universali assignatos, *bis* septem Dolorum B. V. Mariae sacrum occurrit: et quidem feria VI post Dominicam Passionis et die 15 mensis septembris.

Ambarum Officium festivitatum revera dissimile est; at non missarum textus. Utriusque enim sollemnitatis Missarum partes, parvis variationibus — et quidem nullius momenti pro prima oratione et graduali — exceptis, *eaedem* omnino sunt!

Nemo nunc est qui utramque festivitatem saeculo XVII antiquiorem non esse, illamque immo mense tantum septembri anni 1814 statutam et ad universalem Ecclesiam extensam ignoret.

8. Praesentationis B. V. Mariae festum romana liturgia, tempore medii aevi, de oriente assumpsit; eam Xystum IV, die 12 iulii 1442, ad universam extendit Ecclesiam; at festum, testimonio apocryphi Protoevangelii Sancti Iacobi cum niteretur, a Pio V Pontifice Maximo, vetitum est, paulo post a Xysto V iterum reassumendum: quod unus igitur figit, alter refigit! Et pro nonnullis hoc valet festis.

9. Per liturgicum tandem cursum sacra, singulis mensibus, haud aequaliter dispertita sunt. Etenim, augusto mense, dies festi enumerantur quattuor, diebus scilicet: 5, 15, 22, 31; mense septembri, sacra denuo percensentur quattuor, diebus nempe: 8, 12, 15, 24; sollemnia, octobri mense, numerantur duo, diebus videlicet: 7, 11.

Adventus dein tempus, quamvis mariali cultui, hodierno vocis adhibito sensu, dicatum aperte non sit, tamen Beatam Virginem, cum Incar-

nationis, id temporis, proponatur mysterium, in fidelium cogitationem saepissime revocat.

Quae cum ita sint, aliquam festorum lationem ad hoc Patrum Collegium referre liceat:

a) *Festum Septem Dolorum pro tota Ecclesia sufficiat unum; alterum cum festo permutetur quod relationem ad sociale Virginis munus dicat* (Maternitas spiritualis, Mediatio omnium gratiarum, Alma Socia Christi Redemptoris).

b) Utrum conveniat an non ut festum pietatis gratia vel peculiari alicuius Ordinis Religiosi voto, nostris inditum temporibus, ab Ecclesia universali celebretur?

Item de Praesentationis festo, utpote apocryphis innixo testimoniis, dicendum videtur.

c) Utrum iudicetur opportunum an non ut Maternitatis divinae festum cum illo Annuntiationis in unum componatur, quod deinde, ad superioris ritum classis evectum, tamquam festum pro universali Ecclesia obligatorium ad eorum qui in communem caelestem Matrem glorientur, omnium unitatem obtinendam declaretur?

IV

DE CONTROVERSIA CIRCA B. V. MARIAE MORTIS EVENTUM

De dormitione B. V. Mariae, saeculo IV, inquisitionem S. Epiphanius *historicam* instituens, mortis testimonia deesse affirmat. Sanctus vero Modestus, episcopus Hierosolymitanus, saeculo VII, de eadem agens quaestione mirabatur valde quod « qui in Christi Dei nostri Ecclesia Spiritus Sancti gratia magistri ante nos constituti », vel potius eorum successores, hanc rem silentio omnino praetermisissent. « De veneranda eius dormitione — en Sancti Episcopi verba — nescio quia ab iis nihil est proditum nec eorum posteri de ea quidquam exposuerunt ».[1]

Attamen saeculorum decursu nemo est inventus usque ad epocham modernam qui B. Virginis mortis factum *explicitis* negaret verbis. Quae negatio, saeculo XVII, omnino respuitur ac oblivione deletur.

Verumtamen auctor quidam, natione hispanus, S. I. Alumnus, in opere usque ad paucos ante annos inedito, Virginis mortem negavit. Hoc, saeculo XIX, Dominicus Arnaldi multis defendebat argumentis,

---

[1] MODESTUS HIEROSOLYMITANUS, *Encomium in Dormitione S. D. N. Deiparae* (*P. G.* 86-II, 3279).

cuius in sententiam plerique Italiae et Germaniae doctores acriter increpuere. Non defuerunt tamen qui eam secuti fuerint.

Assumptionis autem veritate a Pio XII dogmatice definita, Dei Genitricis immortalitatis defensores, hic inde vocem levaverunt, eo quod, argumentum cum deesset *historicum,* atque mortis *traditio historica* in apocryphorum niteretur assertis necnon et in pseudo-Dionysii fundaretur declaratione, omnino eius valor infirmus est.

Quia insuper mors, revelatione testante, peccati est poena, immortalitatis instant fautores. Cum igitur Virgo a peccati eiusdemque fuerit consectariis exempta — quod est de fide —, eam mortis quoque, quippe quae peccati sit punitio, esse expertem autumant.

Hanc sententiam scandalum Ecclesiae sonare « orthodoxae », quae usque in praesens *koimeseos* festum agitet, cuique praebeat offendiculum ob innovationes catholicam impugnandi Ecclesiam saepe saepius audimus; eamque insuper solido carere fundamento, traditionali immo contradicere magisterio Ecclesiae quae *conresurrectionem* Mariae gloriosam continuo docuerit, in similitudinem gloriosae Filii eius resurrectioni, omnibus patet.

* * *

Quo tam agitata lis clarior evadat, in accurata *Traditionis dogmaticae* notione figere cogitationem oportet.

Primo veritatum complexum *Traditio* significat divinitus Ecclesiae transmissum ab origine oraliter, postea apostolorum scriptis, aliis verbis « traditio scripta et oralis ».

Secundo « traditionis » nomine quidquid complectitur, praetermissis scriptis, primitiva Ecclesia orali via acceperit.

Tertio hac sub designatione depositum ipsum intelligitur revelatum quatenus ab Ecclesia magistra, saeculis labentibus, transmissum et illustratum fuerit.

Veritates insuper distinguantur oportet revelatae, sic et simpliciter tales, ab illis quae, licet non essentialiter, tamen cum veritate revelata connexae sint, et *facta* constituant *dogmatica.*

Quibus in dogmaticis factis Ecclesiam, quoniam cum aliquo dogmate quemdam habent nexum, si aliud custodiat, applicet, riteque proponat, pollere infallibilitate omnes sciunt ».[2]

Unum ex istis factis dogmaticis Mariae mors est.

Cuius sane veritatis dum iure historicus argumentorum qua talium valor negatur, *dogmatica nihilominus sperni traditio haud potest.*

---

[2] Cf. BILLOT, *Tractatus de Ecclesia Christi,* Romae 1927, I, 419; FRANZELIN, *Tractatus de divina traditione et Scriptura,* thes. XII, dis. I, Romae 1875, 121-123.

1. Praecipuum enim ac *directum Koimeseos,* Dormitionis vel Assumptionis obiectum primitus mors constituebat.

At liturgiae romanae verba adhibere animum iuvat. « Veneranda nobis, Domine, huius est diei festivitas, in qua sancta Dei Genitrix *mortem* subiit temporalem ».

Sacramentarium Gothicum in die Assumptionis haec habet verba: « Quae (Maria) nec de corruptione suscepit contagium, nec resolutionem pertulit in *sepulchro* », et infra: « Nec (Maria) per assumptionem de *morte* sensit inluviem ».

Morte insuper Virginis indubia innixi nonnulli Patres Graeci, quorum mens in bulla *Munificentissimus Deus* a Pio XII digna ut patefieret habita est, nonnulla ad eam explicandam dogmatica elaborarunt principia.

Lex est in actuali oeconomia salutis mors, humanae nempe debitum naturae. Maria idcirco humanae cum sit membrum naturae, Adae interveniente peccato, quoniam a parentibus mortale obtinuerat corpus, mortis necessitate astringitur. Quam igitur contra *naturae conditionem* Mariae mors minime repugnet omnes vident. Etenim ipsemet Christus, nullo cum esset obnoxius peccato, teterrimam obiit mortem.

2. Ullo dein Mariam crimine foedari certum est; at haec ab Adae peccato praeservatio, et quidem in primo instanti suae conceptionis, est Christi Redemptoris gratiae fructus, illi similis qua omnis homo ab originali culpa liberetur. De iure idcirco sive relate ad ipsam a peccato exemptionem sive ad omnium praeternaturalium donorum reintegrationem loqui nemini licet. Mori potuit ergo Dei Genitrix Immaculata quin aliquod eius violaretur ius, aut quaedam revelationis sententia pollueretur.

3. Petitiones deinde quibus Assumptionis totius orbis terrarum Ecclesia docens ac discens postularet definitionem ad Sanctam Sedem, suo tempore, fere innumerae missae sunt. Inter quas non paucae inveniuntur quae mortis definibilitatem quaerunt, atque Assumptionem inter et mortem intimam ponunt relationem.

Sequens hac de re prae oculis habere sufficiat schema.

Ad priores quod attinet petitiones, tertia fere pars (30%) Virginis pretiosae mortis definitionem expostulant; ad posteriores vero plus quam dimidia pars (60%) inter Virginis mortem et illam Filii intimam affirmant relationem.[3]

4. Apostolica dein Constitutio *Munificentissimus Deus* qua Pius Papa XII corpoream Dei Genitricis ad coelos assumptionem dogmatice definiret, quamvis a mortis facto ex professo abstrahere voluisset, multas

[3] *Petitiones,* II, pp. 716; 716-719.

tamen ad rem allegationes protulit. Definitione autem sancita, et promulgata Bulla Summi Pontificis, novum cum ordinetur Officium, sancti Ioannis Damasceni lectio, qua Virginis gloriosae affirmatur mors, denuo inseritur.

5. Argumenta insuper quae Virginis mortis negatores afferre soleant, cum solido careant fundamento, illogicitate peccare videntur.

Non « necessariam » imprimis relationem cum dogmate sed tantummodo « aliquam » factum possideat dogmaticum necesse est. Huiusmodi vero connexionem solum Ecclesiae magisterium, cui Christus Redemptor docendi et revelationem custodiendi commiserit munus, perpendere valet. Nunc ex constanti tot saeculorum fide ac doctrina inter Virginis mortem et Assumptionis veritatem connexio fulget, cuius certe nemo oblivisci potest, nisi omne de Ecclesiae ordinario magisterio eiusque momento ruat fundamentum velit.

6. Nobis igitur mortis Virginis definitio nullo modo quaerenda; neque ipsum mortis factum, veluti *certum,* definiendi necessitate premimur.

Quo tamen examini subiciantur attentius, sequentibus operam damus quaestionibus:

a) utrum magis sit conveniens an non ut de ipsa controversia circa Virginis mortis *factum* (= an sit) sileatur;

b) quod *factum* tamen (= quomodo sit) illustrando ampla polleant omnes libertate, potissimum vero de iuris natura et exsistentia ad Virginis immortalitatem ad maiorem Dei eiusdemque matris gloriam ac magis doctores inquirere possunt.

V

DE DIACONATUS ORDINE TAMQUAM MUNERE STABILI IN ECCLESIA RESTAURANDO

« Messis quidem multa, operarii autem pauci » veritas est quae vetustate non exaruerit.

Si ita est ut Christi Ecclesia sive ob internas officii rationes, sive ob humanos ministrorum defectus, sacerdotum inopiam semper passa fuerit, id potissimum nostris valet temporibus.

Rationarias sufficiat perlegere tabellas ut quam tristis praesens sit nonnullarum Ecclesiae regionum conditio et quam asperior futura eiusdem spes, unusquisque videat.

In Guatemala v. g. pro 25.000 fidelibus unus adest sacerdos; absque pastore in Gallia 13.000 Ecclesiae exstant paroeciales (utique parvae!);

in archidioecesi Em.mi D.ni Feltin, ex 4.000.000 baptizatis, tantum 400.000 practice religioni serviunt.

Unde praesentior in dies Diaconatum instaurandi necessitas, tamquam munus in Ecclesia stabile, cum vel sine onere coelibatus.

Nonnullas et quidem non parvas in difficultates delabi novam hanc legislationem certum est, attamen Ecclesia, praesentibus rerum adiunctis, fortasse, hac institutione, aptum repraesentat remedium quo salvificam exercere suam valeat efficaciter missionem.

Qua de re, officiis et muneribus indicatis, in Ecclesia a Diaconibus iam antiquitus expletis, quaenam ipsi nunc ministeria efficere possint denotavisse iuvabit.

1

De officiis et diaconorum muneribus

Inde ab Ecclesiae origine ministrandi mensis (*Act.* 6, 2-8), Dei verbum annuntiandi (*Act.* 7, 2-53), baptismum conferendi (*Act.* 8, 38), septem primis Diaconibus officium erat. Deinde sive Romae, sive aliis in locis Diaconorum numerus, prout postulabat necessitas, augetur, eisque et fidelium oblationes pro Ecclesiis colligendi, et SS. distribuendi Eucharistiam, eamque deferendi quoque absentibus catechumenis instructionem dandi ut baptismum reciperent, ipsumque administrandi baptismum, in mortis periculo infirmos, absente sacerdote, ad contritionem disponendi perfectam, quamque postea reconciliationem publice declarandi, pauperum insuper, orphanorum et viduarum curam habendi, bona ecclesiastica dein, vigili Episcoporum sub mandato, administrandi ius et officium erat.

Quapropter numero fidelium crescente, cum hinc inde, in agris quoque paroeciae fundarentur, una cum Episcopis Diaconi auxilium, opera et consilio, praestabant suum.

Facile ergo intellectu est quae vis in Episcoporum immo et Pontificum verbis insit cum eos ipsi *os, cor, oculum, animam* vocent Pastorum.

Etiamsi igitur Diaconi et Sacerdotes inter se discrepent, tamen, in Concilii Tridentini schemate, priores Presbyteris proximi, tamquam Episcoporum *oculi,* et praecipui Ecclesiae *ministri* apparent.[1]

Quo Diaconi deinde officium melius obirent suum, novi Ordines — subdiaconatus nempe aliique minores — creati sunt.

Potestate sua autem cum, saeculorum decursu, Diaconi fragilitate

---

[1] Cf. Ehses, *S. Concilii Tridentini Actorum pars VI,* Friburgi 1924, p. 601; Gasparri P., *Tractatus de sacra Ordinatione,* Romae 1894, pp. 302-304.

humana abuterentur, sensim eorum munera ad Presbyteros translata fuere; sic, ut Ordo permanens, Diaconatus abiit, et tamquam a Presbyteratum transitus habitus est.

2

Quaenam nunc diaconi possint munera obire

Si Diaconatus Ordinem Ecclesia denuo permanentem instaurare velit, sequentia fortasse essent munera a singulis exercenda: 1) ecclesiasticam peragere sepulturam; 2) infirmos et moribundos assistere; 3) sacram istis aliisque in necessitatibus constitutis Communionem deferre et ministrare; 4) Nuptiarum conficere sacramentum; 5) sollemnia administrare baptismata; 6) communibus in Ecclesia praeesse precibus; 7) fidelibus inter Missarum sollemnia textus Epistulae et Evangelii, vernacula lingua legere et commentari; 8) sanctam fidelibus distribuere Communionem; 9) sacramentalia et benedictiones impertiri; 10) catechesim catechumenis et instructionem infantibus in scholis tradere catholicis; 11) sacram perlegere Scripturam sacrasque habere conciones; 12) pauperum curam diligenter suscipere; 13) Piarum procurationem Associationum Actionisque catholicae regere; etc.

His positis examini subiciatur oportet: 1) utrum an non Ordinis Diaconatus permanentis institutio, *cum onere caelibatus,* sit opportuna.

In novum cooptari possent hunc Ordinem nedum et fratres laici Religiosarum Familiarum sociique saecularium Institutorum, sed etiam seminariorum alumni qui, mentali laborantes incapacitate aut oeconomica gravati difficultate, impediuntur quominus sacerdotium ineant.

Posterioribus istis deinde alicuius honestae artis exercendae licentia concedi potest, ut, hoc cum labore, quae ad vitae necessitates suppeditent, quin alio indigeant lucri fonte.

2) Attentius dein consulere liceat, particularibus Ecclesiae Americae Latinae conditionibus prae oculis habitis, utrum an non opportunum sit Diaconos, *sine caelibatus onere,* mittere, aut ex indigena illos seligere gente qui — in tanta sacerdotum penuria — praecipuas liturgiae dierum festorum absolvere queant partes, nonnulla administrent sacramenta (baptismum, sacram Communionem, matrimonia) aliaque sacra peragant officia; sicque Protestantium incursionem, ubi adest, contineant, aut aliorum veritatis irruptioni inimicorum audacter et tempestive obsistent.[2]

---

[2] Cf. Winninger P., *Vers un renouveau du Diaconat,* Desclée-de Brouwer 1958, ubi adest ampla bibliographia de hac quaestione (pp. 207-211).

VI

DE « MORALI NOVA »

(Commemorantur et alii errores morales)

Inter omnes errores, qui manifestant simul aspectus theoricos et practicos, maxime hodie habet nocumentum in Ecclesia ille, qui modo generico, ab ipso Summo Pontifice Pio XII ut « *Moralis nova* » denominatur.

De isto errore schematice pro nunc agimus. Attamen innumera adest inter catholicos bibliographia; et etiam adsunt aliqua documenta clara Magisterii Ecclesiastici, quae in isto errore mensurando prae oculis habenda sunt; quaeque iuvat breviter considerare.

1. *Aliqua documenta ecclesiastica* quae se referunt ad istum errorem, praedicata vel consimili denominatione:

a) *Pius XI,* Enc. *Ubi arcano Dei,* n. 23-24, ubi sermo fit de modernismo *morali, iuridico* et *sociali*... « Se non che quelle stesse sociali vicende che crearono ed accrebbero la necessità della accennata cooperazione del clero e del laicato, hanno pure creato *pericoli nuovi e più gravi. Sono idee non rette e non sani sentimenti*... gli stessi alunni del Santuario non vanno immuni... Molti sono, infatti, quelli che credono o dicono di tenere le dottrine cattoliche sull'autorità sociale, sul diritto di proprietà, sui rapporti tra capitale e lavoro, sui diritti degli operai, sulle relazioni fra Chiesa e Stato, fra religione e patria, fra classe e classe, fra nazione e nazione, sui diritti della Santa Sede e le prerogative del Romano Pontefice e dell'Episcopato, sui diritti sociali di Gesù Cristo stesso, Creatore, Redentore, Signore degli individui e dei popoli. *Ma poi parlano, scrivono, e quel che è peggio, operano come non fossero più da seguire, o non col rigore di prima, le dottrine e le prescrizioni solennemente ed invariabilmente richiamate ed inculcate in tanti documenti* pontifici, nominatamente di Leone XIII, Pio X e Benedetto XV. Contro questa specie di modernismo morale, giuridico, sociale, occorre richiamare quelle dottrine e quelle prescrizioni... » (Pius XI in Enc. *Ubi arcano*...). Hic habetur, ni fallimur, primum grave monitum de exsistentia etiam practica alicuius modernismi moralis, qui substantialiter connectitur cum « morali nova » de qua Pius XII.

b) *Pius XII, Sermo* 23 martio 1952 et 18 aprili 1952: in *A.A.S.* 34 (1952) 270-278, 413-419.

Ibi expresse vocatur « moralis nova »; sed etiam aliis nominibus

et erroribus consociatur. Etiam in aliis sermonibus vestigia inveniri possunt.

c) *S. Officium, Instructio* 2 febr. 1956, ubi explicite sermo fit de « ethica situationis »; attamen etiam remittitur ad duos praedictos sermones Pii XII.

2. *Relatio inter modernismum dogmaticum et moralem.*

Talis relatio expresse fit in praedictis documentis S. Sedis. Nam *Pius XI, l. c.* scribit: « ... Questa specie di modernismo morale, giuridico, sociale, *non meno condannevole del noto modernismo dogmatico...* ».

Pius XII (23 marzo 1952):

« *Come della dottrina dommatica, così anche dell'ordinamento morale cattolico* si vorrebbe istituire quasi una radicale revisione per dedurne una nuova valutazione ». Apparet etiam correlatio inter errorem sic dictae « theologiae novae », condemnatae ab Enc. *Humani generis,* et etiam Pius XII in *Discorsi e radiomessaggi* (t. VIII, 233) et *Moralem Novam.* Itidem in Instr. S. Officii, e. g. animadvertitur, quod « ethica situationis » vestigia « modernismi » profert.

3. *Nomina consociata* deducuntur ab ipsis documentis citatis: consociatur cum « ethica situationis »; « cum existentialismo ethico »; cum « subiectivismo ethico »; cum « actualismo ethico » etc. (cf. Pius XII, *l. c.*); cum « relativismo morali » (cf. Instructio S. Officii). Vel etiam sine ullo nomine praesentiari potest.

4. *Descriptio realis,* si volumus potest desumi ex ipsis verbis Pii XII: « ... dell'ordinamento morale cattolico si vorrebbe istituire quasi una radicale revisione per dedurne una nuova valutazione. Il passo primario, o per meglio dire il primo colpo all'edificio delle norme morali cristiane, dovrebbe essere quello di svincolarle — come si pretende — dalla sorveglianza angusta ed opprimente della Chiesa, cosicchè, liberata dalle sottigliezze sofistiche del metodo casuistico, la morale sia ricondotta alla sua forma originaria e rimessa semplicemente alla intelligenza ed alla determinazione della coscienza individuale...

La " morale nuova " afferma che la Chiesa anzichè fomentare la legge della umana libertà e dell'amore, e di insistervi quale degna dinamica della vita morale, fa invece leva, quasi esclusivamente e con eccessiva rigidità, sulla fermezza e la intransigenza delle leggi morali cristiane, ricorrendo spesso a quel " siete obbligati ", " non è lecito ", che hanno troppo sapore di un'avvilente pedanteria » (*Sermo* 23 marzo 1952).

Si ad ista Summi Pontificis verba attendimus, possumus sequenti modo describere moralem novam: est tentamen innovandi moralem catholicam sive sub aspectu scientifico (quoad aliqua principia) sive quoad

aspectum casuisticum (quoad aliquos casus concretos) sive sub aspectu pastorali (quoad modum ipsam docendi et divulgandi fidelibus).

5. *Finalitates « Moralis novae ».* — Ex ipsa supra relata descriptione aliqua possunt generice deduci. Sed breviter specifice sequenti modo possumus describere eius finalitates falsas et perniciosas:

a) Quoad *principia*: « Moralis nova » e. g. vult independentiam ordinis moralis subiectivi ab ordine morali obiectivo. In connexione praetendit, quod in concreto non dantur actiones intrinsece malae, scil. pro omnibus et semper; quod conscientia individualis est norma mensurans et non mensurata moralitatis; et quod non datur dependentia necessaria ab auctoritate Ecclesiae in efformando iudicio de moralitate propriae actionis (cf. Pius XII, *serm. cit.*).

b) Quoad *casuisticam.* Cum non dantur, pro ipsa, actiones intrinsece malae in concreto, casus illi, qui in traditionali casuistica catholica semper et pro omnibus ut illiciti praedicantur, possunt aliquando evadere liciti et iustificati in aliquibus circumstantiis. Unde, ut dicit Pius XII, praedicatur in aliquo casu et circumstantia coram Deo, a propria conscientia sincere considerata, liceitas moralis ipsius abortus, amissionis fidei catholicae, onanismi coniugalis, relationum carnalium inter nupturientes, actus solitarii apud iuvenes etc. (Pius XII, *l. c.*).

c) Quoad *pastoralem* volunt novas methodos, quasi ac Ecclesia per saecula erraverit quoad hoc. Opponunt moralem evangelicam, quae est moralis amoris, ad moralem hodiernam catholicam. Ideo e. g. praetendunt, quod non liceret ipsa praecepta legis divinae in forma negativa exponere: sed solum in forma positiva (cf. Pius XII, *sermo cit.*). Immo aliqui praetendunt, quod sacerdos ineptus et inidoneus pro cura animarum sit retinendus, nisi sciat de scientiis modernis psychologiae profundi, psychanalyseos etc.

6. *Origines et fontes « Moralis novae ».*

Iam Abaelardus, suaque schola praetendebat antiquitus quod moralitas dependeat unice ab intentione agentis et non ab obiecto. Perlongum esset hic adducere textus. Sed adsunt etiam aliqua studia quoad hoc thema.

Recenter sequentes possumus aliquos indicare fontes remotos et proximos:

a) *Moderni philosophi* (Kantistae-existentialistae etc. cf. Kant, Kierkegaard, Unamuno, Sartre, etc. Griesebach; Husserl, Max Scheler etc.).

b) *Americanismus in campo theologico et modernismus...* (cf. Leo XII, *Epistula ad Card. Gibbons,* S. Pii X Encyl. *Pascendi*).

c) *Relativismus dogmaticus* (cf. Encyl. *Humani Generis...*).

d) *Alii connexi errores moderni*: uti *laicismus* (praesertim sic dicta

« theologia laica » et magisterium laicum) *humanismus, psychologismus, biologismus* et *paedagogismus...*

e) *Influxus theologorum protestantium* (e. g. Barth, Brunner etc.).

f) *Quidam auctores catholici* (nominamus tantum illos, quoad libros, publice damnatos a S. Officio: Ernest Michel, Dr. Hesnard; Marc Oraison...).

g) *Quidam critici* qui minus prudentes contra moralem catholicam scribunt. Quae quidem criticae animadversiones, ita aliquando propositae fuerunt ut vel falsitate historica pollerent, vel tali modo ut, id quod valeret pro aliquo moralista, applicaretur omnibus, immo ipsi Ecclesiae docenti. Exinde, forsan contra voluntatem ipsius scriptoris, falsa persuasio creatur quod Ecclesia haberet methodologiam non sufficientem, immo nocivam pro salute animarum.

h) *Practica christianorum independentia* ab auctoritate Ecclesiae, quae iudicatur illegitime intervenire in efformando iudicio propriae conscientiae in aliquibus casibus.

7. *Expressiones et manifestationes* « *Moralis novae* » habentur:

a) In vita sive *individuali,* sive *familiari,* sive *sociali* (uti quam clarissime dicit Pius XII, in sermone 23 martii et 18 aprilis 1952).

Et revera quando fideles e. g. votum politicum dant pro communistis, maxima ex parte in Italia, non tali modo agunt eo quod non credant in Deum vel in religionem etc. E contra putant quod eorum miserrima *situatio* oeconomica postulet quod dent votum pro illa parte communistarum, in quam sperant, nonobstantibus prohibitionibus magisterii. Ipsi putant sibi licere, sincere perpensa propria situatione, efformare propriam conscientiam coram Deo, independenter, pro illo casu, a voce magisterii; cui revera aliquando negatur etiam ipse interventus. Theorice ergo illi non negant Deum vel Ecclesiam; sed practice sequuntur dictamina « moralis novae » et sic dictae « ethicae situationis », quae docet non necessario conscientiam semper efformandam esse in dependentia ab auctoritate Ecclesiae et ab ordine obiectivo. Haec est vera crisis. Et hic latet funestissimus error. Incomprehensibilis igitur illis sonat increpatio quod non sint religiosi, cum e contra illi velint esse catholici.

b) Expressiones connexae, nisi fallimur, cum ista morali nova, independenti a vigilantia Ecclesiae, videntur connumerari illae associationes, quae directe volunt mundum moraliter meliorem; at independenter a magisterio Ecclesiae catholicae. Talis in primis est ille internationalis consociatio, quae inscribitur « *Riarmo morale* », quem perlongum esset hic describere. Attamen etiam consociari possunt, licet minori modo, illae aliae associationes indifferentistae et independentes: uti *Y.M.C.A., Rotary Club,* etc. originis protestanticae.

8. *Interventus Concilii Oecumenici contra « moralem novam »*.

Data gravitate et actualitate erroris, convenit quod concilium solemniter ipsum condemnet, attamen bene distinguendo id quod est omnino erroneum ab eo quod ad hunc errorem ducit vel quod periculum pro morali catholica inducere potest.

1) *Quoad principia moralis novae,* condemnatio, praesertim quantum attinet existentiam actionis intrinsece malae et dependentiam ordinis moralis subiectivi ab ordine morali obiectivo, fundari potest in sequentibus argumentis:

a) *Traditionalis doctrina theologica*: sive patristica (praesertim apud S. Augustinum) sive scholastica, contra Abaelardum (incipiendo a Petro Lombardo usque nostra tempora) semper affirmat doctrinam alicuius moralitatis intrinsecae et obiectivae, praeter moralitatem finis et aliarum circumstantiarum... Doctrina S. Thomae et aliorum scholasticorum de virtute prudentiae in efformanda conscientia (cf. Pius XII, sermo 18 april. 1952).

b) *Magisterium Ecclesiae,* quod semper talem doctrinam tenuit usque ad ultima documenta Pii XII (sermones 18 aprilis et 23 martii 1952 et Instructio S. Officii 2 februarii 1956). Immo Pius XII categorice sic se exprimit: « Sans cette forme expresse l'éthique nouvelle est tellement en dehors *de la foi et des principes catholiques,* que même un enfant, s'il sait son catéchisme, s'en rendra compte et le sentira » (Sermo 18 aprile 1952).

c) Indirecte ex reprobatione americanismi, subiectivismi, modernismi etiam moralis (cf. Pius XI Encyl. *Ubi arcano*) relativismi dogmatici (Encycl. *Humani Generis* etc.) et ex proscriptione aliquorum librorum a S. Officio... Pius XII, l. c.: « Il n'est pas difficile de reconnaître, comment le nouveau système moral dérive de l'*existentialisme,* qui ou fait abstraction de Dieu, ou simplement le nie, et en tout cas remet l'homme à soi-même ».

d) Ex pessimis consequentiis, quae evenirent in theoria et in praxi, cum ipsa « moralis nova » duceret ad perversionem ipsius unitatis fidei, moralis catholicae et conscientiae christianae.

2) *Quoad casuisticam* facilis est reprobatio.

Multa enim adsunt documenta ecclesiastica et traditionis ubi universaliter considerantur ut intrinsece mala: *onanismus* (sive solitarius sive coniugalis) *abortus, euthanasia,* peccata contra iustitiam etc. quae e contra admittuntur in aliquibus circumstantiis ut licita a « morali nova ».

3) *Quoad methodologiam didacticam* ad quam attendit etiam Pius XII in suis sermonibus, ubi loquitur de « morali nova », aliqua sunt etiam declaranda contra aliquos auctores imprudentes. Nam praemitti potest,

quod per se aliqua admelioratio methodologica, dummodo non attingat aliquid erroneum, est permissa ad mentem Encycl. *Humani Generis.* Attamen scriptores non debent tali modo conscribere, ut inducerent in falsam persuasionem, quod ecclesiae pastores erraverint per saecula quoad modum efficacem et sufficientem in docenda morali Christi fidelibus. Nam expresse Pius XII contra illos, qui putant moralem traditionalem errasse quia, e. g. inderogabilia praecepta et quidem in forma negativa docuerit, sequenti modo ratiocinatur: « Al giovane ricco, che lo interroga, Egli (il Signore) dice: " Se vuoi entrare nella vita, osserva i comandamenti " e alla domanda: quali? risponde: " *Non* uccidere, *non* commettere adulterio! *non* rubare! *non* fare testimonianza falsa! Onora il padre e la madre! e ama il prossimo tuo come te stesso! " » (Pius XII, *Sermo* 23 martii 1952). Ergo, saltem implicite vult dicere Pius XII, forsan quod erravit Christus, eo quod illa praecepta inderogabilia docuerit, et in forma *negativa* et quidem *alicui iuveni* meminerit? Vel forsan quod erravit Christus eo quod ad suavem et salutarem timorem etiam inducit animas? Nam adiungit Pius XII, l. c.: « Egli ha posto come condizione a chi vuole imitarlo di *rinunziare* a se stesso e di *prendere* la sua croce... *Così parlava Gesù Cristo, il divino Pedagogo,* che sa certamente più degli uomini, penetrare nelle anime ed attrarle al suo amore con le infinite perfezioni del suo Cuore, " bonitate et amore plenum " » (Pius XII, *l. c.*).

Et sic Pius XII se remittit etiam ad S. Paulum, qui monet ut operemur cum *timore* et *tremore* nostram salutem (Pius XII, l. c.). Ita isti moderni accusatores methodologiae moralis catholicae de facto non accusant homines vel Ecclesiam, sed ipsum Dominum Christum, ut ait Pontifex (l. c.).

Similiter monendum videtur de errore in campo pastorali, ubi ab aliquibus praetenditur, quod omnes pastores in periculo et damno animarum sic et simpliciter sint, nisi sciant partes essentiales theoriae et praxeos psycho-analyticae et sine collaboratione cum psychanalystis (contra cf. *A proposito di psicanalisi,* in *Osservatore Romano*; 21 settembre 1952).

4) Quoad autem *associationes morales independentes* a magisterio Ecclesiae aliqua declaratio facienda iuvat, praesertim quantum attinet ad « Riarmo Morale », confirmari iuvat, vel forte adhuc magis determinare decreta iam a S. Sede data.

8. *Quaedam positiva remedia ad evincendam « moralem novam » suggeruntur.*

Contra moralem novam ac contra modernismum moralem iuridicum et moralem, de quo locutus est Pius XI (Enc. *Ubi arcano*) non sufficit negative agere, sed positive etiam iuvat aliquid construere, prout fecit ipse

Summus Pontifex. Qui cum in prima Enc. illos errores denuntiavit, postea vero in aliis encyclicis doctrinam veram positive construxit. Ita e. g. in *Quadragesimo anno* expresse commemorat illum errorem (« negli scogli del modernismo morale, giuridico e sociale, da Noi denunciati nella Nostra prima Encyclica »); at positive plura de re sociali exponit.

a) Ita opportunum est ut Concilium aliquam constitutionem construat, in qua doctrina de *ordine morali individuali, familiari, et oeconomico-sociali* attentis actualibus problematibus, organice exponet (Prout in alia parte exponitur).

b) Praesertim quantum attinet ad ordinem *moralem-oeconomicum-socialem,* quam lucidissima doctrina, missis dubiis et confusionibus vigentibus, enucleetur. Hoc maxime expectat universa Ecclesia. Iam hoc enim expectabatur inde a Concilio Vaticano. Nam aliqui Patres in illo Concilio non solum exprimebant desiderium de pertractandis principiis ordinis socialis, sed animadvertebant etiam: « Quum vero in indice schematum, quae a *theologis* et *ecclesiasticis iuris consultis,* praeparata fuerunt, *nullum* reperiatur, quod de illis principiis, veritatibus, mutuisque officiis agat, hinc subscripti Patres humillime instanterque petunt, ut in hoc Sacro Oecumenico Concilio *gravissima ista* et *necessaria res opportune proponatur* » (cf. in C. Martin, *Omnium Concilii vaticani quae ad doctrinam et disciplinam pertinent documentorum collectio,* Paderbonae, 1873, p. 95). Quod non potuit facere Concilium Vaticanum primum, faciat promissum Concilium! Posteriores Summi Pontifices multa dixerunt de his rebus; at non omnia adhuc sunt clara; et iuvat ut Concilium aliquam constitutionem organicam det, attentis omnibus documentis anterioribus. Nam, ut monet ipse Pius XII (*Sermo* 23 marzo 1952) ex influxu « moralis novae »: « Anche più che nella *condotta privata,* vi sono oggi molti che vorrebbero escludere il dominio della legge morale dalla vita *pubblica, economica e sociale,* dall'azione dei pubblici poteri nell'interno e all'esterno, nella pace e nella guerra, come se qui Dio non avesse nulla da dire, almeno di definitivo » (in *A.A.S.* 1952, p. 276).

c) Sed particulariter iuvat positive hac occasione peropportune declaretur momentum et valor auctoritatis Ecclesiae: Summi Pontificis (quoad eius actus: Encyclicae, sermones etc.), S. Congregationum, Episcoporum (Concilia, Synodi etc.) theologorum moralistarum (probati vel non probati), quoad efformationem iudicii practici propriae conscientiae. Non esset inutile de sic dicta probabilitate extrinseca aliqua principia enodare.

d) *Casuistice* proclamentur solemniter, quaenam sint actiones intrinsice malae (prout in prima parte exposuimus).

e) *Pastoraliter* multo adlaborandum videtur contra moralem novam.

Clerici in primis profundiorem et accurationem debent habere efformationem theologico-moralem sive *ante* sive *post* sacerdotium. Alioquin non possunt esse *recti* conscientiarum efformatores; sed sunt caeci, caecos ducentes. Ad habendos tamen pastores apte instructos in re morali, apti professores de re morali habendi sunt. Ad habendos tales professores peropportunum videtur admeliorare efformationem moralem in scholis et in universitatibus. Immo utillimum videretur quod, dato momento et vastitate scientiae moralis, aliquod *Institutum Theologico-morale* ab Ecclesiastica auctoritate fundaretur, quod adiri possit, post consecutam licentiam in S. Theologia. Sicut habentur Instituta de re Biblica, de re historica, de re pastorali etc. Quam maxime utile erit instituta de re morali, per nova statuta, in Ecclesia efformare. Ita solum haberi possunt aptiores professores et consequenter admeliorare efformationem moralem clericorum.

Post sacerdotium in primis *clerici* contra insidias « moralis novae », prae oculis habere debent can. 129: « Clerici studia, praesertim sacra, recepto sacerdotio, ne intermittant et in sacris disciplinis *solidam* illam *doctrinam a maioribus traditam et communiter ab Ecclesia praeceptam sectentur, devitantes profanas vocum novitates et falsi nominis scientiam* ».

Insuper clerici debent divulgare fidelibus doctrinam moralem attento praedicto canone, praesertim quantum attinet ad influxum insanorum principiorum.

Laici: in primis *parentes* (cf. can. 1113) *gravissime* curare debent ut filii habeant educationem religiosam et *moralem* recte apprehensam; ut ita iam a iuventute christiani discantur agere non solum secundum conscientiam, sed quantum possibile, *secundum conscientiam veram et rectam.*

f) Aliqua alia media *pastoraliter* invenienda sunt ad hoc efficaciter obtinendum. Pro *sacerdotibus* iuvaret aliqua *ephemerides theologiae moralis,* quae posset confici a praedictis institutis theologiae moralis. Hodie enim desideratur aliqua ephemerides, quae sit unice de rebus moralibus. Posset construi et dividi in tres partes; quarum prima problemata moralia scientifice agat; secunda pars agat de casuistica moderna; tertia pars de bibliographia cum aliquo brevi iudicio de valore operis, cum tot ac tanta sint opera de re morali non raro nullius valoris immo nociva. Ita sacerdotes possent habere securam *formationem et informationem* de de morali. Episcopi autem in diocesi procurare deberent, ut sacerdotes uno quoque anno cursus « di aggiornamento » in re morali haberent, peritis magistris vocatis.

Quoad *laicos* autem problema urgens est, ut ipsi cognoscant principia

moralia proprii status et professionis propriae, si volumus ut unusquisque agat secundum conscientiam *veram* seu in consonantia cum lege christiana. Alioquin facile ipsi cadunt in subiectivismum moralem. Hac de causa peropportunum videretur ut etiam habeantur *instituta moralis professionalis,* in quibus, praeter fundamentalia principia, praelectiones habeantur de morali professionali secundum diversos status (iuristae, medici, iudices, advocati, mercatores, operarii, industriales etc.). Itidem conandum esset ut efformentur catechismi *moralis professionalis* breves et clari, qui cognosci debent ab unoquoque christiano, qui exerceat aliquam specificam professionem.

Alioquin fideles, qui ordinarie fere maximam partem propriae diei et vitae in propria professione occupantur, non cognoscunt principia moralia propriae professionis: et ideo non possunt agere attenta uniuscuiusque possibilitate secundum conscientiam veram et rectam.

Ita practice forsan vinci potest moralis nova; et sperari potest *unitas practica* in christianis; et sic admeliorari potest vita christianorum in mundo.

Non sine ratione Summus Pontifex Pius XII loquens de ista « morali nova » animadvertit: « ... non abbiamo nascosto l'ansia che ci stringe il cuore per questo formidabile problema, che tocca il *presente e l'avvenire del mondo e l'eterno destino di tante anime* » (Pius XII, *Sermo* 23 marzo 1952, in *A.A.S.* 1952, p. 277).

10. *Interventus Concilii quoad alios errores.*

Ni fallimur tamen praeter condemnationem « moralis novae » iuvat etiam alios errores theoricos et practicos, in campo morali, pariter perpendere et condemnare. Multi enim errores, uti iam vidimus, vel sunt consociati cum errore « moralis novae » vel erronee influunt in campo morali, sive individuali sive familiari, sive sociali. Cum autem « moralis nova », de qua loquitur Pius XII, et modernismus moralis, de quo sermonem facit Pius XI (Enc. *Ubi arcano*) ad omnes illos aspectus se extendunt, pretium operis erit, ni dicamus omnino necessarium, et alios perpendere errores morales. Qui iam in documentis pontificiis pariter denuntiati fuerunt, prout volumus *schematice* enumerare, aliqua tantum documenta indicantes, unice ad demonstrandum, quod concilium, si velit, potest illos errores, iuxta ipsa documenta pontificia considerare, et in casu modo organico denuntiare.

1) *Humanismus* sive atheus sive agnosticus (cf. e. g. Pius XI, Enc. *Divini illius Magistri;* Pius XII, *Discorsi e radiomessaggi,* iuxta editionem vaticanam [N. B. in his paginis quando volumina citamus sine addito istam intelligimus collectionem] t. XIX, 682-683: nuntius radiophonicus natalitius 1957 etc.).

2) *Naturalismus* (pro quo cf. e. g. Pius IX, Enc. *Quanta cura; Syllabus;* Leo XIII Enc. *Libertas, Inimica vis, Immortale Dei, Arcanum* etc.; Pius XI, Enc. *Casti connubii; Divini illius Magistri;* Pius XII, t. I, 381; V, 271; VI, 373; XIV, 538 etc.).

3) *Rationalismus* (etiam in campo morali: cf. e. g. Pius XI, Enc. *Quadragesimo anno;* Leo XIII, Enc. *Immortale Dei, Libertas,* etc.; Pius XII, t. V, 8-9, 271; VI, 19; VII, 469; XI, 262, etc.).

4) *Indifferentismus* (religiosus et moralis) (cf. e. g. Gregorius XVI, Enc. *Mirari vos;* Pius IX, *Syllabus;* Leo XIII, Enc. *Immortale Dei;* Pius XII, t. IV, 358 s.; V, 39, 311 s. etc.; Ioannes XXIII, Enc. *Ad Petri Cathedram,* etc.).

5) *Agnosticismus* (religioso-moralis) (cf. e. g. Leo XIII, *Immortale Dei;* Pius XI, Enc. *Quadragesimo anno;* Pius XII, Enc. *Summi Pontificatus;* t. III, 445-454, etc.).

6) *Supernaturalismus* (ad mentem Pii XII in aliquibus sermonibus e. g. *Sermo* 3 sept. 1952 etc.).

7) *Spiritualismus* (pariter ad mentem Pii XII, e. g. in sermone 11 sept. 1947, t. IX, 230; et in nuntio radiophonico in *A.A.S.* 1958 p. 20 etc.).

8) *Americanismus* (ad mentem Leonis XIII in Ep. ad Cardinalem Gibbons).

9) *Laicismus* (pro quo cf. e. g. Pius XI, Enc. *Quas primas;* Pius XII, t. II, 241, 308; VIII, 34; X, 326; XIV, 538; *Episcopi Italiae,* Epistola collectiva... 1960).

10) *Existentialismus* (cf. e. g. Pius XII, t. XII, 496, 506, 349; VIII, 315 s.; XIV 72, 75, etc.

11) *Actualismus ethicus, subiectivismus ethicus, modernismus ethicus etc.* (cf. Pius XI et Pius XII, iuxta supra dicta et citata documenta...).

12) *Psichologismus* (ad mentem praesertim Pii XII in aliquibus sermonibus de psychologia moderna et de systemate nervoso etc.).

13) *Paedagogismus* (Quatenus est contra documenta pontificia praesertim Pii XI, Enc. *Divini Illius Magistri...*).

14) *Razzismus* (cf. e. g. Pius XI, *Mit Brennender Sorge* sermo 15 iulii 1938; 21 et 28 iulii 1938; S. C. De Seminariis et Univ. epistola ad Rectores Univ. ... 13 aprilis 1938; Pius XII, t. VII, 93 etc.).

15) *Eugenismus* (cf. e. g. Pius XI, Enc. *Casti connubii;* Piis XII, *Sermo* 20 sept. 1949; Decreta S. Officii etc.).

16) *Feminismus* (cf. e. g. Pius XII, t. VII, 28 etc.).

17) *Nudismus* (contra societates nudisticas...).

18) *Communismus* (Pius IX, Enc. *Quanta cura,* Benedictus XV,

Bonorum sane, 25 iulii 1920; Pius XI, Enc. *Divini Redemptoris;* Pius XII, *Innumeris locis,* cf. e. g. Quoad damnationem, t. X, 118 s.; t. XI, 334, 174, 190, etc. cfr. *etiam atheismus, materialismus, marxismus, collectivismus*).

19) *Socialismus* (cf. e. g. Pius IX, Enc. *Noscitis et nobiscum;* Leo XIII, *Quod Apostolici muneris;* ep. *Conventui vestro* ad episcopos Aemiliae; Benedictus XV, *Libenter admodum* ad episcopos Helvetiae (20 aug. 1920; Pius X, *Il fermo proposito;* Pius XI, *Bellum post,* ad Ep. Austriae; Enc. *Quadragesimo anno, Divini Redemptoris;* Pius XII, t. IV, 336; III, 109-110; IX, 333-334 etc.).

20) *Totalitarismus* (*Imperialismus - absolutismus*) (pro quo cf. e. g. Leo XIII, Enc. *Libertas;* Pius XII, t. VII, 308-388; VIII, 105; X, 266; XI, 271 s.).

21) *Liberalismus* (*individualismus* etc.) (cf. Pius XI, *Quanta cura, Syllabus;* Leo XIII, *Immortale Dei, Libertas, Inimica Vis;* Pius XI, *Quadragesimo anno, Divini Redemptoris;* epist. ad Univers. Washington (oct. 1938); Pius XII, t. III; 109 s.; VII, 89, 308; XI, 333, 61; X, 13 s.; XII, 102; XIV, 550 etc.).

22) *Spiritismus* (cf. Pius IX, Enc. *Supremae* [1856] S. Officium 24 aprili 1917; *C.I.C.,* can. 1399).

23) *Theosophismus* (cf. S. Officium Decr. 18 iulii 1919).

24) *Irenismus moralis* (Ad mentem Pii XII, t. XII, 498-499, ubi datur ut error damnatus a Pio XI cum sermonem facit de modernismo morali, sociali et iuridico).

25) *Falsus mysticismus* (cf. Pius XII, Enc. *Mystici Corporis...*).

26) *Interiorismus* (ad mentem Pii XII, t. XIX, 680).

Uti patet, isti errores invadunt campum religiosum et moralem sive individualem quam familiarem et socialem. Unde, uti diximus, inutile forsan erit condemnare tantum « moralem novam » et non etiam illos errores, qui eundem invadunt campum in quo nascitur et nutritur « moralis nova » et modernismus moralis, de quo loquuntur Pontifices. In anterioribus punctis tamen vidimus, quod ipsa « moralis nova » licet habeat connexiones cum aliis erroribus, proprios etiam habet aspectus specificos.

Sed etiam quoad istos enumeratos errores, sicut pro « morali nova », valent sequentes animadversiones:

a) Praedicti errores aliquando inter se intime connectuntur, ita ut ubi variatur nomen, coincidit non raro substantia doctrinae. Iuvat tamen et separatim enumerare, ne quis putet, ob variationem denominationis, damnatum fuisse unum et non alium.

b) Isti errores, praeter connexos errores dogmaticos, habent originem etiam a falsa vel incompleta ipsius ordinis moralis conceptione. Quae qui-

dem incompletae « morales » tali modo describi possunt: a) aliqui putant nullum dare ligamen inter religionem et moralem (ordo moralis sine Deo, sine religione; b) alii putant quod dari potest verus et sufficiens ordo moralis ad salutem etiam extra christianismum (moralis sine Christo); c) alii putant quod habetur verus et sufficiens ordo moralis etiam extra Ecclesiam Catholicam eiusque magisterium (ordo moralis sine Ecclesia et unico magisterio); d) Alii concipiunt rectum et sufficientem ordinem moralem, non attento fine supernaturali neque revelatione neque mediis sanctificationis (ordo moralis sine Gratia); e) Alii denique reputant ut rectum et sufficientem ordinem moralem qui non attendit ad ipsam naturam hominis (ordo moralis sine ordine naturali); f) Alii construunt aliquem ordinem moralem sine ulla attentione ad peccatum originale vel cum illegittima extenuatione ipsius sensus peccati actualis (ordo moralis sine peccato); g) Alii quaerunt efformare aliquem ordinem moralem rectum in luce conscientiae tantum non attenta dependentia a morali obiectiva (ordo moralis sine lege) alii denique quaerunt efformare aliquem ordinem moralem sine iuribus anterioribus personae humanae, vel sine libertate, vel sine socialitate, vel sine aliquo alio principio fundamentali quod e contra exigitur ab ordine morali catholico integraliter sumpto et prout proponitur in Ecclesia.

VII

DE UNITATE DISCIPLINAE IN ECCLESIA SUB ASPECTU HISTORICO-IURIDICO

Inter proprietates et notas Ecclesiae invenitur et unitas.

« Unus Dominus, una fides, unum baptisma » (*Eph.*, 4, 5). Unitati fidei, regiminis et communionis [1] respondere non videtur existentia duorum Codicum Iuris Canonici in Ecclesia Catholica: unius pro parte occidentali (latina), alterius vero pro parte orientali (graeca). Ratione unitatis disciplinae desideratur unus tantum Codex Ecclesiae Catholicae futurus, in quo omnia illa quae pertinent ad ius divinum naturale, ius divinum positivum, ius apostolicum et ius canonicum antiquum commune necnon quaedam alia fundamentalia partem omnibus communem constituerent. Conservata tali modo unitate iuridica fundamentali locus tunc daretur illis rebus quae menti, temporibus, conditionibus historicis et regionalibus particularibus magis respondent.

---

[1] Leo XIII, *Satis cognitum,* enc. 29-vi-1896, in Denzinger n. 1960.

1

De unitate sub aspectu historico-iuridico

Unitas disciplinae in Ecclesia promovenda imprimis respicit statum rerum et problemata actualia urgentia; pro fine habet, ponderatis rationibus, auferendi res superatas, minuendi differentias disgregativas, praebendi solutiones conditionibus et exigentiis temporum magis respondentes.

Unitas disciplinaris hodie promovenda fundamentum habet in unitate decursu saeculorum, ex doctrina Christi, praesertim tempore apostolico et tempore unitatis iuridico-disciplinaris evoluta. Ex hac periodo unitatis iuridico-disciplinaris in Ecclesia, inter circa 4000 textus in *Decretum Gratiani* receptos, 1086, pertinent ad saec. IV-V, qui textus, per Decretum Gratiani, influxum exercuerunt in collectiones iuridicas authenticas, Concilium Tridentinum et Codicem Iuris Canonici. Pro fovenda unitate de qua S. Pontifex Ioannes XXIII tot vicibus in actis et sermonibus locutus est et loquitur, prae oculis habenda sunt praesertim tempora apostolica et immediate postapostolica, respectu semper habito evolutionis sequentis, non est tamen oblivioni insuper tradendum aliquas quaestiones uniuscuiusque generationis christianae esse. Problema lapsorum a fide, verbi gratia, de quo tot concilia antiqua agunt (Eliberatanum severiter, Ancyranum magis humaniter, Nicaenum a. 325 moderate), non multum dissimile apparet problemati quod asseclae atheismi et marxismi suscitarunt.

De cooperatione laicorum in apostolatu, de conditione mulierum in apostolatu in specie virginum Deo consecratarum agunt etiam documenta antiquissima. Ad elenchum quaestionum quae quasi ab omnibus legislatoribus moderantur pertinent e. gr. administratio bonorum in Ecclesia, mercatura clericorum, sustentatio cleri, cohabitatio clericorum cum mulieribus, prohibitio ne episcopi transgrediantur limites potestatis et dioecesis, ne clerici recursum faciant ad potestatem civilem pro favoribus obtinendis (Antiochenum, Sardicense), ne clerici itinerantes nimis gravent ecclesias alienas (Sardicense), ne monachi vagent etc.

Codex non raro recurrit ad disciplinam antiquam, in calce tamen, loco fontium critice editorum refert *Decretum Gratiani*. Pro Codice repetitae praelectionis optandum est quod recurrat directe ad disciplinam antiquam, referrendo in fontibus imprimis canones Conciliorum, decretales SS. Pontificum, SS. Patres ab omnibus receptos, deinde alios ratione auctoritatis et momenti.

Quare necessarium sit recurrendi ad disciplinam antiquam?

In manualibus collectionibus antiquis et modernis, constanter sermo fit de s. traditione, de traditione apostolica, de traditione ecclesiastica, de SS. Patribus, quod S. Pontifex Ioannes XXIII libenter refert. Ergo reversio ad traditionem, ad disciplinam antiquam, ad SS. Patres, in quantum exigentiis modernis respondeat. Illa quae per viginti quasi saecula vel fere eadem manserunt, pertinere, dicendum est, ad traditionem Ecclesiae saltem disciplinarem, sed possunt esse et originis apostolicae etc.

Omnes contra Ecclesiam aperte vel callide machinantes, v. gr. haeretici, schismatici aliique, provocare solebant et solent ad tempora Christi, apostolos, antiquitatem, affirmantes Ecclesiam catholicam diversam esse ab Ecclesia primaeva, ab Ecclesia Christi. Ecclesia locum obiectionibus praecludere simulque fideles in fide roborare volendo antiquitatis documentis monstrabat eius disciplinam a disciplina antiqua non diversam, sed tantum evolutam, et in aliquibus casibus omnino eandem esse. Confer v. gr. quoad hanc quaestionem opera KURTSCHEID B., *Historia Iuris Canonici. Historia institutorum ab Ecclesiae fundatione usque ad Gratianum,* Romae 1951; GAUDEMET J., *L'Eglise dans l'Empire romain* (IV-V siècles), Paris 1958 etc.

Insuper, quandoque difficile est reformationes necessarias in Ecclesia peragere et in vitam cito introducere, quare non probare, si possibile sit, quod reformatio proposita nil aliud est nisi, sub certo aspectu reversio, saltem partialis, ad modum vivendi primorum christianorum.

Reformatio v. gr. S. Francisci in fine nil aliud est nisi reversio ad Evangelium. Concilia antiqua Hispaniae, Galliae, etc., loquuntur de statutis patrum, de antiquis consuetudinibus, canonibus, Leo Magnus de auctoritate consuetudinis etc. Concilium Gangrense (a. c. 340) dat principium: « Omnia quae conveniunt traditionibus apostolicis et sacrarum scripturarum praeceptis in Ecclesia fieri exoptamus » et solutionem « secundum ecclesiasticas traditiones » auspicat. Reformationes Galliae saec. IX, pseudoreformationes saec. XVI sub titulo ad doctrinam apostolicam revertendi movebantur.

Unitas disciplinaris, sub aspectu historico-iuridico, significat constantem et aequalem modum agendi, lineam generalem directam per saecula servatam. Problemata disciplinae ecclesiasticae, diversis in periodis, ratione diversarum circumstantiarum, sub variis aspectibus tractantur. Prosequendo ergo unum problema, unam quaestionem, sub variis aspectibus, decursu saeculorum solutam, pervenitur ad cognitionem complexus problematis (quaestionis) cum solutione plus minusve completa. In solutione actuali, ratione novarum difficultatum et quaestionum danda, non sufficit problema actuale, sub eius aspectu hodierno tantum solvere, sed et quaestionibus ulterioribus vel antiquis resurgentibus, viam praeclu-

dere secundum experientiam saeculorum, secundum traditionem ecclesiasticam. Examinandae sunt etiam consequentiae alicuius solutionis, deinde ne solutione singulari unius quaestionis via aperiatur aliis questionibus.

In unitate disciplinae promovenda media via sequenda, ne ex una parte nimia diversitas unitati noceret, ex alia vero rigida unitas evolutionem et activitatem impediret.

Conclusio practica

Primo, problemata actualia maioris momenti proposita examinare oportet etiam sub aspectu historico-iuridico, ut linea generalis (fundamentalis et traditionalis) servetur intacta et ratione (principia) explicata (a SS. Pontificibus, Patribus conciliorum, SS. Patribus, doctoribus Ecclesiae etc.) pro solutionibus problematum modernorum adhiberi possint.

Secundo, quantum ad decisiones futuri Concilii oecumenici et canones Codicis repetitate praelectionis, desideratur documentatio sequendo ordinem: S. Scriptura, decretales SS. Pontificum, canones Conciliorum, Corpus iuris canonici, Concilium Tridentinum, Concilium Vaticanum, etc. adducendo primo loco antiqua et communia Ecclesiae universali, tunc tantum alia ut fundamentum atque evolutio ex fontibus relatis immediate innotescant.

Tertio, effectus rationabiliter praevisi: clara perceptio disciplinam Ecclesiae fundamentalem non solum cum illa antiquae Ecclesiae essentialiter identicam, sed saepius etiam quoad formam eandem manere; evolutionem disciplinae ex fundamento S. Scripturae et traditionis directe procedere; lineam generalem omnibus in casibus servatam esse, non recurrendo ad experientiam singulorum peritorum nostri temporis, quantum ad illam totius Ecclesiae per quasi XX saecula probatam.

VIII

DE OPPORTUNITATE CODICEM REPETITAE PRAELECTIONIS INCIPIENDI: IN NOMINE DOMINI N. I. CHRISTI, CUM TITULO PRIMO: DE FIDE ET ECCLESIA CATHOLICA

S. Pontifex Ioannes XXIII, in allocutione sollemni, *Questa festiva ricorrenza,* d. 25-1-1959 (*A.A.S.* 51 [1959] 68) una cum celebratione synodi Romanae et Concilii Oecumenici annuntiavit etiam « auspicato e atteso aggiornamento del Codice di Diritto Canonico », qua de ratione inter quaestiones a Concilio proxime futuro tractandas, quaedam respicient etiam Codicem repetitae praelectionis, inter quas sequentes opportunas et utiles censemus.

1

De initio Codicis

Codex Iustiniani imperatoris incipit: « in nomine Domini nostri Ihesu Christi Codicis Domini nostri Iustiniani sacratissimi principis repetitae praelectionis liber primus ».

Institutiones finiunt: De propitio.

Constitutiones quibus promulgatur *Codex* (*Cordi nobis est,* a. 534) et *Digesta* confirmantur (*Tanta,* 16 XII 533), incipiunt: « In nomine Domini nostri Iesu Christi Imperator C. F. Iustinianus... ».

Tali vel simili modo etiam Codex repetitae praelectionis incipere posset, videlicet: « In nomine Domini nostri I. Christi, incipit Codex iuris canonici, repetitae praelectionis, iussu S. Pontificis Ioannis XXIII digestus et auctoritate N. N. promulgatus ».

2

De titulo primo (proemio) Codicis

Praeter veritates fundamentales de SS. Trinitate et fide catholica optimum esset si Codex contineret etiam principia fundamentalia de Ecclesia catholica et de habitudine inter Ecclesiam et Statum. Haec erant, ut probant collectiones canonicae antiquae, et sunt revera apta introductio legis positivae, pro quarum rerum insertione sequentes rationes principales militare videntur:

I. *Traditio iuridico-historica*

Codex Iustiniani incipit cum titulo: De Summa Trinitate et de fide catholica.

Compilatio antiqua IV et tres collectiones authenticae *Corporis iuris canonici,* videlicet *Decretales Gregorii IX, Liber Sextus Bonifatii VIII, Clementinae,* eodem modo incipiunt, scilicet: De summa Trinitate et fide catholica.

Secundum primum schema *Codicis Iuris Canonici,* in proemio recipi et poni debuisset titulus: « De Summa Trinitate et fide catholica, sicut constat ex litteris P. Gasparri, die 6-IV-1904 ad rectores Universitatum missas (cf. *A.A.S.* 37 [1904-1950] 130).

II. *Experientia Codicis Iuris Canonici*

Omisso titulo « De SS. Trinitate et fide catholica » Codex Iuris Canonici debuit, variis in locis et casibus, recurrere ad inculcanda et repetenda principia iuris naturalis, iuris divini positivi etc. (v. gr. c. 27, c. 1495: « Ecclesia catholica et Apostolica Sedes nativum ius habent... »; c. 1499 § 1 c. 1509, 1 etc.). Si canones disciplinam spectantes quasi exclusive ferantur, necessarium evadit principia quae ad ipsam fidem, Ecclesiam eiusque iura pertinent saepius inculcare et repetere.

III. *Ratio inter ius et theologiam*

Lex vivendi pendet a lege credendi et lege orandi. Ultima in analysi longe maior pars canonum explicat veritates fidei et principia religionis christianae casibus practicis applicat. In fine unaquaeque lex nil aliud manet nisi explicatio alicuius principii eiusque applicatio vitae quotidianae. Solutiones quaestionum iuris possunt lacunis laborare proprie ob defectum auctoritativae et competentis expositionis principiorum. Revera haec omnia inveniuntur in actis SS. Pontificum et Sanctae Sedis, theologia dogmatica, operibus auctorum, attamen non esset superfluum, potius necessarium, haec initio Codicis, breviter, per modum proemii vel primi tituli iuridice praebere et exponere.

Solutiones quaestionum singularum pendent et a singulis canonibus eorumque explicationibus et a principiis in quibus illi canones fundantur vel ex quibus effluunt.

Subintelligere principaliter hic intendimus habitudinem Ecclesiae ad Statum, quaestiones sociales et quaestiones quae exoriturae rationabiliter praevidentur.

IV. *Ratio convenientiae*

Posito titulo De SS. Trinitate, fide et Ecclesia catholica, vel magis simpliciter De Fide et Ecclesia catholica, iurisperiti non catholici etiamque catholici in rebus fidei et doctrinae christianae ex professo non formati, immediate perspicerent Ecclesiam catholicam eiusque legislationem diversi generis esse a Statu eiusque legislatione. Pro formatione studentium iuris utile esset initio breviter repetere principia fundamentalia de fide et Ecclesia catholica et tali modo studium Codicis initiare.

Primo, opportunum censemus quod Codex repetitae praelectionis

Conclusio practica

incipiat: « In nomine Domini N. I. Christi incipit Codex repetitae

praelectionis, iussu S. Pontificis N. N. digestus et auctoritate S. Pontificis N. N. promulgatus ».

Secundo, quod proemium vel primus titulus incipiant: « *De SS. Trinitate, fide et Ecclesia catholica* », vel brevius: « *De Fide et Ecclesia catholica* ». Principia fundamentalia de fide et Eclesia catholica, concisa et clara, forma iuridica exposita desiderantur.

IX

DE ORDINE MORALI CATHOLICO IN SUIS FUNDAMENTALIBUS PRINCIPIIS POSITIVA PERTRACTACTIO ATQUE DECLARATIO

Iuvat in primis quaedam praemittere et enucleare quoad ipsum titulum.

Agimus de *ordine morali catholico*. Nam si, ut speramus, decernitur in Concilio oecumenico agendum de rebus moralibus, melius videretur sub aliqua unitate principii ordinis illas illustrare ac determinare. Ex omnibus propositis novis idaeis centralibus pro exponenda catholica theologia morali (cf. Tillman, Mersch, Gilleman etc.) nihil videtur tam traditionale, universale et aptius quam principium *ordinis*. Ipse Pius XII, cum frequenter de problematibus moralibus agebat, omnia in luce ordinis invisebat. Pulcherrimum et quoad hoc imperiturum documentum est ultimus sermo natalitius eiusdem Pii XII (*Nuntius Radiophonicus natalitius 1957*). In principio igitur universali ordinis omnia necessaria vel utilia principia moralis catholicae bene organisari possunt. Ipsa expositio quoad hoc haberet aliquam organicam unitatem.

Dicimus: *in suis fundamentalibus principiis,* quia solum aliqua puncta Concilium de facto pertractat. Maxime interest, fundamentalia principia ad illustranda vel solvenda urgentiora problemata moralia exponere.

Adiunximus in fine: *positiva pertractatio atque declaratio,* quia in primis forsan iuvat, ut homines mundi moderni sciant quid *positive* credat et retineat Ecclesia in rebus moralibus, antequam moneantur de erroribus. Haec pars Concilii etiam quam maxime utilis erit fidelibus et pastoribus catholicis, sed etiam iuvat ipsis acatholicis, qui possunt et debent etiam cognoscere, quid sentit Ecclesia positive in rebus moralibus, si et quando, gratia Dei, cogitent redire ad unitatem.

Hinc non possumus omnia puncta, quae enuntiamus, profunde et longe exponere, data finalitate « antepraeparatoria » huius voti. Voluimus

tantum puncta praedicti ordinis moralis catholici potius *schematice* indicare. Non omittimus tamen aliqua indicare documenta magisterii ecclesiastici et argumenta ad comprobandam rationem pertractationis, si et quando opportunum fuerit. Ratione brevitatis omittimus tamen citationes quamplurimas fontium et litteraturae modernae, quae circa aliqua puncta vere copiosa est.

Iam S. Augustinus docebat principium: « iustum est ut omnia sint ordinatissima ». Christus autem, ut ait Pius XII est « pegno di armonia e di ordine nel mondo » (*Nuntius cit.*) Unde necesse est, ut omnia in Christo, qui est Caput Corporis mystici, id est Ecclesiae, restaurentur (cf. Pius XI Enc. *Ubi arcano,* et alibi). Haec autem restauratio nihil aliud est, sub aspectu morali, nisi theorica et practica morum *ordinatio,* iuxta normam Christi, auctrice Eius Gratia.

1

De ipso ordine morali

Post principium generale, quo Deus retinendus auctor et rector *ordinis* divini (cf. Pius XII, Enc. *Summi Pontificatus*) sequentia puncta illustrare iuvat.

In primis videtur utile agendum de ipsis conceptibus genericis quantum ad *ordinem.* Iam plura de hoc themate habentur in traditione theologica et in documentis Ecclesiae. Ita famosa illa definitio S. Augustini « parium dispariumque rerum sua cuique loca, tribuens dispositio » (S. Aug. *De civ. Dei,* XIX, C. 13 in *PL.* 41, 640), sat cognita etiam a scholasticis, potest bene attendi.

a) *De positione hominis* in ordine sive naturali sive supernaturali multa habentur in ipsa traditione theologica. Homo dicitur « *princeps terrae* et *omnium quae sunt in* ea », « *totius creaturae dominus* ». Et S. Augustinus in *Super Genesim,* lib. VIII, ordinem declarat, quo Dei providentia atque administrans universam creaturam et naturam et voluntates... subdidit primum omnia sibi, deinde creaturam corporalem creaturae spirituali, irrationalem rationali, terrestrem caelesti, feminaeam masculinae, minus valentem valentiori, indigentiam copiosiori. Vi huius ordinis habetur homo positus in ordine verticali et in ordine horizontali. Vi ordinis verticalis homo habet finem ultimum ad Deum et aliae res mundanae ordinantur ad ipsum tanquam ad proprium dominum, qui illis tanquam mediis, non ut finibus uti debet. Per longum hic esset istam hominis positionem testibus traditionis comprobare et illustrare. Attamen sat momentosa doctrina est. Hodie enim crescit desiderium theologice quaerendi, quaenam sit positio hominis in relatione

ad totum universum creatum (quaestio de habitatione astrorum vel de eorum dominio ex parte hominis).

b) Praeter istum ordinem hominis in *macrocosmo,* momentosum etiam est elucidare doctrinam de ordine in ipso homine seu in *microcosmo.* S. Augustinus, etiam quoad hoc, fons esse potest. Ita v. g. scribit: « ... ut oboedienti Deus homini, *animus corpori, ratio autem vitiis,* etiam repugnantibus imperet, vel *subigendo* vel *resistendo* ».

c) Elucidatis speciebus ipsius ordinis: scil. de *ordine naturali* et de *ordine supernaturali,* inter utrumque ordinem relatio bene illustranda erit. Aliquae enim insunt confusiones quoad hoc. Enucleandum est, quod ordo naturalis, essentialiter vivit et non est destructus in ipso ordine supernaturali (cf. plura documenta pontificia...). In connexione agi potest de personalitate nova, quam homo acquirit in Ecclesia vi baptismatis (cf. can. 87) cui numquam renuntiare potest. Atque idem iuvat etiam hic referre varias notiones personarum in Ecclesia vi huius ordinis supernaturalis (Laici, clerici, religiosi).

d) Quantum autem specifice attinent ad ipsum *ordinem moralem* eiusque ab ordine ontologico dependentiam, sat clara doctrina enucleanda videtur. Attendantur e. g. textus Pii XII: « L'ordine e l'armonia divina nel mondo devono essere pertanto il principale caposaldo *dell'azione,* non solo dei cristiani ma di tutti gli uomini ». Immo expresse adiungit: « Se l'essenza stessa dell'uomo è immagine di Dio, anche il suo operato deve essere a lui conforme, come insegna la Sapienza, che *operari sequitur esse* ». Et insuper: « ... Il Creatore mise l'uomo, immagine del suo Spirito, nel mondo affinchè sia *il suo signore con la cognizione, il volere, l'azione,* facendo propria, in intensità e in profondità, intensive et collective, la somiglianza della eterna verità e bontà; estensivamente diffusa nel mondo » (Pius XII, t. XIX, 683). Et si volumus adhuc magis clare, ait Pius XII: « La divina sinfonia del cosmo, particolarmente sulla terra e tra gli uomini è confidata dal Sommo Autore alla stessa *umanità, affinchè* questa, quale immensa orchestra, distanziata nel tempo e multiforme nei mezzi, ma unica *sotto la guida di Cristo,* la esegua fedelmente, interpretandone il più perfettamente possibile il tema unico e geniale. Dio, cioè ha consegnato agli uomini i suoi disegni affinchè questi li pongano in atto, *personalmente* e *liberamente,* impiegando la loro piena *responsabilità morale* ed esigendo, ove sia necessario, fatiche e sacrifici, dietro l'esempio di Cristo... » (Pius XII, t. XIX, 680).

Ex istis et aliis documentis, quae inveniri possunt, secura doctrina construi potest non solum de *existentia ordinis* ac de *positione hominis* et *christiani* in ipso; sed etiam de ipso *ordine morali* non solum quoad

eius existentiam et elementa (personalitas, libertas, cognitio, volitio, etc.) sed etiam quoad dependentiam ab ordine ontico (pro quo cf. etiam *Instructio S. Offici* 2 februarii 1956).

2

De libertate, de lege et de Gratia ut elementis ordinis moralis.

Agendum est de singulis elementis, sine quibus ipse ordo moralis catholicus non exprimitur. Nam homo debet ordinem servare libere (scienter et volenter, seu secundum dignitatem personae humanae); attenta *lege* (quae mensurat et regulat ipsam humanam libertatem) et cum adiutorio *gratiae* (quae necessaria est ad ipsam legem moralem servandam). Hic modus agendi respondet fundamentaliter schemati scholasticorum et ipsius S. Thomae. Qui e. g., ubi agit de fundamentalibus principiis actuum, quaerit in primis: de illo instrinseco in homine (quod est voluntarium) et post de extrinsecis principiis (sc. *de lege et de gratia*): *I III, quaestio Q. 90* prologus: « consequenter considerandum est de principiis exterioribus actuum. ... Principium autem movens ad bonum est Deus, qui nos instruit per *legem* et iuvat per *gratiam* »).

a) Singulariter quoad *libertatem* aliqua enucleanda sunt, praesertim circa verum eius conceptum (cf. Pius XII, t. XII, 161; t. 14, 26-27). Eius existentia vindicanda est in omnibus; et eius defectus de casu in casu probandus est. Nam hodie, ex influxu modernarum scientiarum psychologicarum, existentia libertatis, sat diminuitur. Immo quasi tanquam ex principio tenetur contrarium, ac quod non sumus sufficienter liberi, quoadusque contrarium probetur. Adest in hoc quam clarissimus Pius XII, qui principia dat (t. XV, 79, 711). Aspectus positivus libertatis enucleandus est. Praesertim hominibus modernis iuvat solemnis affirmatio et demonstratio, quomodo revera prosecutio erroris vel mali destruat libertatem, ut perfectionem conceptam (cf. Pius XII, t. V, 194-195; t. VII, 507; t. XII, 34; t. XIV, 27; etc.); et praesertim moneatur, quod non datur ius ad eligendum malum (cf. Pius XII, sermo 11-7-1946).

Quoad autem impedimenta libertatis in eius exercitio, bene enucleanda sunt principia quoad influxum vel minus, quae possunt habere in ipsam. Multa enim sparguntur vel insinuantur in ista materia insanae et falsae doctrinae. Ut unum citemus; etiam ex campo catholicorum, legatur tota pagina illius catholici viri Pende, *Un medico di fronte al Vangelo* (Milano 1945), p. 141, ubi e. g. affirmatur: «... Per tali leggi di genetica morbosa sono discesi dalla prima cop-

pia uomini con l'organismo fisiologico capace di cooperare con l'anima donata da Dio e cooperare con Dio per salvarsi, mediante l'aiuto gratuito della Grazia di Lui; ed *altri uomini invece costituzionalmente incapaci di salvarsi per le gravi alterazioni ereditarie del loro corpo, anche se Dio fa piover continuamente su di essi, come sui buoni, la stessa pioggia benefica, come il Vangelo ci insegna* ». In conexione forsan hic etiam agi potest de libertate civili-religiosa et conscientiae secundum principia ordinis moralis; praesertim quantum se refert ad extensionem et limites publicitatis (cf. Pius XII, I, 376; VII, 75; VI, 239-240; VIII, 171-172; VI, 248-50; VII, 118; X 47; VIII, 258-260; VIII, 261; IX, 312; XIV, 432; etc.).

b) Quoad *legem* iuvaret pertractare aliqua puncta particularia. Praesertim agatur de existentia et valore *legis aeternae* in qua, ut repetit ipse Pius XII (Enc. *Caritate compulsi*) fundatur ipse *ordo moralis in mundo.* Quoad *legem naturalem* multa veniunt puncta sive pro debellando sic dicto positivismo iuridico; sive pro demonstrando eius valore in ipso ordine redemptionis. Insuper agatur de charactere et valore legis moralis; de eius relatione cum *conscientia morali* et quomodo possit obligare, licet per se sit universalis, etiam in casibus singularibus (cf. Pius XII, t. XIV, 75 et alibi; cf. *Moralis nova*). Explicare iuvat sensum, extensionem et limites principii, quo lex non obligaret cum gravi incommodo. Data ipsa confusione inter catholicos, cum connexis practicis consequentiis, opportunum esset declarare duo puncta: unum de relatione inter praeceptum et consilium (num scl. ipsa consilia aliquando saltem subiective obligent); et insuper, num et quo sensu possunt existere sic dictae *leges mere-poenales.*

c) Quoad *Gratiam* aliqua puncta commemoranda opporteret praesertim quantum attinet eius necessitatem (Pius XII, t. X, 461; XIV, 20; V, 10); et quantum ad possibilitatem servandi legem cooperando ad gratiam (repetis Pius XII, t. XIII, 346). Hodie enim non raro affirmatur, quod aliqua peccata sunt inevitabilia praesertim in campo sexuali in iuvenibus et in coniugatis (Pius XII, t. XIV, 72 ss.). In connexione agatur de relatione inter psychologiam et Gratiam in ordine morali, attentis praesertim praetentis innovationibus psychologiae profundi. Et iuvat etiam agere de Gratia in relatione ad educationem, cum adsint de hoc aliqui errores (cf. Pius XII, t. XIII, 244-245; V, 25-26; X, 245; XV, 554).

3

De conservatione, violatione et reparatione ordinis moralis

Plura iuvat declarare positive, quae se referunt ad ipsam *moralitatem actus humani.* Qui prout est contra ordinem, praeter ordinem vel secundum ordinem, consideratur graviter malus, leviter malus, vel denique bonus.

Sed, quoad hoc, multum interest determinare existentiam et naturam *moralitatis intrinsecae.* Hoc est punctum maxime necessarium pro debellanda « *morali nova* » (cf. alteram partem).

In connexione agendum videtur de moralitate sive *materiali* sive *formali.* Prima etiam attendenda est. Sunt aliqui qui dicunt e. g. licere *inducere* aliquem ad patrandam actionem solum *materialiter malam,* cum sit contra ordinem obiectivum; ideo licet aliquando permittere, numquam vero directe inducere (Pius II, t. XV, 76-76, 333). Aliqui e contra e. g. praetendunt, quod liceret infantes, qui *formaliter peccare* non possunt, inducere ad faciendam masturbationem vel aliquid aliud.

Quoad *actum bonum* et virtutes morales, forsan aliqua in particulari illustranda videntur: ita aliqua dicenda sunt de virtutibus moralibus specifice evangelicis et christianis (uti sunt poenitentia, humilitas, paupertas...). Quoad relationem inter iustitiam et caritatem aliqua enucleanda, data magna confusione praesertim in re sociali (sicut in alio puncto dicimus).

Quoad *violationem* ordinis moralis per peccata et vitia illustranda est ipsa notio peccati. Nam aliquando affirmatur, quod peccatum grave habeatur tantum, quando directe intendatur offensio Dei vel quando fiat ex malitia non autem si ex simplici debilitate (c. Pius XII, t. V, 189-190). Immo non deest, qui affirmet quod per peccatum, quis magis ditatur (« si arricchisce ») in propria personalitate (cf. Pius XII, t. XII, 14).

Quoad *reparationem* ordinis moralis violanti declaranda est relatio inter culpam et poenam; necessitas virtutis poenitentiae (cf. Pius XXI, t. XII, 15-16, 289), uti virtutis restauratricis ordinis violati. Iuvat etiam forsan hic aliqua principia enuntiare de « iustitia poenali », de qua multum locutus est ipse Pius XII.

4

DE ORDINE SERVANDO RESPECTU DEI-CHRISTI ET ECCLESIAE

Praeter aliqua principia circa virtutes religionis, fidei, spei et caritatis sub aspectu morali, monere iuvat contra facilitatem seiungendi, in istis virtutibus exercendis, Deum a Christo et Christum ab eius Ecclesia. Non raro enim fideles theoretice et practice dicunt amare Christum sed non Ecclesiam; quasi hoc sit possibile. Unde aliqua principia videntur solemniter declaranda sub aspectu morali. Per modum exemplorum sequentia principia videntur momentosa:

a) Numquam potest seiungi Deus a Christo et Christus ab Ecclesia et Ecclesia a Petro. Itaque vere et practice credi et admitti debet, quod ubi Deus, ibi Christus, ubi Christus ibi Ecclesia, ubi Ecclesia ibi Petrus et viceversa.

b) Nemo potest amare Christum, quin amet effective et affective etiam eius Ecclesiam (cf. Pius XII, t. III, 366-367; t. VII, 397).

c) Nemo potest sperare in salutem propriam vel aliorum vel ipsius societatis per Iesum Christum, neglecta culpabiliter vel contra eius Ecclesiam (cf. Pius XII, t. VII, 476, 288; V, 355; VII, 402, 341; IX, 478, 487; XIII, 471; XIV, 360, etc.).

d) Neque exspectandae sunt novae oeconomiae, cum ipsa Ecclesia catholica possideat « tutta la somma di verità e di grazia che nella missione redentrice di Cristo è contenuta » (Pius XII, Sermo 2, VI, 1944).

e) Pars essentialis revelationis et religionis catholicae sunt *veritates morales,* quae pariter concreditae sunt non singulis sed eius Ecclesiae (*Pius* XII, Sermo 23, III, 1952 in *A.A.S.* 1952, 273).

f) Maioritas christiana (« cristiano adulto ») rite intellecta, acquiritur in Christo sed non independenter ab eius Ecclesia « en laquelle il continue d'agir » (Pius XII, Sermo 18, IV, 1952 in *A.A.S.* 1952, 418).

g) Non licet favere inimicis Dei vel Christi vel Ecclesiae, etiam indirecte scil. desidia, dissensu vel periculosis hybridismis (cf. e. g. Leo XIII, *Acta* t. III, 273: « Catholicorum... desidia vel dissensus, nihil potest inimicis catholici nominis optatius contingere »; et Pius XII monet catholicos ut servent fidei puritatem a periculosis commixtionibus. Immo etiam declarat, quod catholicis non licet « patteggiare con sistemi o tendenze, che contraddicono ai principi medesimi (scil. doctrinae socialis Ecclesiae) o dai quali la Chiesa ha ammonito i fedeli di guardarsi » t. VII, 90).

h) Ecclesia non potest considerari ut foedum alicuius factionis politicae vel unius tantum civilitatis; sed ipsa est omnium mater et magistra

(cf. Leo XIII, Enc. *Sapientiae christianae;* Pius XII, t. XIII, 391; XIII, 557; XV, 141; II, 348, etc.).

Alia puncta specifica contra sic dictam « theologiam laicam » enucleanda videntur. Et proclametur, quod Ecclesia possidet magisterium infallibile rerum moralium (cf. Pius XIII, t. XIV, 22).

Pertractandum est systematice et positive de *iuribus Dei Iesu Christi et Ecclesiae,* ut dicit ipse Pius XI in Encyl. *Ubi Arcano.* Insuper monendi sunt fideles, ut non retineant fabulam existentiam et praesentiam satanae in mundo, sed quotidie orent contra principem huius mundi, qui ut ait Pius XII (t. X, 414; XI, 400) « odia la giustizia ed avversa la pace ». Insuper practicae normae quaedam dandae videntur de modo se agendi quoad inimicos Dei-Jesu Christi et Ecclesiae (praesertim de secta massonica adhuc agatur et de aliis associationibus atheisticis vel antichristianis vel acatholicis).

Item agendum videtur de obligatorietate manendi in Ecclesia et nunquam renuntiandi proprio Baptismati. Habetur enim hodie apud laicos praesertim tendentia non admittendi Baptismum parvulorum vel saltem habendi possibilitatem iuridicam renuntiandi baptismati cum aliquis fit adultus.

5

De ordine morali oeconomico

Est maximi momenti hodie, ut pertractetur cum omnibus suis connexis principiis et quaestionibus. Et praesertim affirmanda est dependentia ordinis oeconomici (sive sub aspectu scientifico sive sub aspectu practico) ab ordine morali. Nam ipse ordo positus a Deo exigit, ut ipse ordo oeconomicus ab ordine morali separari non possit. Nam, uti vidimus, homo est dominus rerum. Istud autem dominium explicari debet secundum normas, quas ipse Deus posuit. Vi talium legum constabiliantur principia ordinis moralis-oeconomici. Quae sequentia haberi possunt, cum facile sit in tota Traditione et in documentis pontificiis invenire:

a) Res datae sunt ad necessitates vel utilitates hominis.

b) Ista intrinseca destinatio, a Deo posita, est universalis seu pro omnibus hominibus et non pro aliquibus tantum, cum omnes homines ius habeant, a natura datum, rebus materialibus utendi ad consequendas proprias legitimas finalitates. Unde ipsa bona « aequa ratione ad omnes affluere debere iustitia duce, caritate comite » (Pius XII, t. III, 492; Ioannes XXIII, *Allocutio Consistorialis,* in *L'Osservatore Romano,* 14-15 dicembre 1959).

c) Cum autem ipsae res sint media et non finis hominis, illis cum limite utendum est.

d) Insuper, cum ipsae res sint destinatae ad omnes, in ista delimitatione necessitates aliorum attendendae sunt. Quam maxime iuvat repetere verba Ioannis XXIII: « Efficiendum pro viribus est, ut omnes infimae quoque plebis homines possint *labore suo* suaeque frontis sudore *necessaria vitae* sibi comparare, ac tuto honestoque modo in posterum quoque sibi suisque consulere » (Enc. *Ad Petri Cathedram*).

Hic venit famosa illa quaestio de *bonis superfluis*.

Quae ut tandem complete petractari possit deberet enucleari sub sequentibus aspectibus: *Primo* agendum est de *determinatione* superflui (quid sit, num existat et num possit determinari); *secundum* agendum est de *acquisitione* superflui (num possit aliquis desiderare vel de facto acquirere superflua et divitias); *tertio* de ipsa *possessione* superflui (num aliquis peccet possidendo res superfluas); *quarto* de ipsa superflui *distributione* (num sit praeceptum et ad qualem virtutem sit referendum). Hoc punctum est maximi momenti pro ipso ordine morali oeconomico et sociali.

Non indiget ut dicamus, quod prius ipsum ius proprietatis quoad eius existentiam et naturam delucidandum iuvat. Nam etiam quoad illud inimici Ecclesiae volunt continuo demonstrare e. g., quod ipse communismus bonorum probari possit textibus Evangelii et sanctorum Patrum et Scholasticorum. Hoc tandem bene studendum est, demonstrando, quod textus traditionis catholicae si authentice inveniantur et recte intellegantur, nullo modo thesim illorum probant. Non sufficit obiicere ex parte nostra, quod textus illi sunt oratorii et iperbolici; cum plures ex illis inveniantur allati in collectionibus iuridicis et in ipsis operibus theologicis scholasticorum, incluso S. Thoma. Unde falsitas aliunde probari potest et debet.

6

De ordine morali respectu ad seipsum

Plura affirmanda esse videntur. *Quoad proprium corpus* declaretur, quod corpus humanum non est considerandum uti res vel ut corpus animale, cum e contra sit Dei templum, destinatum ad resurrectionem (Pius XII, t. XIV, 383 ss.; t. VII, 57 etc.). Corporis humani tamen cura non cultus idololatricus habeatur (Pius XII, t. XIV, 384). Enuntiare iuvat principium traditionale existentiae, exstensionis et limitis iuris hominis in proprium corpus. In documentis etiam pontificiis sermo

fit de dominio utili tantum (cf. Pius XII, *Sermo* 12 novembris 1944). (In connexione agi potest de mutilatione, de qua hodie apud ipsos catholicos multo disputatur). Item clare enuntientur principia circa ludos sportivos, praesertim quantum attinet ad ludos periculosos et ad ludos (« sport ») mulierum pro quibus praedicetur principium semper validum Pii XI, scilicet in certaminibus mulieres summopere dedecere se ante oculos omnium proponere (cf. Pius XI, Enc. *Divini illius Magistri*) et denuntientur sic dicti « concorsi di bellezza ». Similiter *quoad propriam animam* agatur de psychanalisi et de psychoterapia in luce documentorum pontificiorum (cf. Pius XII, *Sermo* 15 apr. 1953; t. XV, 67-76 et in aliis sermonibus). Expresse declaretur, quod non liceret indiscriminatim et inconditionate se submittere investigationibus et curis psychoanaliticis. Severe monentur fideles pro salute spirituali propriae animae, ut adhibeant omnia media supernaturalia et fugiant omnes occasiones peccati, praesertim tempore moderno. Et in connexione declaretur intrinseca periculositas aliquorum spectaculorum et praesertim modernarum saltationum (« balli moderni »); quae omnia ideo neque licet promovere ex parte catholicorum (cf. varia documenta: Benedicti XV, Enc. *Sacra propediem,* et plurium Episcoporum; cf. etiam Pii XII, *Sermones* 24 iulii 1949 et 21 octobris 1945 et 22 maii 1941).

Quantum attinet autem ad *propriam vitam* conservandam condemnetur sollemniter inter alia « euthanasia » (cf. Pius XII, t. IX, 226; XV, 420-421).

Similiter agi potest in hac parte de « mutatione sexus », de transplantatione aliorum organorum (Pius XII, *Sermo* 14 maii 1956), de sterilisatione sive perpetua sive temporanea (Pius XI, Enc. *Casti connubii* etc.) de crematione, (*Decr. S. Officii* 10 maii et 15 decembris 1886), de experimentis medicalibus, problematibus medico-moralibus. Iuvat etiam clara principia theorica et practica enuntiare circa « initiationem sexualem » (Pius XI, Enc. *Casti connubii* et Pius XII, t. XIII, 243-245; XV, 71).

Insuper iuvat ordinis moralis principia proclamare circa *electionem proprii status* in vita humana, praesertim quantum attinet ad valorem vocationis sacerdotalis et religiosae et de valore sacrae virginitatis (Pius XII, Enc. *Sacra Virginitas,* et pluria alia documenta).

7

De ordine morali respectu ad alios homines singulariter consideratos

Hic dicimus primo de principiis ordinis moralis respectu unius hominis ad alterum. Nam homo potest considerari vel singulariter vel ut membrum alicuius societatis. Duplex enim est respectus: individualis et socialis. Bonum enim individuale essentialiter differt a bono communi, ut docebatur etiam in scholastica. Unde etiam iuvat distinctim pertractare.

In ordine ad alios, sub aspectu *individuali,* sequentia puncta pertractanda videntur: 1) De *iustitia* agatur deque cum caritate relatione. Et praesertim agatur de sic dicta « iustitia christiana » num et quo sensu de ipsa sermo fieri possit. Sat momentosa est quaestio de iustitia, cum non desit qui affirmet doctrinam veram de iustitia in campo theologico morali complete et unice ad Ethicam Aristotelicam esse referendam. Quod quidem, nostro iudicio, neque historice neque doctrinaliter est securum; immo apologetice et doctrinaliter periculosum. In connexione fiat aliqua enumeratio *iurium personae humanae,* etiam individualiter sumptae. Talia iura etiam tali modo dividi possunt: iura et officia quoad hominem qui est alterius generis vel coloris, alterius sexus, quoad vitam et corpus aliorum (quaestiones de occisione, de abortu etiam therapeutico, de narcoanalisi (cf. Pius XII, *Sermo* 3 oct. 1953) de crematione cadaverum (*Decreta S. Officii* 19 maii et 15 dec. 1886). Principia aliqua circa bona aliorum melius in theoria et in praxi enodanda oporteret. E. g. quoad materiam absolute gravem in furto hodie etiam practice magna divergentia: in Italia sub aspectu morali alii dicunt quod sufficiant L. 15.000; alii quod sufficiant L. 30.000; alii requirunt L. 50.000; alii denique perveniunt ad L. 100.000. Quomodo practice gerere se debent confessarii?!

Sat momentosum est aliqua enuntiare de *veritate* et de *veracitate* sub aspectu morali; necnon de *scandalo,* praesertim hodie, propter media moderna quibus innumerae personae et ubique locorum scandalizari possunt.

8

De ordine morali in societate coniugali et familiari

Hic veniunt problemata vitae *coniugalis* et *familiaris* sub aspectu morali.

Aliqua sunt confirmanda vel declaranda circa ipsum matrimonium christianum, sive uti contractum sive uti sacramentum, praesertim quantum attinet ad relationem cum sacra virginitate de qua etiam supra (cum ideae minus rectae de hoc habeantur) et de *ipsis finibus matrimonii.* (Pro ista parte multo iuvant iam edita documenta Pontificia, praesertim Pii XI, *Casti connubii,* Pii XII, Enc. *Sacra Virginitas* et *Decreta S. Officii*).

Insuper iuvat declarare sollemniter principia christiana quoad ipsum matrimonium contrahendum sub aspectu *possibilitatis;* hic venit quaestio de impedimentis, praesertim illa de impotentia viri (notio « veri seminis ») et mulieris (quaestio de muliere excisa, cum vagina artificiali vel occlusa, etc.). Deinde enucleare iuvat principia moralia circa matrimonium prout est aliqua *spes* vel *desiderium* (problema de modis licitis vel illicitis inveniendi sponsum: hodie divulgatur usus sic dictae « agenzie matrimoniali »); deinde de matrimonio promisso (quaestiones practicae de sic dictis visitationibus amatoriis et de sic dicta « plastica imenali »); deinde de matrimonio in sua celebratione (videatur, num aliqua revisio circa formam canonicam celebrationis sit opportuna).

Agatur sub aspectu iuridico et morali de celebratione solius matrimonii civilis, quem non pauci fideles attentare audent.

De *iuribus* autem et *officiis coniugum* in usu matrimonii multa adsunt documenta S. Sedis ex quibus potest secure condemnari sive *onanismus coniugalis,* sive *inseminatio artificialis.* Pro *continentia periodica* dicatur, num si quis eam exerceat sine gravi causa peccet mortaliter; et similiter quoad sic dictum « *amplexum reservatum* » detur aliqua clarior Ecclesiae positio, quia Monitum S. Officii iunii 1952 dicit tantum non esse de eo loquendum: « quasi nihil ex parte moralis christianae esset obiiciendum ». In praxi enim ipsum ut licitum declaratur a non paucis. Videtur inter sententiam negantem intrinsecam malitiam et illam, quae tenet et quidem *graviter* intrinsece malum esse, cum S. Alphonso declarari forsan potest quod sit saltem semper sub levi prohibitus. De tali problemate multa adest bibliographia. Similiter aliqua dicenda videntur quoad problema, num licitum sit suspendere ovulationem et problemata connexa.

Sollemniter autem declaretur, quod *fides* seu fidelitas est pariter moraliter ius et officium pro utroque coniuge, et non pro muliere tantum.

Iura autem et officia ordinis moralis *parentum erga infantes* et *vice-versa* claro modo enuntientur, praesertim quantum attinet *educationem* (cf. Pius XI, Enc. *Divini illius Magistri,* et Pius XII in duobus sermonibus praesertim 18 aprilis et 23 martii 1952). Declarari potuit quaestio de « *coeducatione* ».

Praesertim sollemniter admonendi sunt fideles de procuranda *positive* educatione christiana prolis; et etiam *negative* vitandi quidquid periculosum sit pro fide et moribus filiorum sive in scholis sint, sive in ipso « ambiente » familiari, sive in societate.

9

DE ORDINE MORALI IN SOCIETATE PROFESSIONALI NATIONALI ET INTERNATIONALI

Hic veniunt problemata moralis socialis stricto sensu. Unde necessitas hic vel alio loco determinandi existentiam, naturam, extensionem, limites, fontes, methodos, praecepta et virtutes *moralis socialis catholicae.* Non deest inter Catholicos qui considerat moralem socialem uti aliquam scientiam distinctam; et ex alia parte sunt, qui unice loquuntur de *sociologia christiana.* Quae omnia bene intelligenda sunt. Nam valet principium quod doctrina socialis Ecclesiae pertinet ad moralem socialem; et quod ista est pars essentialis moralis catholicae. Hoc modo etiam melius intelligitur, quod, si Ecclesia intervenit in problematibus societatis sub aspectu religioso et morali, intervenire potest et debet. Consequenter etiam sollemniter affirmandum oporteret principium, quod ipsa *quaestio socialis* est in primis quaestio moralis socialis; hac de causa eius solutio contra moralem socialem catholicam attendi non potest.

Hac occasione bene determinanda est existentia et natura ipsius sic dictae « *iustitiae socialis* », de qua multa dicuntur et multo disputatur apud ipsos moralistas. Cum e contra aliqua notio univoca, saltem auctoritative, dari possit et conveniat, attenta traditione catholica et documentis pontificiis, ad vitandas confusiones et aequivocationes.

Similiter agendum est in connexione de *bono communi* quoad eius existentiam, naturam et relationem cum aliis bonis.

Itidem iuvaret agi ex professo de sic dicta *iustitia distributiva,* quoad eius existentiam et naturam in campo sociali.

In particulari sequentia problemata enucleanda iuvaret per clara principia:

a) *de iuribus et officiis in societate operaria* (codex moralis praesertim in societate operaria: relationes inter datores laboris et operarios; de compartecipatione in lucro et de compartecipatione ad directionem industriae; quaestio de operistitiis et de sic dicta « serrata »; de iusto salario... et de praevidentiis et assecurationibus socialibus...).

b) *De iuribus et officiis in societate civili* (obligatio tributorum, servitii militaris, voti politici). De partibus politicis (« i partiti ») determinentur principia et criteria, quibus aliqua pars politica possit considerari catholica; et quaenam sunt principia moralia servanda. Quaestio etiam de collaboratione cum partibus non catholicis... Itidem agatur de quaestione de classibus socialibus et de ipsarum collaboratione... de moralitate publica... de Ecclesia et de Statu...

c) *De iuribus et officiis in ordine morali internationali* (quaestio de nationibus parvis... de nationibus pauperibus... de emigratione et de immigratione... de relationibus internationalibus et de tractatibus... de bello etc.).

De istis problematibus multa adsunt in documentis pontificiis. Etiam iam in Concilio Vaticano aliqua pertractatio systematica ordinis moralis socialis desiderabatur; et iam aliquod schema de bello quidam Patres praesentaverant (cf. C. MARTIN, *Omnium Conciili Vaticani, quae ad doctrinam et disciplinam pertinent documentorum collectio,* Paderbornae 1873, p. 98 ss.). Scribebant insuper aliqui Patres in illo Concilio: « Omnes etiam bonae voluntatis homines ab oecumenica Synodo expectant, vehementerque desiderant, ut *recta et sancta socialis ordinis principia* praedicet ac tueatur, et religiosi praesertim operarii ad piam matrem Ecclesiam oculos manusque levant, ut christianae caritatis et iustitiae leges in omnium mentibus resuscitet, et in societate restituat » (in MARTIN, *o. c.,* p. 95).

* * *

Principalia puncta moralia, pro nunc schematice, quae magis iuvat hodie enucleare in unitate principii ordinis enuntiavimus.

Ioannes XXIII, his ultimis diebus, dixit Concilium Oecumenicum *paci* in mundo contributurum. *Pax* autem est indivisibilis (cf. Pius XII, t. IX, 405-406) et in hominibus exurgit ex tranquillitate *totius ordinis* (cf. Pius XII, I, 36; 47; 376; IV, 329; VI, 273; IX, 325-326; 365; X, 319; XIII, 427 etc.). Qui ordo totalis in luce moralis catholicae integraliter cognoscendus et servandus, attentis tamen uniuscuiusque ordinis extensione et limite.

Sine ordine morali non datur pax vera. Sine pace vera non datur salus et felicitas vera.

Ob has rationes Concilium Oecumenicum agat synthetice de ipso ordine morali uti medio ad pacem consequendam cum Deo, cum seipso, cum aliis hominibus.

Non sufficit dicere « si vis pacem para bellum »; sollemniter etiam declarare oportet: « si vis pacem serva ordinem ».

PONTIFICIUM ATHENAEUM SALESIANUM

PONTIFICIUM ATHENAEUM SALESIANUM

Roma, 30 aprile 1960

Eminenza Reverendissima,

All'atto della consegna dei *Voti* del giovane Pontificio Ateneo Salesiano per il prossimo Concilio Ecumenico, non posso esimermi dal manifestare a Vostra Eminenza la trepidazione mia e di quanti hanno collaborato alla preparazione di questi voti, nel constatare quanto essi siano rimasti lontano dalla perfezione che avremmo voluto raggiungessero, per la fiducia riposta in noi dalla Sede Apostolica e per l'importanza del grande evento cui sono destinati.

Nell'elaborazione di detti *Voti* abbiamo cercato di attenerci fedelmente alle direttive impartite dall'Eminenza Vostra nella venerata lettera del 18 luglio 1959. E cioè:

1. I singoli voti sono preceduti da apposite « Premesse » nelle quali si espongono le ragioni che ci consigliarono l'opportunità di proporre l'argomento all'attenzione dei Padri del Concilio Vaticano II. Sono inoltre stati esposti, attraverso opportune considerazioni, gli argomenti principali che suggeriscono le pratiche realizzazioni proposte poi nei voti conclusivi.

2. Ogni argomento è stato oggetto di discussione in seno alle singole Facoltà, specialmente a quella di Diritto Canonico, ed è passato al vaglio del Consiglio Accademico.

3. I singoli voti furono redatti da vari insegnanti; si è però cercato di portarli ad una certa uniformità di stesura, in quanto lo consentisse l'argomento dei medesimi.

Chiedo umilmente a Vostra Eminenza, anche a nome dei redattori, di vedere nei voti, anche quelli in cui la saggezza dell'Autorità Ecclesiastica potrà riscontrare una formulazione troppo semplicistica, e fors'anche audace, l'espressione del desiderio di vedere realizzato con le decisioni del Concilio Ecumenico il maggior bene possibile a favore delle anime.

Professando la più assoluta obbedienza alla Santa Sede e il più filiale affetto per il Vicario di Cristo, chino al bacio della Sacra Porpora, mi onoro di dichiararmi dell'Eminenza Vostra Reverendissima

umil.mo dev.mo obbl.mo

Sac. ALFONSO M. STICKLER
Rettore del Pontificio Ateneo Salesiano

LIMINARIS PRAESENTATIO

Pontificium Athenaeum Salesianum, operarius in vinea Domini novissimus, quamquam se probe novit illo rerum usu adhuc carere ex quo vota effluere deberent, tamen, impensiore in Ecclesiam amore permotum eiusque iussis obsequens, has propositiones et vota Commissioni ad Concilium parandum constitutae submittit.

Haec autem vota ac propositiones a praevalenti indole disciplinari ac pastorali Concilii celebrandi quandam unitatem recipiunt, quippe quod tam disciplina renovanda quam vita actione pastorali christifidelibus communicanda a Christo procedunt. Omnia sane in Christo restauranda sunt (cf. *Eph.* 1, 10), ut disciplina christifideles tandem ad sensum seu spiritum Christi (cf. *1 Cor.* 2, 16; *Rom.* 8, 9) perducat, et ut pastorales providentiae fideles eo adducant ut cum Paulo profiteantur: « Vivo autem ego, iam non ego; vivit vero in me Christus » (*Gal.* 2, 20).

Ut vero Oecumenicum Concilium apte consulere valeat incrementis vitae Christi quae est in Ecclesia, tam in singulis fidelibus quam in Corpore Christi Mystico, consideranda videntur tum huius vitae hodiernae manifestationes, seu opera Dei providentia decursu saeculorum excitata ad subveniendum spiritualibus necessitatibus plebis christianae, scilicet omnia elementa positiva pro conservatione et incremento Sanctae Ecclesiae, tum omnia elementa negativa quae « inimicus » superseminavit in agro Dei (cf. *Matth.* 13, 25).

Quae omnia, ut cum fine Concilii consonent, eo potissimum intendunt, ut Ecclesiae disciplina, qua pastores et fideles reguntur accuratius hodiernis animarum necessitatibus coaptentur, ita ut « investigabiles divitiae Christi », quovis remoto obice, abundantius Christifidelibus communicentur.

Ex his vero quae proposuimus, haec nobis maioris momenti esse videntur:

de vita communi cleri saecularis;

de iurisdictione;

de coniuncta cleri saecularis et regularis actione per operam Nuntiorum et Delegatorum apostolicorum ordinanda;

de apostolatu laicorum;

de tutanda libertate in ordine presbyteratus suscipiendo;

de renovanda functione ordinum minorum;

quaestiones variae de Magisterio ecclesiastico: studia ecclesiastica et paedagogica; scholae; instituta scientifica et tecnica; media diffusionis idearum;

de reformatione systematis beneficialis in administrandis bonis Ecclesiae temporalibus.

Modicum hunc laborem, sapienti Ecclesiae iudicio et Spiritui Sancto, Oecumenicum Concilium inspiraturo, devota mente praebemus.

GENERALIS PRAEMISSA THEOLOGICA VOTORUM

I. Verba consideranti, quibus semel atque iterum Summus Pontifex Ioannes XXIII f. r., Concilii Oecumenici convocationem annuntiavit, illae duae res luculenter apparent:

a) in Concilio de re potissimum pastorali agendum esse;

b) Concilium eo respicere ut unitatis vincula in Ecclesia quam maxime corroborentur.

II. Quam agendi rationem a Divina Providentia esse inspiratam neminem latebit, quippe cum aptissime respondeat:

a) supernaturali fecunditati Ecclesiae, quae hominibus novas res molientibus nova ratione aeternas Evangelii veritates indesinenter proponit, atque necessaria, utpote pro omnibus hominibus a Christo promerita, mystica gratiae iis dona in aevum praebet;

b) illi nostri temporis conatui omnia disgregandi (aliquo modo atomicis armis expresso), impulsu suasionique satanica excitato, ineffabilem Christi in ipsa viventis unitatem materna cura opponit.

III. Ut autem secura ratione hi duo obtineantur conciliares fines necesse videtur omnes pastorales providentias a Patribus decernendas systematice profluere debere a quadam *theoria generali pastoralis actionis* in Ecclesia exercendae, quae sane actio quippe quae cum Christo perficienda sit, una esse, atque in « unum necessarium » tendere debet.

Actio enim pastoralis nonnisi quaedam manifestatio est illius vitae divinae quam Christus suae Ecclesiae communicat, usque ad consummationem saeculi. Quapropter, Theoria Generalis Actionis Pastoralis nihil aliud habenda est nisi quoddam caput *ecclesiologiae.*

IV. Cum autem intimiorem naturam Ecclesiae Corpus Christi Mysticum constituat, patet pastorales normas a Concilio Oecumenico stateundas, tamquam a supremo principio eruendas esse a *Christologia.*

V. Logica ergo methodus ad hanc maximam praemissam conciliaris activitatis statuendam Patres prius impellere debet ad definiendas quaestiones de *Christologia* et de *Ecclesiologia,* adhuc tantum ordinario magisterio propositas, ut dein ex istis perpolitis notionibus solide deduci valeant necessariae normae pastorales.

VI. Sed et quatenus consolidandae unitati Ecclesiae Oecumenicum

Concilium prospicit, contra satanicos conatus inducendi in omnibus disgregationem, quasi viam ad aeternam a Deo separationem, confugiendum est ad Christologiam. Omne nempe auxilium expectandum est a perfectissima unitate Verbi incarnati, qui cum pollicitus sit omnia trahere ad seipsum (cf. *Io.* 12, 32), ideo mortuus est « non tantum pro gente, sed ut filios Dei qui erant dispersi congregaret in unum » (*Io.* 12, 52). Omnibus autem hominibus, ne praevalerent portae inferi, ad « unum ovile (*Io.* 10, 16) vocatis, Christus, qui in sua Ecclesia mansurus est « omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi » (*Matth.* 28, 20), sicut suis directis auditoribus, et nunc quoque de se dicit: « Unus est Magister vester » (*Matth.* 23, 8); cuilibet vero hominum atque civili societati, sicut Pilato legitime sciscitanti, respondet: « Tu dicis quia rex sum ego » (*Io.* 18, 37); tandem, « eo quod maneat in aeternum, sempiternum habet sacerdotium » (*Hebr.* 7, 24).

VII. *Ad christologicas ergo veritates* quod attinet, hucusque tantum magisterio ordinario propositas, ut obtineantur antedicti fines pastorales Concilii Oecumenici, videretur opportunum:

1. *Summum idemque unicum Christi magisterium* vindicare:

a) contra christifideles relativismo infectos, qui ideo indociles sunt contra praecepta ac monita pastorum;

b) sed et ad excitandam in omnibus christifidelibus conscientiam gravissimae obligationis sese immunes conservandi atque defendendi contra religiosos errores in Ecclesia excitatos a diabolo, qui cum in veritate ipse non steterit, et homicida sit ab initio (cf. *Io.* 8, 44), a fidelibus auferre conatus summum bonum fidei, sine qua « impossibile est placere Deo » (*Hebr.* 11, 6).

2. Ex Litt. Encycl. *Quas primas* sollemnem conciliarem definitionem deducere *universalis Regalitatis Christi,* praesertim contra *laicismum,* « pestem aetatis nostrae » (*A.A.S.* XVII, p. 604), qui vitam publicam ita moderari studet ac si Christiana Revelatio facta non esset, immo docet in vita publica agendum ac si Deus ipse non existeret, vel saltem de publice actis nullae essent, divino iudicio reddendae rationes.

3. Sollemniter proclamare *salvificam Redemptionem* unice a *sacerdotali sacrificio* Christi in cruce morientis humano generi derivatam, idque:

a) contra hodiernum materialisticum hedonismum ubique grassantem;

b) contra tendentiam tum eorum qui imaginem quandam crucis taetram atque sine Christo extollunt, tum inimicorum crucis qui prae oculis habere autumant unam imaginem Christi amabilem quidem et suavem, signis autem crucis destitutam.

Ita ergo sollemni intimioreque inducto accessu ad Christum universorum Regem, Unicum Magistrum ac Sacerdotem in aeternum et Victimam, fructuosior erit communicatio christifidelium cum Eo qui de se dixit: « Ego sum via, et veritas, et vita » (*Io.* 14, 6).

VIII: Quod autem attinet ad veritates *Ecclesiologicas* conciliaribus definitionibus firmandas vel explanandas, videtur opportunum:

1. Ut praelucentibus Litt. Enc. *Mystici Corporis,* Oecumenicum Concilium integram doctrinam de *Corpore Christi Mystico* auctoritative proponat, seu ex antedictis Litt. Enc. illa capita depromat, atque compleat quae solidum praebeant fundamentum:

a) unitati ecclesiasticae restaurandae;

b) iuribus Ecclesiae defendendis ac efficaciter exercendis;

c) vitae sacramentali ac renovationi liturgicae inter fideles fovendis;

d) ordinato ac fecundo apostolatui laicorum systematice disponendo;

e) incremento scientiae theologicae in scholis tradendae.

Hoc sane modo Concilium Oecumenicum Vaticanum II votis obsequetur praecedentis Synodi, quae, prout constat ex schemate Const. *De Ecclesia Christi,* primum omnium agere decreverat de *natura Ecclesiae,* enucleando propositionem: « Ea (Ecclesia) est Corpus Christi mysticum » (Coll. Lac. VII. col. 505), quia — ut declarabatur in Adnotationibus — « ad describendam Ecclesiae naturam secundum veram et catholicam doctrinam, statuitur primo loco, illam esse Corpus Christi Mysticum, eo quod 1) in sacris Litteris Ecclesia Christi nullo alio schemate frequentius, accuratius et dissertius proponitur; 2) quod eodem schemate continetur ipsa intima Ecclesiae essentia, et praestantissima, id est divina eiusdem species ac vis, a qua veluti a parte potiori et nobiliori definitionis ducitur initium »... (O. c., col. 578).

2. Ut habita ratione relationis inter « Regnum Dei in terris » a Christo instaurandum eiusque concretam perfectamque instaurationem in ineffabili realitate Corporis Christi Mystici, atque inter ista entia et fundationem unius verae Ecclesiae, quippe quae illud societarium medium evadit quod, superata vitae mortalis limitatione, unicam possit Christo possibilitatem praebere ut eius incarnatio in aevum permaneat, omnibusque hominibus extendatur.

Concilium Oecumenicum *munus atque ambitum* definiat *Ministerii Ecclesiastici,* utpote perfectivi in saecula ipsius ministerii Verbi Incarnati; i. e. dogmaticam definitionem potestatis Romani Pontificis, iam datam a Concilio Vaticano I., aliquo modo compleat:

a) definitione muneris ac iurium Episcoporum, pro sua quisque dioecesi, atque in Ecclesia adunatorum sub primatu Summi Pontificis;

b) aperte occurri potest sinceris conatibus *Oecumenismi*, claram scilicet doctrinam catholicam Ecclesiologiae fratribus separatis proponendo, iuxta quam redire possunt ad unam sanctam catholicam Ecclesiam;

c) clariores tandem evadunt tenendae viae ad missionale problema solvendum, plantationis scilicet et conservationis plantatae Ecclesiae; idque spectatis hodiernis adiunctis, ut v. gr. succrescenti in dies incremento demographico, cui impares sunt novae « vocationes » sacerdotales, periculo ecclesiarum nationalium, etc., ita ut, habita ratione supremi divini mandati « praedicate evangelium omni creaturae » (*Marc.* 16, 15), sed et evangelizandi rationis a « duodecim » apostolis expressae: « non est aequum nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis » (*Act.* 6, 2), Concilium Oecumenicum:

— congruas decernat pastorales providentias ut expeditiore ratione instituantur qui mittendi sunt vel ad opus missionale exercendum, vel ad conservandam iam plantatam Ecclesiam, ubi vel separati fratres, vel hostes nominis christiani, constitutae Ecclesiae adversantur;

— opportunas normas constituat ut adhibitis hodiernis mediis quibus apud omnes gentes notitiae rerum divulgantur, absolvatur divinum mandatum praedicandi evangelium omni creaturae;

— practicos denique decernat modos quibus laici — quorum est « consecrationem mundi » (Pius XII) perficere — sancte servata hierarchica constitutione Ecclesiae, suas tamen partes habeant in salute animarum, idque non tamquam favorem ab ipsis Clero praestitum habeant, sed propriam solidalem cum sacerdotibus responsabilitatem sentiant in Ecclesia.

N.B.: Magis definitae ac practicae propositiones circa istas considerationes particularibus votis suis in locis exponuntur.

3. Habita ratione perpetuae luctae ab Ecclesia sustinendae adversus « portas inferi », ita ut sicut « in hoc apparuit Filius Dei, ut (dissolveret) opera diaboli » (*1 Io.* 3, 8), Ecclesia quoque, pro temporibus et locis, istiusmodi semper renovata « opera », indesinenter suo supernaturali ministerio dissolvat, Concilium Oecumenicum *enixe hortetur christifideles ut sese defendant ab insidiis diaboli* eos allicientis ut se alienos faciant a vita Dei, sicque desperantes, se tradant impudicitiae (cf. *Eph.* 4, 19), vel illud « non serviam » socialiter extendentes, quoddam cum ipso mysticum corpus efficiant, Christi Corpori Mystico oppositum (*S. Th.* 3, q. 8, 1, 3, c).

IX. Quoad quaestiones *poimenologicas,* videtur opportunum:

1. Ut habita ratione supremae intimiorisque entitatis Ecclesiae, qua Christi Corpus Mysticum est, Concilium Oecumenicum declaret exercendae actionis pastoralis animam esse ac supernaturale fermentum ab ipsis pastoribus omnibusque fidelibus iugiter praestitum supernaturale auxilium — precibus alliisque christianae mortificationis operibus — quod, Christo mediante, directe perveniat ad internum animum fidelium quos attingit actio pastoralis, illa nempe servata ratione a Christo electa in multiplicandis panibus in deserto, cum minimum ei oblatum ad infinitum valorem sua benedictione perduxit.

2. Ut habita ratione supernaturalis praeeminentiae *actionis sacramentalis* in salutem animarum, spectatisque hodiernis adiunctis ut extremis malis per extrema remedia occurratur, Concilium Oecumenicum illas decernat providentias quibus celerius beneficio actionis sacramentalis omnes homines donentur.

3. Ut propter easdem nuper memoratas rationes, Concilium Oecumenicum, pro bono Ecclesiae, auferat quod cum accidentale tantum sit, merito deciduum in iure Ecclesiae habendum est, quod, e contra, impedire potest quominus fratres separati redeant ad unam sanctam catholicamque Ecclesiam.

4. Ut prae oculis habens vim principii « legem credendi lex statuat supplicandi », Concilium Oecumenicum illas liturgicas inducat innovationes, quibus fideles facilius *sentiant cum Ecclesia,* personalemque perfectionem secura ratione consequantur.

N.B.: In particulari, cum in re liturgica multa hodie agitentur et renoventur, Concilium opportune poterit proponere integram et organicam doctrinam catholicam de fundamentis dogmaticis et de praecipuis capitibus vitae liturgicae fidelium, maxime vero de indole ecclesiali omnium Sacramentorum, de Sacerdotio fidelium, de communitaria fidelium parte in ritibus liturgicis, iuxta Litteras Encyl. *Mediator Dei* et alia recentiora documenta Sedis Apostolicae. Haec autem complenda videntur recta proposita doctrina de *Piis exercitiis* et *devotionibus,* quae in vita christiana tanti utique sunt momenti, ut nec supprimi nec aegre tolerari debeant, at ita perficienda sunt quin liturgiae locum usurpent. Renovatio enim vitae liturgicae inter fideles vix possibilis erit, nisi principia quibus haec vita nititur et regitur, apte et cohaerenter illustrentur et ad praxim applicentur; nisi fideles pleniorem conscientiam acquirant de parte actuosa quam ipsi habent in liturgia et vita Ecclesiae, vi characteris baptismo impressi.

PARS DOGMATICA

VOTUM 1

I. Praemissae

Quamvis ex factis declarationibus constet Concilium Oecumenicum non ordinari ad solvendas quaestiones dogmaticas, haud incongruum tamen videtur ut quaedam *Doctrinae* capita conciliari disceptatione, illustrentur et definiantur ita, ut fidelibus nitidius certiusque proponi possint.

II. Vota

1. *Quaestiones de origine hominis.* – Cum Concilium Vaticanum I amplam doctrinam proposuerit quoad creationem in genere contra errores modernos, tempus advenisse videtur, quo illa expositio compleri debeat per integram et organicam expositionem doctrinae catholicae de creatione hominis. Omissis omnibus quaestionibus adhuc disputatis vel nondum adeo maturis ut definiri possint, haec videntur praecipua capita doctrinae organice enucleanda, attentis hodiernis erroribus et doctrina proposita in Litteris Encyclicis *Humani generis*:

a) creatio singularum animarum humanarum ex nihilo;

b) specialis interventus Dei ut Causae principalis in efformando corpore primi hominis et primae mulieris, facta praecisione a peculiaribus modalitatibus huius interventus. Hinc damnatio cuiuslibet evolutionismi, qui hunc Dei interventum excludat. Nihil vero dicatur de veritate fixismi vel evolutionismi qui illum interventum agnoscat;

c) origo totius generis humani, in terra post Adamum viventis, ex Adamo et Eva personis individuis, ita ut salvetur dogma catholicum de peccato originali ab uno commissi et in omnes per generationem transfusi;

d) elevatio protoparentum ad statum vere et absolute supernaturalem, scilicet indebitum sive viribus sive exigentiis naturae creatae, ita ut natura intellectualis creari posset, quin ad finem supernaturalem visionis beatificae vocaretur;

e) complementum doctrinae tridentinae de peccato originali: praesertim quoad eius *unitatem originis,* quoad eius *naturam* (praescindendo tamen a determinationibus adhuc inter catholicos disputatis), quoad eius

effectus sive in praesenti vita, sive in futura (scil. de sorte eorum qui cum solo peccato originali moriantur).

Videtur enim perutile hisce in quaestionibus doctrinam catholicam in fontibus revelationis certo contentam distinguere ab iis quae non adeo certa sunt, vel etiam disputationibus subsunt. Illam Concilium opportune tuebitur; haec vero silentio praeteribit.

2. Iuxta ea quae de renovatione actionis pastoralis in Generali Praemissa Theologica proposita sunt, hic humiliter petitur ut ample exponatur et extollatur *Doctrina Christologica,* de qua Concilium Tridentinum et Vaticanum non egerunt.

Haec capita praesertim illustranda videntur:

a) *Doctrina de Redemptione Christi,* de qua explicite loquuntur Vetus et Novum Testamentum;

b) *Doctrina de satisfactione Christi vicaria,* de qua iam parata erant schemata in Concilio Vaticano I, quae poterunt usui venire;

c) *Doctrina de Regalitate Christi universali*: cf. Enc. Pii XI *Quas primas*;

d) *Doctrina de sacrificio Christi cruento,* de qua plurima habentur in S. Scriptura Novi Testamenti, praesertim in Epistola ad Hebraeos.

Iuvat etiam contra errores modernos iterum proclamare fidem Ecclesiae in Personam Christi Theandricam, clare extollendo divinitatem Christi, eiusque missionem salvificam.

Hoc modo fideles melius dirigentur ad unicum Mediatorem Christum, et Protestantes allicientur, Deo adiuvante, ad Ecclesiam Catholicam, si Eius doctrinae Christologicae splendorem conspexerint.

3. Quoad *Doctrinam Mariologicam,* conciliariter proponi possent ea quae iam continentur in magisterio ordinario Leonis XIII, S. Pii X, Benedicti XV, Pii XI, Pii XII circa marianam corredemptionem, mediationem omnium gratiarum, regalitatem, ita ut tum in magisterio theologico, tum in catechesi oriatur consensus saltem circa ea quae in magisterio ordinario Pontificum iam proposita sunt.

Forsan utiliter mentio fiat de *morte B. M. V.,* de qua adest constans tot saeculorum traditio et expressa affirmatio Pii XI (cf. *Sermo* diei 15-8-1933) et etiam Pii XII, ut videtur (cf. *Sermo* diei 29-9-1957) necnon communis persuasio fidelium, ita ut etiam circa hoc habeatur concordia in magisterio theologico et pastorali (cf. *ibidem*).

4. Quoad *Doctrinam Sacramentariam,* compleri possent ea quae habentur in Concilio Tridentino circa SS. Eucharistiam, conciliariter proponendo ea quae Pius XII docuit tum circa praesentiam realem, contra modernos errores, tum circa naturam sacrificii Missae, quae essentialiter consistit in duplici consecratione et non in Communione, ex eo quod

duplex consecratio *sacramentaliter* renovat immolationem Crucis (cf. Enc. *Mediator Dei* et alia documenta Pii XII).

5. Quoad *Doctrinam de novissimis* conciliariter refelli possent errores qui circa infernum et aeternitatem poenarum vulgo grassantur.

6. Quoad errores modernos, Concilium refelli posset ea quae in Enc. Pii XII *Humani generis* indicata sunt.

VOTUM 2

De renovando Catechismo ad Parochos

I. Praemissae

Aurei illius voluminis cui *Catechismus ad Parochos* titulus est, quo definitiones canonesque Tridentini compendiose traditi sunt, nova editio a Concilio Vaticano II publicanda desideratur, quae novissimis tum dogmatis tum disciplinae incrementis coaptetur, ita ut sacerdotibus praesertim, pro manuductu, inserviat.

Hoc autem votum non tollit sed adiungitur aliis votis, infra expositis, de conficiendo quodam Digesto Magisteriali-Ecclesiastico quoad res theologicas morales, deque parando quodam *Vade mecum* moralitatis christiano-catholicae quod tradi possit occasione administrationis Sacramenti Confirmationis.

II. Votum

Catechismi ad parochos nova editio desideratur.

PARS MORALIS

PRAEMISSAE GENERALES

1. Oecumenicae Synodi consilio instaurandi omnia in Christo (cf. *Eph.* 1, 10), ad christifidelium moralem vitam quod attinet, respondere debet speciale propositum eosdem fideles alliciendi ut suis moribus se gerant quibus magis magisque evadere possint « conformes fieri imaginis Filii (Dei Crucifixi) » (*Rom.* 8, 29).

2. Cum vero, inde a temporibus apostolicis, non desint in ipsa Ecclesia inimici crucis Christi (cf. *Phil.* 3, 18), falso autumantes se posse « esse Christi », quin « carnem suam (crucifigant) cum vitiis et concupiscentiis » (*Gal.* 5, 24), in primis proponenda videntur duo vota de renovando apud clerum et fideles sensu Crucis, ac de plenius definienda doctrina circa habitudinem inter vitam christianam et naturales vires hominum.

3. Habita vero consideratione necessitatis confugiendi, etiam in quaestionibus de moribus, ad Magisterium Ecclesiasticum, quippe quod, contra omnes errores atque humanos conatus enervandi genuinam doctrinam Christi de moribus, depositum fidei infallibiliter custodiat, alia tria vota proponuntur, scilicet:

a) de quodam *digesto* magisteriali-ecclesiastico quoad res morales;

b) (in particulari) de elaborandis definitis propositionibus circa theologicum conceptum peccati contra castitatem coniugalem deque ratione servanda a confessariis circa istiusmodi argumentum;

c) de editione cuiusdam compendii seu *Vade mecum* christianae moralitatis, laicis sollemniter tradendi in administratione Sacramenti Confirmationis.

VOTUM 3

De renovando apud clerum et populum christianum sensu Crucis.

I. Praemissae

1. Renovatio vitae et disciplinae apud clerum et populum christianum tantummodo per stultitiam crucis (*1 Cor.* 1, 18-23) genuina et efficax redditur. Quae stultitia in omnibus iis virtutibus apparet, quae hodie

a mundo aperte spernuntur; sed etiam apud fideles ipsosque religiosos et clericos nimis parvi habentur, immo indirecte vel inscie repudiantur. Reapse humilitas, mortificatio, abnegatio sui ipsius, i. e. proprii iudicii et voluntatis, tamquam passivae et negativae, immo naturam sanam destruentes et propriae personalitati adversae indicantur.

Nimia exaltatione virtutum « activarum » vel « positivarum » et magis naturalium (ut sunt plenus vigor et usus facultatum humanarum, inventa et progressus intellectus humani, commoda et delectamenta vitae modernae, media perfectionis technicae) supernaturalibus virtutibus « passivis » de facto, etsi non semper et aperte de iure, gravissimum praeiudicium affertur.

2. Attamen sine illis virtutibus, quae « passivae » dicuntur, quas Christus Redemptor in sermone montano praedicavit (*Mt.* 5, 1-2; 7, 13-14), quasque discipulis iterum atque iterum commendavit veluti fundamenta vitae christianae et omnes apostoli inculcaverunt, actum est de vera caritate, fide et spe, de temperantia, fortitudine, iustitia, de oboedientia erga legitimam auctoritatem ecclesiasticam, familiarem, religiosam, civilem, de castitate coniugali et extraconiugali deque aliis virtutibus fere omnibus: praecepta Dei et Ecclesiae observari, vitae vicissitudines sustineri non possunt et ad perfectionem christianam perveniri nequit.

II. Votum

Videtur ergo peropportunum, immo necessarium esse, ut Concilium Oecumenicum contra hedonismum patentem eiusque professionem et consectaria latentia ante omnia et omnibus in mentem revocet fundamenta necessariae asceseos et perfectionis vitae christianae, religiosae, sacerdotalis, qua his virtutibus « passivis » irrefragabiliter constituuntur scilicet humilitate, mortificatione, patientia, mansuetudine, abnegatione sui ipsius, ceterisque huiusmodi. Aliis verbis, enixe doceat horteturque stultitiam crucis Christi viam imitationis Christi et redemptionis adipiscendae permanere. Sub hoc tantum fundamento omnes aliae virtutes « activae », naturales et supernaturales, atque omnes aliae activitates et apostolatus formae atque media fructus genuinos producere valent.

VOTUM 4

De plenius definienda doctrina circa habitudinem inter vitam christianam et naturales vires hominum.

I. Praemissae

Contra doctrinam traditionis quae ponit perfectionem spiritualem in liberatione hominis a vinculis naturae, seu in crucifixione hominis naturalis ad imitationem et imaginem Christi Crucifixi, hodie magno cum animarum discrimine extolluntur vires naturae, mundi pulchritudo, civilis cultus, artium scientiarumque splendor.

Christi Crucifixi imitatio consideratur tum in se absona, tum legitimarum naturae virium, veramque imaginis Christi, Hominis perfecti, destructiva.

Neminem latet, agi hic de quaestione illa, de qua tantopere disputatur, quam « Humanismi christiani » vel « Incarnationismi » vocant vel « terrestrium rerum theologiam ».

II. Votum

Denuo clare proponatur ac plenius evolvatur doctrina catholica de relatione inter vitam christianam et naturales hominum vires.

VOTUM 5

De quodam digesto magisteriali-ecclesiastico quoad res theologico-morales, veluti fundamento forte suscipiendo pro explanatione theologiae moralis.

I. Praemissae

1. Qui ad trutinam revocaverit explanationem praeceptorum christianae moralitatis a consuetis Compendiis Institutionibusque Theologiae Moralis exhibitam, ipsamque consideraverit relate ad supremum morale mandatum: « docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis » (*Matth.* 28, 20), facile perspiciet:

a) paucas revera esse in ista theologica tractatione partes seu propositiones directe profluentes ab Ecclesiastico Magisterio, cui divinitus competit authentica interpretatio Legis, tum naturalis, tum divino-positivae;

b) ecclesiastico-magistralem doctrinam, prout proponitur in scho-

lasticis Compendiis, nonnumquam illa perspicuitate carere, quam, e contra, omnino exigit vis cogens istiusmodi normarum moralium.

2. Ceterum, in compertis est aliquas ex propositionibus de re morali agentibus, ab Ecclesiastico Magisterio nota theologica quovis gradu damnatoria signatis (quae nonnunquam acervatim in Compendiis theologiae moralis referuntur), proprium certumque sensum obtinere tantum in contextu Operum e quibus excerptae sunt, vel clare illustrato respectu sub quo censuratae fuerunt.

3. Ordinarii autem Magisterii Ecclesiastici plures variaeque sunt manifestationes seu formae interventus; aliud proinde momentum sortiuntur v. gr. SS. PP. Litterae Encyclicae, aliud eorundem PP. adlocutiones, si in Consistorio factae, vel si tantum occasionales sunt, aliud responsa data a Suprema S. Congregatione S. Officii vel a Paenitentiaria Apostolica, etc.

4. Videretur proinde magnopere conferre ad perspicuitatem doctrinae magisterialis Ecclesiae atque reverentiam ei debitam, si ex omnibus propositionibus de re morali, iam aliquo modo consideratis a Magisterio Ecclesiastico, deducerentur omnino perpolita principia atque propositiones quae Magisterii Ecclesiastici Ordinarii doctrinam *systematica* ratione exprimerent.

5. Insuper considerandum est quod hac systematice digesta auctaque pro necessitatibus doctrina Magisterii Ecclesiastici Ordinarii, praeprimis a Sacra Scriptura derivata, apti apponerentur freni subtilibus illis tenuibusque speculationibus AA., ob quas in compendiis theologiae moralis notabiles quandoque exsurgunt discrepantiae in definiendis quibusdam fundamentalibus notionibus, quae integram provinciam humanae christianaeque moralitatis regant (v. gr. considerentur discrepantiae AA. in definienda intima ratione luxuriae).

II. Votum

Qua ergo par est reverentia, humiliter petitur ut opera detur cuidam *Digesto magisteriali-ecclesiastico* de rebus theologico-moralibus conficiendo, quod, praeter alia commoda, cardo evadere possit explanationis in Compendiis theologiae moralis perficiendae.

VOTUM 6

De conclusionibus Magisterii Ecclesiastici quoad theologicum conceptum peccati contra castitatem coniugalem et consequentem rationem servandam a confessariis.

I. Praemissae

Habita ratione speciali momenti quod obtinet in Sacramento poenitentiae recta agendi ratio confessarii in interrogationibus, monitionibus, etc. *castitatem coniugalem* respicientibus, ad huiusmodi rationem firmis principiis statuendam, videretur magnopere conferre:

1. Competentem ecclesiasticam auctoritatem ex iam editis documentis magisterii ecclesiastici circa castitatem coniugalem, omnino perpolitas propositiones deducere, institutis relationibus cum locis Sacrae Scripturae de hoc argumento agentibus, necnon cum theologica definitione peccati luxuriae.

2. Ex responsis datis a Supr. S. Congr. S. Officii atque a Poenitentiaria Apostolica, pari modo deducere rationem servandam a confessariis, qua castitatis coniugalis argumentum prudenter atque efficaciter pertractare valeant cum poenitentibus, haud neglecta consideratione bonae fidei in qua iidem poenitentes forte versentur.

II. Votum

Conclusiones Magisterii Ecclesiastici de theologico conceptu peccati contra castitatem coniugalem ratioque consequens a confessariis servanda desiderantur.

VOTUM 7

De editione cuiusdam compendii seu « vade-mecum » christianae moralitatis deque eiusdem compendii sollemni traditione occasione administrationis sacramenti confirmationis.

I. Praemissae

1. Perdifficile sane est publicae ac privatae moralitatis vices in unaquaque historica epocha adamussim describere; neminem vero fugit in hac nostra aetate non tantum apud plurimos homines periisse mores, sed ipsum moralitatis fundamentum labefactatum esse, quippe quod:

a) unusquisque sibi recte agendi normam esse autumat (cuius formae mentis particularis manifestatio habetur in sic dicta « moralitate occasionis »);

b) nomine « iurium artis », normas moralitatis, vitae publicae prorsus deleterias a scriptoribus praedicari;

c) istis erroribus nonnunquam inficiantur etiam aliqui catholici qui eo deveniunt ut simul Sacramenta adire praesumant, rectas vero normas moralitatis a sacerdotibus propositas, aut audire recusent, aut ut doctrinam « coetus clericalis » propriam a se repellant.

2. Alio vero ex capite novis in dies exsurgentibus moralibus officiis (v. gr. circa necessarium moderamen in mechanicis curribus vehendis; cf. art. 219 Syn. Romanae), implexaque congeries negotiorum oeconomicorum, per quam novae morales relationes inducuntur (ut v. gr. vis in determinatione pretii rerum, quam de facto obtinent in vita publica aliquae societates, etc.), sed et immanes prorsus effectus ab extraordinariis tormentis bellicis, ut v. gr. ab armis atomicis producti, qui extra quamlibet moralem legem videntur, necessario omnino evadit ut et pro istis novis moralibus obligationibus expressa dentur ab Ecclesiastico Magisterio principia et normae e doctrina catholica derivata.

II. Vota

1. Hisce ergo de causis — quin excludatur, immo in votis sit, ut ad utilitatem sacerdotum, procedatur ad novam editionem Catechismi ad parochos, tum quoad dogmaticam, tum quoad moralem partem — perutile videretur edendum cura S. Sedis, perdurante vel absoluto Oecumenico Concilio, quoddam — ut dicitur — Vade mecum *christianae moralitatis,* tum publicae, tum privatae.

Hoc autem compendium, etsi quoad substantiam catechetica ratione digestum, videretur non appellandum esse « catechismus » christianae moralitatis, ne, propter nomen quod puerilia plurimis in mentem revocat, contemnatur et neglegatur.

2. E contra, ad efficacem sinceramque acceptationem doctrinae hoc in compendio illustratae videretur magnopere conferre huiusmodi Vade mecum adolescentibus tradi in sacra caerimonia Sacramenti Confirmationis — cuius collatio videretur fructuosius ad aetatem pubertatis differenda — ita nempe ut confirmatus in hoc acceptando compendio, ut « bonus miles Christi », aperte declaret coram Episcopo adstantibusque fidelibus se suam moralem vitam christianae legi sincere conformaturum.

PARS DISCIPLINARIS-PASTORALIS

DE PERSONIS

VOTUM 8

DE VITA COMMUNI CLERI SAECULARIS

I. PRAEMISSAE

1. Inde a primaeva Ecclesia (cf. e. gr. St. August. *Sermones de vita et moribus clericorum suorum*: 355, 356: *PL.* 39, 1568-1581) usque ad Codicem Iuris Can. (can. 134) clericis, etiam saecularibus, vita communis enixe commendata est.

Hodie non solum laudanda et suadenda sed, quibusdam in adiunctis his rationibus iubenda videtur:

a) « *Defensionis* » *causa*: quia ob solitudinem vel nimiam segregationem in hac hodierna paganismi colluvie honestas, pietas, spiritus et fervor pastoralis, abnegatio sui ipsius aliaeque virtutes sacerdotales, ipsiusque caelibatus observatio saepe nimis periclitantur.

b) *Adiutorii mutui causa*: singuli parochi cum uno alterove vicario cooperatore in magnis paroeciis, praesertim in civitatibus, nullo modo exigentiis hodiernis efficacis curae animarum satisfacere possunt. Nova organisatio curae pastoralis et paroeciarum (de quibus aliud votum proponitur) vitam communem sacerdotum exigunt.

c) *Sanctificationis causa*: singuli vel nimis pauci sacerdotes saeculares facile mundanae consuetudini a cultu virtutum supernaturalium alienae, succumbunt. Tantummodo vita communis, qua plurimi sibi invicem exemplum et adiutorium in pietatis et virtutum exercitiis fortiter et constanter praebent, velut turris fortitudinis apparet, in qua non modo contra mundi illecebras clerici in mundo operantes salvi sint sed etiam vitam plane supernaturalem degere valeant, tamquam sal terrae et lucernae in caliginoso loco.

2. Hanc vitam communem instaurari minus fortasse convenit in regionibus ruralibus, ubi parochi veluti duces et moderatores adhuc exstant inter suos ruricolas, quibus assidua cum sacerdote consuetudo munimen constituit et diuturnum adiutorium. In vicis tamen plures paroecias habentibus et praesertim in civitatibus, ubi ope vehiculorum paucis temporis momentis spatia vincuntur, vita communis omnium clericorum loci vel regionis civitatis absque difficultate institui potest.

3. Multa sustentationis onera aliaeque id genus expensae hac vivendi forma facile minui possunt, cum necessitatibus et exigentiis singulorum in ipsa cohabitatione apte provideri queat. Ceterum, in Seminariis in quibus clerici ad futuram vitam educantur ratio haberi potest et debet huius vitae communis postea degendae.

4. Quoad bona temporalia vitae communi necessaria cf. votum de bonis Ecclesiae temporalibus.

II. Votum

Instituatur vita communis cleri saecularis, iis locis tantum exceptis ubi cura animarum aliud exigat.

VOTUM 9

De novis formis in cura animarum paroeciali adhibendis

I. Praemissae

1. Novae vivendi consuetudines, novus status culturalis, socialis, oeconomicus hominum, novae conditiones in quibus christifideles versantur, novas omnino formas apostolatus pastoralis commendant, praesertim cum numerus sacerdotum, crescente numero hominum, continuo decrescat. Ideo defectus quantitatis qualitate ministrorum et apostolatus exaequandus est.

2. In civitatibus praesertim territorialitas paroeciae, propter instabilitatem et peregrinationem necnon propter latam conversationem hominum nostri temporis, iam de facto passim disrumpitur; propterea actio stricte paroecialis saepe inefficax manet. Insuper parochus, quantumvis doctus et in multis rebus versatus, numquam omnibus paroeciae incolarum, advenarum, peregrinorum coetibus convenienter et adaequate prospicere valet.

Quamobrem peropportunum esse videtur sacerdotes, specialiter aptos et formatos, apostolatui cuidam specifico addici, e. gr. iuventutis utriusque sexus, patrum et matrum familias, ludorum gymnicorum et artium cultorum, senescentium et infirmorum, militum, operariorum, studentium, magistrorum et professorum, medicorum, scriptorum, etc. necnon apostolatui certae alicuius rei, e. gr. quaestionum socialium, paedagogiae, rei politicae, oblectationum, apologeticae, exercitiorum spiritualium aliorumque id genus.

3. Qui omnes sacerdotes, in communi domo cohabitantes, sive per civitatem sive etiam per paroecias rurales per ordinem vel singulis in

casibus vocati, proprio apostolatui incumbunt pro omnibus civitatis vel regionis tum christifidelibus tum pro « iis qui foris sunt ».

4. Quinimmo non inepte perpendendum esse videtur an ipsa territorialitatis paroecialis vincula in civitatibus relaxanda sint ita scilicet ut omnes ecclesiae aequali modo, iuribus ecclesiarum paroecialium in aliis rebus servatis, ad Missarum celebrationem, ad Sacramentorum administrationem, ad alia exercitia pietatis peragenda omnibus eodem modo pateant. Ecclesiae autem quaedam qualificatae, paroeciales vel non paroeciales, una vel plures, iuxta loci amplitudinem, iis apostolatus operibus praecipue inserviant, quae determinatas res, coetus, institutiones pro obiecto habent. His in locis, iura et obligationes quae inter parochos et huiusmodi opera apostolatus specialis eorumque ministros intercedunt accurate definiri et statui opus erit.

Qua nova ordinatio sane multiplicitatem ministrorum et dissipationem virium qualificatarum aufert ideoque defectui quantitatis ministrorum et simul exigentiis modernis optime consulit.

5. A sacerdotibus, qui in statutis domibus opportune distributi, vitam communem gerant, omnia huiusmodi ministeria maiora et minora persolvi possunt si aptis vehiculis instructi sint.

6. Cura apostolatuum specialium etiam Institutis religiosis vel aliis Institutis ad statum perfectionis pertinentibus, in ambitu vel totius civitatis vel eius partis, pro viribus concredi possunt. Id vero opportunum esse videtur, si Institutum ad huiusmodi specifica opera tendat, e. gr. curam iuventutis vel operariorum, apostolatum praeli, etc.

7. Haec apostolatus specialis organizatio reformationem disciplinae circa bona ecclesiastica eorumque administrationem secumfert, de quibus in alio voto sermo erit.

8. Tota haec apostolica operositas procul dubio sub regimine Ordinarii loci peragi debet, qui eam, per unum vel pluria organa centralia, haud difficile ordinare potest. Videtur hoc modo non solum exemptio interna et externa religiosorum sarta tectaque servari, sed etiam omnes religiosorum vires curae animarum acquiri et fructificare posse.

II. Votum

Propter inopiam sacerdotum et exigentias vitae modernae, curae animarum etiam per opera apostolatus specialis et per ministros ad specialia munera formatos provideatur, quibus operibus fines et vincula paroecialia ulterius relaxanda videntur.

VOTUM 10

De aliquibus innovationibus inducendis in iurisdictionem ad audiendas confessiones a iure concessam.

I. Praemissae

Materna sollicitudo Ecclesiae congrua christifidelibus praebendi commoda ut facile adire possint Sacramentum poenitentiae (de qua praeclarum testimonium praebent, prae aliis cann. 882, 883 § 1, 2254 § 1, sed et nuperrime art. 60-62 Synodi Romanae) clare pandit in concedenda iurisdictione ad audiendas confessiones Ecclesiam eo duci studio ut, qua spectatis concretis adiunctis, spiritualibus fidelium necessitatibus satisfacere possit.

Nunc vero, consideratis hodiernarum rerum adiunctis, ut v. gr.:

1. Facilitate qua iter curro ferreo vel semoventi (pullman), suscipitur atque occasione quam nonnumquam longa itinera praebent sacerdotibus fructuosam instituendi spiritualem conversationem cum fidelibus secum itinerantibus (praesertim cum instituuntur piae peregrinationes).

2. Defectu congruae religiosae culturae in fidelibus circa consuetam iurisdictionem sacerdotum ad audiendas confessiones, ita ut nonnumquam ad adminirationem, immo et in scandalum adducantur si sacerdos ab ipsis rogatus declaret se non posse eorum confessiones audire.

3. Opportunitate arripiendi aliquas extraordinarias occasiones rite subveniendi bono spirituali fidelium cum *prudenter* timendum sit ipsos haud facile induci posse ut absoluto colloquio cum sacerdote iurisdictione in loco exercenda experti, cui fortuito internum animum aperuerunt, alium postea adeant sacerdotem iurisdictione praeditum.

4. Opportunitate vitandi ut in aliquibus circumstantiis ob haud adaequatum numerum confessariorum fideles nimis morari debeant, cum, e contra, alii adsunt sacerdotes iurisdictione in loco exercenda expertes, etc. videretur nuper memoratae rationi consulendi necessitatibus spiritualibus fidelium conforme, aliquas quae infra proponuntur providentias considerare.

5. Novae autem normae circa iurisdictionem ad audiendas confessiones a iure concessam videntur duobus systematicis principiis aptandae:

a) nonnumquam evenit ut aliqui sacerdotes institutum canonicum *erroris communis* ita arbitrarie extendant ut revera non modo liceitas

sed validitas eius usus in discrimen vertatur; videtur ergo opportunum tollere — quantum fas est — indeterminationes circa hoc canonicum institutum, quod quamvis per novas forte edendas normas circa iurisdictionem a iure concessam ad rariores casus reducatur, tamen suum momentum in disciplina canonica semper servabit;

b) sollicitudo subveniendi necessitatibus spiritualibus fidelium, quod attinet ad Sacramentum poenitentiae, nequit impellere ut sic et simpliciter — ut aliqui ominantur — principium contrarium inducatur praescripto de quo in can. 879 § 1, ita ut adhuc teneat principium quo iurisdictio numquam praesumi possit.

II. VOTA

Hisce praemissis, humiliter exponendum videtur:

A) *Quoad novas facultates forte concedendas*:

1. Facultas audiendi confessiones de qua in can. 883, iam Motu Proprio *Animarum studio,* 16 dec. 1947 (*A.A.S.* XL [1948] p. 17) a Pio XII f. r. extensa « consentaneis quidem clausulis » ad sacerdotes iter aereum facientes, ultro extendatur ad sacerdotes itinera fluvialia vel lacualia facientes.

2. Considerandum est an facultas ad audiendas confessiones de qua in can. 883 § 1 extendi possit ad sacerdotem iter curro ferreo arripientem. Haec autem facultas videretur distincta paragrapho exprimenda, v. gr.:

can. 883 § 2 bis: Eandem facultatem obtinent, perdurante itinere, vel donec ad terminum itineris pervenerint, sacerdotes curro ferreo iter arripientes, prudenter spectatis conditionibus spiritualibus itinerantium, sancteque servatis servandis circa sacramentale secretum, atque maxima adhibita prudentia cum mulieribus.

3. Habita ratione maternae sollicitudinis Ecclesiae qua in can. 2254 § 1 consulitur bono spirituali fidelis cui « durum sit in statu gravis peccati permanere », videretur ecclesiasticam auctoritatem analoga ratione hodiernis spiritualibus necessitatibus satisfacere decernendo ut sacerdos rite approbatus a suo Ordinario loci ad audiendas confessiones, cum prudenter existimaverit aliquem fidelem ob omnino specialem fiduciam cum ipso (praesertim si idem fidelis ignoret nec facile addiscere valeat systema normarum canonicarum de ecclesiastica iurisdictione), fore impossibile aut valde difficile ut postea alium adeat confessarium nec tempus suppetit ut possit obtineri iurisdictio ab Ordinario locali, possit audire confessionem huiusmodi fidelis.

Quod si timeatur aliquos sacerdotes inconsiderate usuros hac extraor-

dinaria facultate, posset statui ut sacerdotes sub exitu anni vel semestris proprio Ordinario loci quoties hac potestate usi sint manifestent, cui ius et officium sit, pro variis casibus, sacerdotem quem iudicaverit haud recte agere, hanc facultatem auferre, vel aptis limitibus circumscribere.

Haec ergo propositio locum dare posset § 3 can. 883, v. gr. hoc modo exprimendo:

can. 883 § 3: Sacerdos rite approbatus a suo Ordinario loci ad audiendas sacramentales confessiones, quoties extra territorium delegantis prudenter iudicaverit aliquem fidelem ob specialem fiduciam qua cum ipso devincitur atque simul ob defectum adaequatae culturae religiosae difficulter induci posse ut exomologesim postea instituat apud alios confessarios, poterit eius confessionem audire.

(Clausula finalis)... audire; in exitu vero cuiusque semestris (anni) proprio Ordinario loci, quot vices hac extraordinaria facultate usus sit, diligenter manifestet.

4. Habita ratione facilis admirationis vel etiam scandali fidelium impraesentiarum, qui instante Missae celebratione, non possent exomologesim instituere apud sacerdotem celebraturum, atque eo magis cum aliis sacerdotibus illic praesentibus, quia expertes iurisdictione ad audiendas confessiones, haud incongruum videretur ut introduceretur nova concessio a iure ad modum normae de qua in art. 61 § 1 Synodi Romanae, v. gr. hoc modo expressa:

can. 883 § 4: Cum instante Missae celebratione coram populo, quis ex fidelibus exomologesim instituere petat, nec adsint sacerdotes praediti iurisdictione ad audiendas confessiones in loco, ad vitandam admirationem vel forte scandalum in fidelibus, fas erit sacerdoti celebraturo vel aliis sacerdotibus confessiones ad actum audire.

N.B.: Si, ut in votis est, studiorum theologicorum curriculum a competente ecclesiastica auctoritate ita disponatur ut candidati ad sacerdotium (cleri tum saecularis tum religiosi) sacrum presbyteratus ordinem recipiant tantum post congruum experimentum in operibus apostolatus atque absoluto curriculo pastorali (cum nempe iam approbari possunt ad audiendas sacramentales confessiones) in supradicta concessione haud necessaria videretur haec clausula restrictiva: ...vel aliis sacerdotibus, *dummodo iam approbati a proprio Ordinario loci ad audiendas confessiones,* fas erit eas ad actum audire.

5. Cum praesertim perdurante generali bello a. 1939-45 cives alicuius civitatis vel regionis, aliquando una cum sacerdotibus, inopinate vi armata in dissitas regiones adducti sint, ibique adunati in castris sub hostili vigilantia (campi di concentramento), et — proh dolor! — hoc

etiam impraesentiarum nonnumquam eveniat, nec excludi possit etiam in posterum eventurum esse, videretur opportunum consulere spiritualibus necessitatibus huiusmodi civium, ita ut quilibet sacerdos, quamvis iurisdictione ad audiendas confessiones in loco expers, possit eorum confessiones audire.

Sed misera quoque conditio consideranda est eorum qui in carceribus ordinariis detinentur, qui si, ut supra iam adnotatum est pro aliis casibus, non possunt exomologesim instituere apud sacerdotem qui eos forte visitaverit, facile in admirationem vel etiam in scandalum adduci possent.

Proinde videretur utrique conditioni succurrendum communi norma, v. gr. hoc modo exprimenda:

can. 883 § 5: Omnes detenti in carceribus vel in castris sub hostili potestate, possunt sacramentalem confessionem instituere apud quemlibet sacerdotem, quamvis iurisdictione ad sacramentales confessiones in loco expertem.

B) *Quoad determinationem sensus locutionis*: ERROR COMMUNIS.

Seposita discussione circa errorem iuris « de facto » et errorem iuris « virtualiter », quae agitatur a canonistis et a moralistis, consideranda videtur quaestio cuius solutio non dependet ab opinionibus, illa nempe quae respicit sensum verbi *communitas* implicite expressum ab adiectivo *communis* in locutione *error communis*. Siquidem, in omnibus definitionibus de errore communi quae passim traduntur ab AA. constanter sermo fit de errore fidelium *alicuius loci* vel *alicuius communitatis*. Ideo omnino necessaria est quaedam *stabilitas* ad efformandam communitatem quae capax sit inducendi *errorem communem;* quae sane communitas est vel « canonica » vel saltem « communitas de facto », exclusa semper fortuita adunatione quamvis ingentis multitudinis (quae non fiat, ut patet, in aliquo « loco » sacro), vel etiam protracta ad tempus, cum haec adunatio fiat tantum praecario, ut v. gr. fit in coloniis alpinis vel maritimis, quamvis rectis a Religiosis.

Haec autem definitio communitatis quae valeat inducere errorem communem haud incongrue collocari posset post can. 215-217, qui agunt de divisionibus territorialibus Ecclesiae, quae sane eo ipso sunt communitates canonicae capaces inducendi errorem communem.

Videretur haec definitio hoc modo posse exprimi:

can. 217 bis: In iure canonico, nomine *communitatis* quae valeat inducere *errorem communem,* praeter communitates territoriali divisione inductas, veniunt communitates canonice erectae aut tales a competenti auctoritate declaratae, necnon quae dicuntur communitates de facto, ita

tamen ut ratione loci, relativa saltem stabilitate fruantur, exclusa adunatione tantum occasionali alicuius multitudinis.

VOTUM 11

De extendenda facultate delegandi iurisdictionem ad audiendas confessiones, de qua in can. 875 § 1.

I. Praemissae

1. Quod iam adnotatum est in praecedenti voto circa opportunitatem vitandi ut christifideles in aliquibus circumstantiis, ob defectum sacerdotum approbatorum ad audiendas confessiones in loco, nimis morari debeant ut possint instituere exomologesim, aut pauci sacerdotes approbati nimis festinanter procedere debeant cum paenitentibus, multo magis valet relate ad pueros scholarum externarum vel oratoriorum, etc. Religionum Clericalium Exemptarum, qui non comprehenduntur inter personas de quibus in can. 514 § 1, ideoque ad eos non extenditur facultas delegandi Superiorum Religiosorum, de qua in can. 875 § 1.

2. Nonnumquam autem defectus sacerdotum approbatorum ad audiendas confessiones in loco deprehenditur cum iam deest tempus necessarium recurrendi ad Ordinarium loci ad obtinendam facultatem audiendi confessiones pro aliis sacerdotibus.

II. Votum

Qua ergo par est reverentia humiliter petitur ut ab ecclesiastica auctoritate potestas delegandi iurisdictionem ad audiendas confessiones de qua in can. 875 § 1 extendatur ad utilitatem alumnorum qui frequentant externas scholas rectas a Religione Clericali Exempta, vel etiam ad utilitatem iuvenum, qui intersunt operibus ad iuventutem christiane instituendam (cf. art. 349-370 *Syn. Romanae*), pariter rectis ab iisdem Religionibus Clericalibus exemptis. Haec autem facultas posset concedi vel simpliciter vel sub conditione: « cum tempus non suppetat obtinendi iurisdictionem ab Ordinario loci ».

Nova ergo concessio hoc similive modo posset induci in can. 875:

can. 875 § 1 bis: Eandem potestatem obtinet Superior, ad normam constitutionum, quoad alumnos qui frequentant scholas externas aliave opera ad iuventutem christiane instituendam, rectas a religione clericali exempta,

(cum vel sine clausula): *cum tempus non suppetat obtinendi iurisdictionem ab Ordinario loci.*

VOTUM 12

De auferendo speciali iure Ordinariorum sibi reservandi absolutionem a quibusdam peccatis (cann. 893-900).

I. Praemissae

1. Duplex finis reservationis peccatorum apud canonistas commemoratur: *finis primarius seu disciplinaris* quae in recta Ecclesiae gubernatione consistit, et quae postulat ut graviora peccata, utpote universo coetui fidelium perniciosa, Superioribus reserventur, quippe qui ob suam peculiarem doctrinam, prudentiam atque experientiam melius quam ceteri iudicare valent, qua ratione tanto malo obviandum sit; *finis secundarius* seu *medicinalis* in eo est, ut fideles a culpis absterreantur, quarum absolutionem difficiliorem esse dignoscunt.

2. At, de facto, assecutio finis primarii iam talibus limitibus circumscribitur a iure vigenti (can. 899-900, necnon can. 518 § 1 et 519, quoad religiosos), ut revera reservatio peccatorum fere nominalis (praesertim quoad religiosos) evadat.

Finis vero secundarius seu medicinalis, impraesentiarum, videtur contraria ratione obtinendus, omnes scilicet difficultates auferendo, ut quamprimum fideles ad statum gratiae redeant.

3. Videtur ergo uterque finis melius obtineri per aptas instructiones sacerdotibus confessariis datas ab Ordinariis circa rationem adhibendam cum fidelibus qui graviora peccata commiserint.

II. Votum

Qua ergo par est reverentia, humiliter quaeritur num melius sit integrum abolere institutum iuridicum de reservatione peccatorum.

VOTUM 13

De concedenda confessariis delegatione habituali circa aliquas dispensationes.

I. Praemissae

1. Canon 1245 nullam tribuit facultatem confessariis dispensandi a lege communi de observantia festorum, abstinentiae et ieiunii. Haec facultas tantum agnoscitur Ordinariis locorum, parochis, necnon Superioribus in religione clericali exempta.

2. Ad normam can. 1402 § 1, solus Ordinarius licentiam concedere potest libros prohibitos legendi « in casibus tantum urgentibus ».

3. E contra expedire videtur, ut etiam confessarii his facultatibus ditentur, ita ut singulos in singulis casibus, etiam non urgentibus, dispensare possint, ex sequentibus rationibus:

a) Christifideles leges festorum, abstinentiae et ieiunii admodum imperfecte observant, atque ipsis a Confessario datum consilium petendi ab eis quibus competit dispensationem aegre sustinent nec ad praxim deducunt. Praestat ergo ut facilior ipsis reddatur possibilitas obtinendi iustas dispensationes;

b) etiam libri indiscrinatim leguntur qui, pro multis christifidelibus saltem, verum periculum revera constituant, sive ex consuetudine sive ex ignorantia. De licentia impetranda neque cogitant, neque si ea careant a libro legendo abstinent. Peccata proinde multiplicantur cum animarum nocumento. Confessarius haud difficile circumstantias perpendere posset, et licentiam indulgere vel minus, absque interventu Ordinarii, prout bonum animarum hic et nunc relaxationem legis praecipiat;

c) illis tantum confessariis has dispensandi facultates deferret Ordinarius qui, matura doctrina ac virtute, cautionem bonam iis prudenter utendi ad christifidelium profectum dederint; non neglecta obligatione rationem reddendi Ordinario de usu huius facultatis ut abusus arceantur.

II. Votum

Hisce consideratis opportunum videtur ut decernatur confessarios quoque facultates habitualiter recipere posse a propriis Ordinariis dispensandi in foro interno sacramentali singulos fideles in singulis casibus a legibus de observantia festorum, itemque abstinentiae et ieiunii atque de librorum prohibitione.

VOTUM 14

De modo fructuose complendi canonicas visitationes

I. Praemissae

1. Nemo ignorat tunc canonicam visitationem optatos fines consequi, cum Visitator perceperit Instituti seu Entis visitati ordinariam rerum conditionem, quae sane saepe valde differt ab artificioso apparatu qui sollemnem vel saltem publicam receptionem Visitatoris comitari solet.

2. Realis illa rerum conditio, in genere, non manifestatur nisi post sat protractam visitationem, et quidem eo perspicuior patebit animus personarum, quo minor adhibita sollemnitas (l'ufficialità) in investigante.

3. In specie, videtur visitatos facilius disponi ad occultiora negotia manifestanda, cum haec manifestatio fiat non Visitatori iam in aliquo gradu superioritatis constituto, sed Delegato quidem a Superiore cuius est perficiendi visitationem, at qui ad modum fratris seu sodalis, cum visitatis communem eorum vitam non obiter tantum ducat, communesque labores ipse aliquandiu sustineat. V. gr. fingatur casus sacerdotis visitatoris qui saltem per duas tresve hebdomadas in aliqua paroecia sacerdotalia munia fungatur, communibus exercitiis pietatis cleri paroecialis intersit, communem eorum mensam participet, etc.; absque dubio, ampliorem notitiam de statu illius paroeciae ipse obtinebit quam Episcopus eandem paroeciam sollemniter visitans. Ita pariter consideretur casus alicuius religiosi visitatoris qui per mensem communem vitam ducat in domo studiorum, omnibus actibus communitatis intersit, tempore examinum iisdem praesit, etc.

II. Votum

Hisce consideratis, videtur proponendum votum ut, firmo iure competentis Superioris perficiendi canonicam visitationem ipsi a iure commissam, alii quoque instituantur *visitatores* qui, non ut Superiores sed more fraterno visitationem perficientes, congrua commoratione cum visitatis, huiusmodi negotia plenius percipere valeant, aptaque remedia — haud exclusa modificatione aliquarum normarum quas visitatio nimis onerosas esse demonstrat, — competentibus Superioribus proponere possint.

VOTUM 15

De quibusdam mutationibus in Curiae Romanae Dicasteriis

I. Praemissae

Cum Sedis Apostolicae regimen de succrescente mole negotiorum, quae saepe prorsus nova sunt, agere debeat, quaedam Curiae Romanae Dicasteria immutare vel noviter erigere opportunum esse videtur:

1. Congregatio, quae appellari possit e. gr. Doctrinae Christianae, omnia ea curare deberet, quae ad negotium gravissimum institutionis religiosae spectant, quae hodie variis de causis nimis neglecta est, ita ut instructio systematica fere unice pueris et puellis, neque ubique, tradatur. Haec doctrinae christianae ignorantia radix est multorum alio-

rum malorum. Itaque Congregatio ista apte disponere deberet de modis et formis, quibus omnes christifideles et etiam acatholici, secundum condiciones coetus, culturae, aetatis in fide et vita christiana melius erudiri possint: in scholis, in ecclesia, extra ecclesias, mediantibus scriptis, radiophonia, televisione, apta methodo et indoli populorum; aetatum, statuum consona. Quapropter ad eius competentiam spectaret etiam regimen Institutorum diffusionis, publicationis, divulgationis atque Institutorum inquisitionis technicae intellectualis (quae in proprio voto erigenda proponuntur) necnon disciplina omnium illarum novarum formarum et methodorum, apostolatus, quae nova adiuncta, recentesque vitae conditiones flagitant.

2. Congregatio Concilii, cui hucusque « ea pars negotiorum est commissa, quae ad universam disciplinam cleri saecularis populique christiani refertur (can. 250 § 1) in duas Congregationes dividi posset:

a) Congregatio cleri saecularis cuiusque gradus cum omnibus, quae ad eius formationem et activitatem spectant. Ideoque seminaria ad eius competentiam transmittenda;

b) Congregatio populi christiani cum omnibus quae vitam christianam laicorum spectant. Ei concredenda quoque essent quae ad apostolatum laicorum pertinent, qui maximi momenti in posterum erit; hoc modo non solum laicorum momentum magis elucescet, verum etiam eorum curae at activitati melius et ex professo consuli poterit;

c) Congregatio de Seminariis et studiorum Universitatibus, remissa cura seminariorum ad Congregationem cleri saecularis, studia cuiusque gradus et generis ab Ecclesia imponenda et promovenda una cum respectivis scholis curare debere. Quia vero studia superiora et Universitates, in quibus coluntur, praecipui sunt momenti, praecipua quoque cura his impendenda erit. Ad hanc Congregationem (« Studiorum » forsan appellandam) spectaret etiam regimen Institutorum ecclesiasticorum inquisitionis et publicationis scientificae.

4. Cum quaevis activitas apostolica hodie plus quam praeteritis temporibus fines aliarum activitatum ingrediatur (quoad rem et quoad territorium) cumque efficacitas maximam virium coniunctionem et apostolorum cooperationem exigit, necessarium videretur Officium S. Sedis, in quo competentiae et activitates Dicasteriorum externae ipsius Curiae Romanae et activitas apostolica in toto orbe, ubi et quando expedit et necesse est, coordinentur. Propter maximam auctoritatem, qua illud pollere oportet et quia inter ipsa Dicasteria Pontificia arbiter et iudex esse deberet immediate a Summo Pontifice necessario dependere debet. Ergo novam Sectionem Secretariae Status (si competentibus ita videatur) constituere posset.

II. Votum

Ergo, qua par est reverentia, petimus ut immutentur et erigantur quaedam dicasteria curiae romanae: S. Congregatio doctrinae christianae, S. Congregatio cleri saecularis, S. Congregatio populi christiani, S. Congregatio Studiorum, Officium coordinationis competentiarum et activitatum dicasteriorum et apostolatus.

APPENDIX I

De necessariis providentiis ad auferendam nimiam anxietatem Ordinariorum atque Superiorum Religiosorum in iuste defendendis subditis post interventus Supremae S. Congregationis S. Officii.

Salutaris timor quem gignunt in clericali et religioso coetu interventus S. Congr. S. Officii, nonnumquam occasio evadit ut Superiores immediati clericorum vel religiosorum suis subditis omnino denegent quemlibet concursum ad sese defendendos contra possibiles calumniosas accusationes, sed illud « Superioribus quibuslibet districte prohibetur quominus in causis ad S. Officium spectantibus se intromittant » (can. 501 § 2) ita interpretantur ut ne audire quidem velint subditos sese innocentes declarare.

Ita aliquando factum est ut tantummodo post plures annos mendaces calumniatores suum scelus detestati sint, cum ii qui calumnia perculsi fuerant vel iam demortui, vel tali moerore affecti essent, ut propria munia denuo suscipere non possent.

Qua ergo par est reverentia, humiliter petitur ut illae providentiae statuantur seu normae dentur, quae ad antedicta damna vitanda aptae videantur.

APPENDIX II

De constituenda speciali Commissione cui scripta inedita de re biblica agentia vel quaestiones biblicas quomodolibet attingentia subiici possint, ad praevium privatum iudicium de rectitudine doctrinae.

1. Studia biblica fere semper fundamento aliquo scientifico innituntur, ex quo traditionalis scientia atque doctrina catholica exsurgit.
2. Haud facile interdum in progressu scientifico id quod stabile et duraturum sit statim discerni potest.

3. Nonnunquam etiam accidit, ut scientificus progressus cum traditionali catholicorum doctrina pugnare videatur.

4. Hinc evenit ut opera scientifica, quamvis sincero erga Ecclesiae auctoritatem obsequio conscripta sint, vel forma vel rebus, ab ipsa doctrina discrepare videantur.

Unde proponitur, ut praeter *Commissionem Biblicam,* cuius est iudicare opera vel systemata, ad normam catholicae doctrinae quaeque ideo nonnisi opera iam publici iuris facta pertractat, instituatur *Commissio doctorum virorum,* qui de progressu scientifico iudicare eiusque consonantia cum deposito fidei possint quibusque scripta (libri, commentaria, dissertationes, etc.) nondum edita subiici liceat ut de eis *privatum* iudicium proferant.

Hinc praeclare fiet, ut supremi magisterii organorum libertas nullo modo vinculetur, et errores, si qui sint, vel inaccurata verba praevio corrigantur.

Hac cautione tristissimum illud vitabitur, ut libri et opera quae interdum iubente Sacra Hierarchia inchoata, et legitima in publicum exeundi licentia instructa, postquam prodierunt, condemnatione afficiantur, cum haud parvo infirmorum et inimicorum scandalo, neque minore auctoritatis hierarchicae et rei catholicae praeiudicio, ut ingentes, quae nonnumquam consequuntur, pecuniae iacturas, silentio praetereamus.

VOTUM 16

De harmonica actione saecularis atque religiosi cleri in Ecclesia systematice ordinanda.

I. Praemissae

1. Summa Patrum Concilii Oecumenici sollicitudo, quaeque ceteras quodammodo complectitur, ad illam determinandam rationem tendere debet, qua novis in dies mutatis vel exsurgentibus spiritualibus necessitatibus bene perspectis, implexisque nostri temporis valide superatis difficultatibus, divinum a Christo Domino acceptum mandatum Ecclesia, maxima qua potest efficacia, absolvat, tam in communis, ut dicitur, quam in missionalis iuris regionibus.

2. Ad personas autem quod attinet laicis apostolatui consecratis minime neglectis fundamentalis tamen dicenda videtur virium utriusque cleri harmonica coniunctio, quae cum decursu saeculorum Ecclesiae haudquaquam defuerit, hodiernis tamen necessitatibus non modo vehementius exigitur sed etiam ut systematice ordinetur oportet. Quid enim viribus

unitis perfici possit, iam obtentae vel pertimescendae in orbe terrarum, tum doctrinae, tum actionis communistarum, victoriae ostendunt, atque praeclare illustrat illa a Carolo Marx proposita parabola de trabe quae si 12 hominum vires exigit ut sublevetur a terra, nullo modo movebitur nisi 12 illi homines una simul couniti incipiant. Idem sane valet de hodierno « problemate » conservationis et plantationis Ecclesiae.

3. In primis ergo memoranda sunt principia *theologico-iuridica* utriusque cleri conditionem in Ecclesia spectantia, atque considerandae sunt exigentiae status religiosi structuraque Institutorum Pluridioecesanorum ut clerus religiosus validum auxilium praebere possit spiritualibus necessitatibus, tum in natione, tum praesertim in unaquaque dioecesi.

II. PRINCIPIA theologico-iuridica circa conditionem utriusque cleri in Ecclesia atque exigentiae Religionum Clericalium Pluridioecesanarum.

1. Ipse can. 107, implicite quidem et clare omnino, praeter distinctionem inter *Clericos* et *Laicos* divino iure inductam, alteram dein, providentia disponente, ab Ecclesia inductam esse docet, pariter fundamentalem inter Saecularem et Regularem seu Religiosum Clerum. Huius distinctionis historico-iuridica consolidatio patet tum recepta locutione *uterque clerus* (can. 282 § 3; 286 § 4; 309 § 1; 881 § 1, etc.) tum ipsa locutione *clerus saecularis* (can. 250 § 1, 367, 457, 491 § 2, etc.), quippe quae alterum terminum *clerus regularis* seu *religiosus,* necessario evocat.

2. Nec dignitatis sacerdotalis coniunctio cum Statu Religioso Dei Providentia in Ecclesiam inducta, ab eadem Ecclesia explicite approbata fuit eum tantum in finem ut clerus religiosus auxilio sit clero saeculari (quasi per se, seu ex regula, eidem tantum saeculari clero competat cura animarum in Ecclesia exercenda) vel, ut pro temporum ac locorum necessitatibus, huius cleri vices agat. Equidem, monente S. P. Pio XII f. r. « deerrat (igitur) in aestimandis fundamentis, quae Christus constituendae iecit Ecclesiae, qui secum reputat peculiarem saecularis cleri formam, utpote saecularis, a divino Redemptore statutam sancitamque esse, peculiarem autem regularis cleri formam, licet ipsa bona et rata habenda sit, quippe quae ex altera manet, secundariam et auxiliariam esse ». « Quocirca — docet idem S. P. — ordine a Christo statuto ob oculos habito, neutra peculiaris gemini cleri forma divini iuris praerogativam tenet, cum idem ius neque alteri alteram praeponat neque alterutram emoveat » (*Allocutio habita* die 8-12-1950 delegatis Conventui Generali de Statibus Perfectionis, *A.A.S.,* XLIII, 1951, p. 28).

3. Cum autem « Status religiosus secundum se et suam substantiam ab ipso Christo Domino immediate traditus et institutus (sit), atque ita dici (possit) esse de iure divino, non praecipiente sed consulente » (Sua-

rez, *De relig.*, tract. VII, lib. III, c. III, n. 3; *Opera omnia,* t. XV, p. 230, a), atque quae iuris divini sunt, etsi tantum consulentis, irrita manere non possint, patet Episcopos non posse ab hac iuris divini norma adimplenda se avertere eoque minus obstare ne in suis dioecesibus constituantur domus religiosorum neve clerus religiosus, qui ut supra memoravimus, Dei providentia in Ecclesiam inductus est ut suam operam una cum saeculari praebeat.

4. At ordinata colligatio utriusque cleri in supremum bonum animarum, non utique sistit in quadam systematica cooptatione cleri religiosi ad regendas paroecias perinde ac clerus saecularis, quod cum aliquid omnino distinctum constituat, aptisque normis canonicis rectum sit, per se nulla cum clero saeculari difficultate laborat.

N.B.: At silentio praetereunda non est difficultas quae nonnumquam exsurgit ob maius commodum pro spiritualibus auxiliis quod praebere potest paroecia clero religioso concredita, relate ad propinquas paroecias cleri saecularis, quarum fideles religiosorum ecclesiam praeferre demonstrent; sed huic difficultati, supremo bono animarum subordinandae, occurri potest congruis providentiis (ut infra innuitur cum sermo est de auxilio quod clerus religiosus dioecesano praestare debet).

5. E contra, vexata quaestio, pro viribus solvenda, consistit in determinatione rationis qua sacerdotes religiosi ordinatum ac fructuosum auxilium praebere possint ac debeant clero saeculari, tum in tota natione, tum in dioecesi, tum in singulis paroeciis, et hoc quidem sive ministeriis stricte sacerdotalibus, sive aliis ministeriis in bonum spirituale ordinatis.

Ad hanc solvendam quaestionem oportet praesertim considerare:

a) In religiosis sodalibus vocatio sacerdotalis atque apostolica regitur unitaria ratione non minus quam vocatio religiosa ab eodem Superiore religioso, quippe quod religio necessaria media suppeditat suis sodalibus ut ad sacerdotium pervenire possint, ac praesertim per legitimos Superiores coram Ecclesia fidem facit de ipsorum idoneitate ad sacros ordines recipiendos atque ad sacerdotalia munera exercenda; proinde, quamvis « ad iuris divini praescriptum sacerdos, sive saecularis sive religiosus (sit), munia exercere debet sua, ut Episcopo auxiliator adsit et subsit » (*Allocutio* Pii XII cit. *A.A.S.*, XLIII, 1951, p. 28), tamen iuridica dependentia sodalium religiosorum a proprio Superiore efficit ut etiam quoad antedicta munia, nihil fiat « sine Superiore » (cf. v. gr. quomodo mutata sit praescriptio Synodi Romanae art. 41 § 2 edit. italicae « Schema di articoli preparato per la Commissione Generale » in correlato praescripto art. 42 editionis latinae [Primae Rom. Syn. Constitutiones]).

b) Haud inferioris momenti sunt exigentiae promanantes ex structura pluridioecesana quam habent omnes religiones Iuris Pontificii, in quibus intrinseca sane ratione necessaria omnino evadit etiam pro ipsis religionibus laicalibus, quaedam libertas ab Ordinario loci, cuius sollicitudo iuridica limitibus suae dioecesibus circumscribitur.

c) Nunc autem, istiusmodi exigentiae, prioribus cumulatae, efficiunt ut omnibus Religionibus Clericalibus Iuris Pontificii necessaria omnino evadat quaedam libertas relate ad Ordinarium loci, etiam quod attinet ad vitam *clericalem* et *apostolicam* suorum subditorum, i. e. ut sicut Superiores Religiosi « publice » seu « nomine Ecclesiae » (can. 1308 § 1, coll. cum can. 488, 1°) recipiunt vota sodalium qui sacerdotio iam aucti vel augendi sunt (cf. can. 488, 4°), eosdem dein « publice » seu « nomine Ecclesiae » rogant etiam quoad vitam clericalem seu sacerdotalem, habita ratione necessitatum spiritualium totius nationis atque imprimis dioecesis atque civitatis in qua sita est domus religiosa cui pertinent religiosi sacerdotes.

d) Dum ergo Ordinarii locorum, ut singuli, tum in Conferentiis Episcoporum adunati, in caritate Christi directe agere possunt cum omnibus Religionibus I. P., coniunctio vero iuridica inter iura Ordinariorum et iura Religionum I. P., ac praesertim cum Religionibus Clericalibus I. P. de quibus hic expresse agitur, quaerenda est in Nuntio vel Delegato Apostolico.

e) Istiusmodi autem sive in Christo amicales, sive iuridicas postulationes seu pactiones, praecedere debent:

— in Ordinariis locorum consideratio validi auxilii praestiti ad bonum spirituale fidelium dioeceseos a Religiosis Sacerdotibus suis peculiaribus ministeriis seu piis operibus, quorum sollicita est Ecclesia (cf. can. 497 § 3);

— in Religiosis Sacerdotibus, consideratio supremi valoris salutis animarum quaerendae in dioecesi etiam cum incommodo Communitatum Religiosarum ibi commorantium.

Unde fit ut, non modo religiosi sacerdotes praesto esse debeant oeconomicum quoque auxilium, prae viribus, spiritualibus necessitatibus dioeceseos praebere, idque tum directe, tum indirecte, spiritualibus nempe ministeriis obeundo, sed etiam ut Episcopi ne detrectent gravaminibus oeconomicis quae istis religionibus forte obveniunt (ex neglecto munere in domo religiosa ut pastoralibus vacent ministeriis) ex bono et aequo prospicere. V. gr. si in aliqua dioecesi sacerdotes cleri saecularis ad exercenda munia pastoralia omnino impares sunt, dum, e contra, in aliqua schola religionis clericalis I. P. profanae quoque disciplinae committuntur religiosis sacerdotibus, Episcopus per Nuntium vel Delegatum Apo-

stolicum, poterit utique petere ut in hoc magisterio nonnulli saltem religiosi sacerdotes substituantur per magistros laicos pretio conductos, at considerare pariter tenet expensas ex hac substitutione obvenientes, atque congruum oeconomicum auxilium huic religioni praebere.

6. Tandem, ut principium fundamentale, sancte tenendum est Ordinarii loci esse in tota dioecesi curam gerere omnium ministeriorum in bonum spirituale populi christiani sibi commissi, sive generice sumpti, sive in peculiaribus coetibus seu categoriis considerati, eaque auctoritative dirigere; quare, ea quoque spiritualia ministeria quae a religionibus clericalibus exemptis exercentur in bonum populi christiani, plenissime subduntur huic episcopali potestati. Aperte declarandum est, in iis ministeriis etiam exemptos nulla frui exemptione a potestate Ordinarii loci.

III. Prospectus mediorum quibus conciliari possunt necessitates spirituales locorum cum exigentiis Religionum clericalium I. P.

1. In omnibus gradibus libertatis, quae religionibus erga Ordinarium loci in vigenti disciplina conceditur, veluti duae classes iurium agnoscendae sunt, quarum altera constat ex exemptionibus et privilegiis, quae titulis historicis fundantur; altera vero est illa libertas ab Ordinario loci ac consequens potestas Superioribus religiosis in subditos obveniens, quae religionibus illud conferunt quod necessarium vel saltem valde utile est ad proprium finem in *Ecclesia* obtinendum.

Nunc autem, sepositis exemptionibus et privilegiis quae tantum historice iustificantur (ut est v. gr. exemptio ecclesiarum regularium non paroecialium a visitatione Ordinarii loci, de qua in can. 512 § 2, 2), bene perpendenda est atque systematice extendenda illa libertas ac consequens potestas Superiorum religiosorum in proprios subditos, quae ad finem proprium uniuscuiusque speciei religionum intendunt.

Quoad hanc libertatem et potestatem concedendam Superioribus religiosis in proprios subditos, hi gradus libertatis ab Ordinario loci agnoscendi videntur:

a) *Gradus libertatis religionum clericalium iuris Pontificii*: character clericalis harum religionum — ideo prae primis institutio ac formatio clericalis atque apostolica sodalium qui sacerdotio augendi sunt, necnon munera sacerdotalia quae (seorsim aut coniuncta cum aliis operibus) ab ipsis exercenda sunt — expostulant ut Superiores religiosi — ad normam iuris atque constitutionum — habeant adaequatam potestatem seu praerogativas ad antedictos fines obtinendos, ut v. gr. facultatem concedendi propriis subditis litteras dimissorias (can. 964, 2), iurisdictionem ad audiendas confessiones professorum, novitiorum aliorumque de quibus in can. 514 § 1 (can. 875 § 1) (immo, ut in alio loco

horum votorum proponitur, etiam quoad alumnos qui frequentant scholas externas vel alia opera ad christiane instituendam iuventutem ordinata), facultatem dispensandi vota huiusmodi personarum (can. 1313, 2°), privilegium concedendi facultatem concionandi ad antedictas personas (can. 1338 § 1), facultatem quoad tempora sacra relate ad has personas (can. 1245 § 3), etc.

b) Gradus libertatis monialium prout regularibus subiciuntur, necnon sororum prout alicui congregationi clericali specialiter forte aggregentur.

c) Gradus religionum laicalium virorum I. P.

d) Gradus congregationum sororum I. P.

2. Necessaria libertas qua, iuxta nuper dicta, donandae essent omnes religiones clericales I. P. nequit exprimi locutione: « libertas quoad *regimen internum* »:

a) quia adiectivum *internum* in locutione *Regimen internum* idem sonat ac libertatem *quoad vitam religiosam,* dum, e contra, in istis religionibus, necessaria libertas (seu potius, correlata potestas Superiorum religiosorum) sese extendere debet etiam ad vitam sacerdotalem ac apostolicam sodalium;

b) quia, habita ratione vetustae traditionis canonicae, non videtur loco verbi *exemptio* aliud verbum, ut v. gr. *libertas* vel *autonomia* esse inducendum, ac si verbum *exemptio* infensum habendum sit, quia, nullo modo contradicit iuri Episcoporum, nam « ad normam iuris canonici religiosi exempti Episcopi loci potestati subsunt, prout episcopale munus perfungendum et animorum rite ordinanda curatio requirunt ». Insuper, exempti « ex praescripto iuris canonici semper et ubique Romani Pontificis potestati, utpote supremo suo Moderatori (subiiciuntur), cui oboedire tenentur etiam vi voti oboedientiae. Iamvero Summus Pontifex, in universam Ecclesiam, in unamquamque dioecesim et in singulos christifideles ordinariam et immediatam iurisdictionem habet » (S. P. Pii XII, f. r., *Allocutio* diei 8-12-1950, *A.A.S.,* XLIII, 1951, pp. 28-29).

3. Clare vero statuendum est ex personis, nullos praeter religiosos professos atque novitios, quamvis alii quoque fideles aliquo modo participent de commodis exemptionis (cf. can. 875 § 1; 1313, 2°; 1338 § 1; 1245 § 3, etc.), exemptos esse, ut nempe firmetur principium de quo supra in n. II, 6.

4. Valde vero incerta evaderet declaratio concessae exemptionis religionibus clericalibus (ut iam fit pro regularibus in can. 615) si expresse vel tacite admittatur exemptos teneri legibus ab Ordinario loci forte latis ad consulendum ordini publico, ideo quoad has leges, transire in

conditionem de qua in can. 619. Quoad hanc ergo quaestionem remittimus ad ea quae exponuntur in appendici ad hoc votum.

5. Ut ex ordine, concorditer atque efficaciter, a sacerdotibus utriusque cleri consulatur necessitatibus spiritualibus populi christiani, videtur opportunum:

a) in primis, bene perpendere quam necessarium sit impraesentiarum ut harmonice procedat cura spiritualis intra territoriales limites (singulas dioeceses, singulas paroecias) cum spirituali cura adhibita peculiaribus coetibus seu categoriis fidelium (laurea donatis, studentibus in universitatibus, operariis, etc.) quae haud semper antedictis territorialibus limitibus contineri potest;

b) considerare quod praesertim circa haec altera munera spiritualia possint facilius « partes » apostolatus determinari, sacerdotibus utriusque cleri, iuxta necessitates locales, concredendae.

6. Tandem, ad statuendas « partes » cleri religiosi in apostolatu, valde congruum videretur:

a) *in singulis nationibus,* efficere ut ea quae ad spirituale bonum populi christiani decernuntur in Conferentiis Episcopalibus, mediante Nuntio aut Delegato Apostolico, communicentur etiam Superioribus religionum clericalium I. P.

N.B.: 1. Neminem vero fugit quantum conferat ad mutuam consensionem utriusque cleri circa negotia spiritualia totam nationem respicientia, ut a Conferentia Episcopali (cum congruo interventu Nuntii vel Delegati Apostolici) sacerdotes quoque religiosi cooptentur inter consultores « subcommissionum » ad disceptandas quaestiones examini Conferentiae Episcopali subiiciendas. Hoc enim similive modo (ut videtur, iuxta spiritum praescripti can. 286 § 4) facilius obtineri potest ut sublata differentia finium particularium utriusque cleri, vere solidali ratione ab utroque concorditer quaerantur non « quae sua sunt », quamvis spiritualia sed « quae Iesu Christi » viventis in Ecclesia.

2. Quae hic dicuntur de Superioribus religionum clericalium I. P. congrua congruis referendo, valent etiam pro Superioribus aliarum religionum, quandoquidem istarum quoque religionum opera requiritur ut ad actum deducantur quae statuta sunt in Conferentiis Episcopalibus.

b) *In singulis dioecesibus,* videtur inducendum quoddam *speciale Consilium* pro bono spirituali populi christiani, in quo, Praesidente Ordinario loci, delegati utriusque cleri quae aptiora sunt spiritualibus necessitatibus populi considerent, atque ut ad effectum deducantur, suam quisque partem concordi consilio acceptent.

c) Congrua congruis, istiusmodi concilium posset etiam ab Epi-

scopo constitui *in singulis civitatibus,* praesertim ubi plures sunt paroeciae, ad valide consulendum ministeriis spiritualibus in favorem particularium coetuum fidelium.

APPENDIX

De habitudine exemptorum ad leges ecclesiasticas latas ab Ordinario loci ad consulendum ordini publico.

Cum, ut supra dictum est (III, 4), canonicum institutum exemptionis religiosorum, quamvis forte in accidentalibus temperandum, fundamentale sit ad systematice conciliandas exigentias religionum clericalium pluridioecesanarum I. P. cum bono spirituali uniuscuiusque dioeceseos, institutum autem exemptionis religiosorum magnopere laederetur si — ut ab aliquibus sic et simpliciter asseritur — praesumi posset, in omnibus legibus quae ab Ordinario loci feruntur ad consulendum ordini publico, religiosos exemptos eidem Ordinario eo ipso subiectos fieri (cum consectariis de quibus in can. 619) videtur opportunum relate ad can. 14 § 1, 2° has quae sequuntur instituere considerationes:

1. Ipsa studia monographica de « *ordine publico in Ecclesia* » (Iosephus Sirna, *De notione « ordinis publici » in Ecclesia,* Romae 1949; John H. Hackett, *The concept of Public Order,* Washington, 1959, etc.), seu instauratae discussiones circa sensum ac extensionem huius locutionis: « Ordo Publicus » in Iure Canonico, bene probant notionem iuridicam legum quae in unaquaque dioecesi ordini publico consulunt (de quibus in can. 14 § 1, 2°) « obscuritate non (carere) » (Van Hove, *De Legibus Eccl.,* Mechliniae, 1930, n. 215, p. 220), ideoque quae sint istae leges « in specie determinari non (posse) » (o. c. n. 216, p. 221).

Ideo videretur aliqualiter conferre ad claritatem praescripti can. 14 § 1, 2° hoc vel simili modo formulam perficere: « *iis exceptis quas ob exigentias ordinis publici Ordinarius loci declaraverit obligare etiam peregrinos,* vel quae actuum sollemnia determinant ».

2. Cum autem locutio: « *Leges quae ordini publico consulunt* » primo ictu ingenitum atque indubitandum sensum haud vitabilis obligationis (Fogliasso, *Introd. in vigentem disciplinam de iur. relationibus inter Religiones et Ordinarium loci,* Aug. Taurinorum, 1948, p. 138) certo habeat, non defuerunt Ordinarii locorum qui, vel singillatim vel in conferentiis episcopalibus adunati, cum normas ederent quae viderentur ordini publico consulere, iisdem teneri etiam exemptos aperte edixerunt, vel de hac re quaestionem S. C. de Religiosis proposuerunt.

3. Neminem vero latet hoc principio sic et simpliciter admisso,

exemptos scilicet iurisdictioni Ordinarii loci subiici quoad leges quas ipse Ordinarius loci dederit ad consulendum ordini publico, ipsam categoricam structuram can. 615 labefactari, quia, si id verum esset, postrema propositio huius canonis esset hoc modo complenda: « praeterquam in casibus a iure expressis, *vel merito praesumptis* », quod, ut patet, claram inducit contradictionem in terminis.

4. Altero vero ex capite dubitari non potest leges ab Ordinario loci datas quae revera consulant ordini publico, obligare etiam exemptos, quippe quod transgressio huiusmodi legum facile scandalum gignere potest, ideo puniendum ad normam can. 2222 § 1. Hoc autem faciendum est a legitimo Superiore religioso, non ab ipso Ordinario loci, cum pro istis legibus (quae non comprehenduntur « in casibus a iure expressis », ne implicite quidem, non sit locus applicationi praescripti de quo in can. 619, ubi statuitur quod « in omnibus in quibus religiosi (etiam exempti) subsunt Ordinario loci, possunt ab eodem etiam poenis coërceri ».

5. Nec contra hanc relationem religiosorum exemptorum ad leges ab Ordinario loci forte datas ad consulendum ordini publico invocari potest quod invenitur in decreto S. Congr. de Religiosis, 11-5-1953, « circa l'apostolato cinematografico » (n. 7): « Si ricorda, che in base ai principi canonici, le norme emanate dagli Eccellentissimi Ordinari diocesani per il settore dell'apostolato cinematografico, in quanto tocchino la fede, la morale o l'ordine pubblico, vincolano i religiosi, anche esenti, che gestiscono sale cinematografiche aperte al pubblico » (v. *Commentarium pro Religiosis,* 1953, pp. 256-257), nam:

1) ipsa postrema verba articuli Decreti « aperte al pubblico » clare innuunt hic agi de normis quae tandem respiciunt personas nullo modo exemptas;

2) etiam normae quae immediate tangunt modum agendi religiosorum, ob nuper declaratam rationem vitandi facile scandalum ob diversum modum agendi cleri saecularis et religiosorum exemptorum, isti quidem obligantur ad observandas has normas *ratione scandali* (cum iuridicis consequentiis in casu transgressionis coram propriis Superioribus), non autem fiunt subditi Ordinario loci ratione huiusmodi legum.

6. Cum autem ratio vitandi scandali teneat quoque praelatos quoquo modo exemptos, non absonum videtur considerare una simul omnes exemptos, atque exemplum sumendo ex art. 9 § 1 Constitutionum Romanae Synodi, haud incongruum videretur adiungere in *can. 14* tertiam paragraphum:

« Omnes qui fruuntur privilegio exemptionis a iurisdictione Ordinarii loci, eiusdem Ordinarii legibus obsequantur ».

7. Verum, alii respectus huius quaestionis considerandi sunt:

a) Supra proposita adiunctio in can. 14 § 1, 2° introducenda: « iis exceptis quas ob exigentias ordinis publici Ordinarius loci declaraverit obligare etiam peregrinos » confert quidem ad tollendum — ut ita dicamus — dubium practicum quoad normas dioecesanas quae consulunt ordini publico, definiendo nempe in casu agi de lege quam Ordinarius loci censet esse de ordine publico (quae sane declaratio et ipsa indirecte confert ad solvendam quaestionem theoricam, quippe quod aliquo modo suadet Ordinario ut bene perpendat utrum lex ab ipso danda sit revera ordinis publici), non aufert vero difficultatem theoricam definiendi quaenam sint in Ecclesia leges quae consulunt ordini publico;

b) Ita pariter proposita adiunctio 3 § in can. 14:

« Omnes qui fruuntur ... *eiusdem Ordinarii legibus obsequantur* », implicite quidem exprimit exemptos quamvis teneantur huiusmodi legibus, non ideo tamen subiici iurisdictioni Ordinarii loci quoad observantiam harum legum, sed eosdem morali obligatione devincit, quae in casu scandali ex inobservantia promanantis, eosdem exemptos iuridice submittit propriis Superioribus (religiosis nempe vel in superiore gradu hierarchiae collocatis).

Nunc autem, haud desunt quaedam normae ab Ordinariis locorum datae « ad consulendum ordini publico » (ut ab iisdem dictum est), quarum observantia nullam sane parit difficultatem quoad clerum saecularem, quae, e contra, potest evadere valde onerosa aliquibus religiosis exemptis: v. gr. prohibitio facta omnibus sacerdotibus adeundi publica loca ludorum pilae, etc., cum id necessarium sit ad comitandos alumnos collegiorum, nec facile ac tuto, pro moralitate, haec adsistentia committi possit praeceptoribus laicis pretio conductis.

c) Nec tandem desunt aliquando casus cuiusdam intemperantiae in condendis legibus, quas una convenientia uniformitatis transfert in categoriam legum quae « consulunt ordini publico », ut abhinc aliquos annos factum est in celebri dioecesi italica, cuius Ordinarius sic et simpliciter vetuit alumnos clericos seminarii dioecesani perspicilla nigri coloris gerere, ita ut omnes clerici, ratione uniformitatis tenerentur huiusmodi normae.

d) Proinde videretur haud superfluum adiungere in can. 615:

§ 2: Normae autem quas Ordinarius loci dederit pro externa disciplina clericorum tenent etiam religiosos exemptos, qui de earum observantia propriis Superioribus respondent.

In iis edendis normis Ordinarius loci speciales exigentias ministeriorum quae a religiosis exercentur perpendat, auditis quoque, si opus fuerit, ipsis Superioribus religiosis.

VOTUM 17

De apostolatu laicorum

I. Praemissae

1. Cum sacerdotum et religiosorum numerus muneri impar sit, cum orbis populatio in immensum excrescat, cumque civilis cultus ubique terrarum augeatur, necessitas omnino urget ut laici Ecclesiae in opere apostolico opem afferant (Pius XII, *A.A.S.* IL [1957] 926-7; 935-7). Etenim, hac numerica imparitate, quae in dies magis patet, difficilius fit tum munus docendi Ecclesiae, tum conservatio et incrementum operum misericordiae sive temporalis sive spiritualis.

Ex causis ob quas haec paucitas graviores in dies iacturas producit, hae praesertim numerandae videntur:

a) culturae incrementum, quo multo plures quam antea ad scholas elementares, technicas, universitarias accedunt; unde necesse est ut maior in dies laicorum numerus munus docendi suscipiat (*ibidem.* p. 936);

b) conscientia in dies gravius urgens responsabilitatis socialis et necessitas spiritu Christi animandi multifaria opera « praevidentiae », « cooperationis » et « assistentiae oeconomicae », tum in ambitu nationali tum in ambitu internationali;

c) mirabile illud incrementum novissimorum « mediorum communicationis (radiophoniae, cinematographiae, televisionis) multas specificas quaestiones excitat et exigit ut christiani alacres et periti adsint (Pius XII, *A.A.S.* IL, 1957, pp. 933-4);

d) ex nonnullis locis quae nuper libertatem consecuti sunt, clerus non indigena decedere conatus est, alibi e nationalismi fautoribus suspectus habetur, unde gravius urget ut laici tum ad catechismum docendum (*ibidem,* p. 937), tum ad defendendas atque extendendas christianae culturae divitias opem suam afferant.

2. Praeter amplitudinem munerum quae obeunda sunt, insistendum est etiam in facto quod neque sacerdotes neque religiosi ad quaedam loca vel personas accedere possunt, V. gr.:

— ad coetus operariorum in officinis et negotiatorum;

— ad coetum eorum qui politicae operam dant;

— ad nonnullos qui a praxi christiana alieni sunt;

— ad opera quaedam socialia ubi elementum professionale vel oeconomicum praeponderat (cf. Pius XII,ibidem).

3. Movemur etiam sollicitudine stimulandi laicorum apostolatum qui iam tam insignes fructus Ecclesiae attulit (Pius XII, *A.A.S.* XLIII, 1951, p. 785), necnon desiderio ut recognoscatur et confirmetur cha-

racter semper magis officialis quem his ultimis temporibus apostolatus organizatus fidelium iam recepit (*ibidem,* p. 789).

II. Propositiones

1. Ad novum titulum inserendum (XX. Lib. II. Pars III *C.I.C.*), proponimus ut canon efformetur qui, dum can. 87 integrat, ex charactere baptismali, quo christiani membra fiunt Ecclesiae, deducat omnium fidelium, pro sua cuiusque conditione, ad sacerdotium Christi participationem. Hoc canone breviter definiatur modus huius participationis et efferatur eminens dignitas « universalis fidelium sacerdotii », specifice tamen diversi a « speciali sacerdotio » presbyterorum (*Mediator Dei, A.A.S.* XXXIX, 1947, p. 554).

Hoc modo fundamentum dogmaticum generale laicorum apostolatui ponetur atque in re tam gravi, aberrationes vitabuntur quae in quibusdam tentaminibus « theologiae laicorum » irrepserunt (*ibid.,* pp. 553-5; *A.A.S.* IL, 1957, p. 930).

2. Praeterea proponimus ut in quodam canone statuatur ius et officium merorum laicorum cooperandi cum Ecclesia in spiritu oboedientiae erga Ecclesiae magisterium; quod ius et officium ex summo officio summaque dignitate, cuius vi fideles ad Eucharistiam sacrificium participant, idque « non quiescenti neglegentique animo... sed tam impense tamque actuose ut cum Summo Sacerdote arctissime coniungantur secundum illud Apostoli: « Hoc enim sentite in vobis quod et in Christo Iesu » (*Phil.* 2, 5) (*Mediator Dei, A.A.S.* XXXIX, 1947, p. 552).

Ita accuratius stabilietur basis doctrinalis apostolatus laicorum, sive is organizatus sit sive minus. Hoc textu patebit etiam quanti Ecclesia laicorum apostolatum faciat, quippe cum omnes officialiter advocet, ut ad aedificandum et perficiendum Corpus Christi mysticum collaborent (*Mystici Corporis Christi, A.A.S.* XXXV, 1943, p. 241).

3. Dependentia a hierarchia in apostolatu exercendo.

Proponimus ut quodam canone principia generalia statuantur:

a) in associationibus actionis catholicae, ob earum specialem collaborationem cum apostolatu hierarchico, haec dependentia erit totalis (Pius XII, *A.A.S.* XXXII, 1940, p. 367; *A.A.S.* XLIII, 1951, p. 789).

Idem valeat ubi adsit mandatum ab ipsa hierarchia collatum, ut catechismum docendi vel bona Ecclesiae administrandi.

b) In aliis casibus, vinculum erit laxius. Hierarchia nonnisi normas directivas generales vel particulares vel proferet, vel in memoriam revocabit, meram adsistentiam vel vigilantiam moralem praestabit. Ita fiet, v. gr. si apostolatus exerceatur in associationibus professionali-

bus vel politicis, in quo casu interest ut sub integro laicorum responsabilitate exerceatur (Pius XII, *A.A.S.* IL, 1957, p. 927);

c) In omnibus casibus meminerint laici necessitatis promptae fidelisque oboedientiae, quotiescumque Ecclesia loquitur ad fidelium mentes docendas vel actus dirigendo. Limites actionis laicorum semper erunt tum reverentia orthodoxiae tum observantia legitimarum praescriptionum competentis auctoritatis ecclesiasticae (Pius XII, *A.A.S.* XLIII, 1951, pp. 378, 789 ss; *A.A.S.* IL, 1957, p. 930).

Ceterum studeant in omni casu Superiores ecclesiastici sic erga apostólos laicos se gerere ut Creator et Dominus creaturis rationabilibus utitur instrumentis et causis secundis, « magna suavitate et reverentia » (*Sap.* 12, 18) (Pius XII, *A.A.S.* XLIII, 1951, p. 789).

4. Actualis quidem disciplina, can. 118 solos clericos sinit potestatem iurisdictionis obtinere; insuper Pius XII monuit laicorum apostolatum etiam cum hierarchiae mandato exercetur, numquam fieri apostolatum hierarchicum (Pius XII, *A.A.S.* IL, 1957, p. 928).

Nostris tamen temporibus — et fortasse etiam futuris — momentum et urgentia munerum quibus meri laici fungi possunt, ut gravibus necessitatibus Ecclesiae subveniatur, nos inducunt ut, si non praecitati canonis revisionem, saltem insertionem alicuius textus proponamus quo Ordinariis concedatur ut in casibus extraordinariis et pro determinata temporis duratione veram iurisdictionem laicis delegare possint.

Rationes quibus id suadetur hae nobis esse videntur:

a) utilitas statuendi basem iuridicam, qua Ecclesiae institutiones melius operari possint, vel gravioribus necessitatibus statim subvenire liceat;

b) cum de his iurisdictionis delegationibus loquimur functiones praesertim iudiciarias intelligimus, quae particulari competentia egent et ad quas cum auctoritate exercendas in tribunalibus ecclesiasticis laici appellari possent. Intelligimus etiam graviores casus quibus sacerdotes vel alii clerici desint qui in circumscriptione, communitate aut collectivitate sive civili sive religiosa, plebem fidelium regere possint;

c) ex Ecclesiae historia elucere videtur, medio praesertim aevo, sine magna difficultate in nonnullis casibus potestatem ecclesiasticam iudiciariam et administrativam meris laicis fuisse delegatam.

5. Item proponimus ut textu quodam agnoscatur dependentiam associationum apostolicarum laicalium non necessario sequi debere traditionalem Ecclesiae structuram. Enitendum erit profecto ut, quoad fieri possit laicorum activitas in paroecia, dioecesi, provincia ecclesiastica inseratur, at opportunum videtur, ut harum associationum ab hierar-

chia dependentia possit etiam tamquam « supraparoecialis » vel « supradioecesana » concipi (Pius XII, *A.A.S.* XLIII, 1951, p. 788).

6. Cum Actio Catholica a ceteris formis apostolatus laicorum specifice distinguatur, optandum videtur ut Concilium eam definiat. Pii XII doctrina praelucente nomen Actionis Catholicae videtur applicandum ad summam associationum apostolicarum laicorum, quae organizatae sint atque ab Episcopis agnitae si de ambitu nationis agatur, vel a Sancta Sede si eae in ambitu internationali operentur (Pius XII, *A.A.S.* IL, 1957, p. 930). Nam:

a) ita, omnes hae associationes, dummodo conditiones adimpleant et ab hierarchia probatae sint ,tum ad actionem catholicam pertinerent tum suam autonomiam nomenque retinerent. Hinc maior efficacia et agilitas in labore apostolico;

b) experientia docuit quam periculosum sit a dioecesi motiones apostolicas penitus excludere, quae nomen Actionis Catholicae prae se non ferant (Pius XII, *A.A.S.* XXXIX, 1947, p. 633; *A.A.S.* XL, 1948, p. 398).

7. Item proponimus ut in ambitu singulorum locorum, dioecesium et nationum statuantur « uniones foederativae actionis catholicae », quae delegatos omnium associationum de quibus supra diximus, complectantur, ad harum labores coordinandos. Ab Ordinariis locorum, hae foederationes quibus hierarchia praesidebit, accipient tum statuta tum normas, stimulos, monitiones. Ex hac organizatione haec consectaria expectari possunt:

a) haec omnium virium coordinatio efficacitatem operis apostolici mirum in modum augebit;

b) mutua communicatio rerum quas usus docuerit, felicium vel infelicium successuum, christianae fraternitatis vincula corroborabit;

c) his foederationibus facilior erit collaboratio ad communes fines adipiscendos;

d) foederationum conventus optimas praebebunt Ordinariis occasiones ut cum laicis suas pastorales sollicitudines communicent eosque ad novos apostolicos labores permoveant.

8. Velimus praeterea proponere ut in Ecclesia, ad instar SS. Congregationum Concilii et Religiosorum, dicasterium speciale « laicorum » instituatur. Cf. Votum de quibusdam dicasteriis Curiae Romanae immutandis.

9. Item proponimus ut textus quidam canonicus Ordinarios hortetur ad persuadendum sociis tertiorum ordinum saecularium, associationum piarum aliorumque sodalitiorum, ut inter pia opera ea potissimum suscipiat quibus labore apostolico urgentibus Ecclesiae necessitatibus sub-

veniatur atque ut inter apostolicos laicos de quibus supra in primo agmine se praebeant.

10. Tum ad laicos apostolos tum ad sacerdotes efformandos qui eorum curam sint suscepturi summa sollicitudine opus est (Pius XII, *A.A.S.* IL, 1957, p. 931).

De qua re duo haec nobis proponenda videntur:

a) Ordinarii omni cura adlaborent ut apostoli laici adaequatam culturam, in ordine intellectuali, technico, religioso recipiant;

b) Ordinarii praeterea curent ut quantum fieri potest, clericorum formatio etiam hunc scopum attingat ut saltem sufficiens eorum numerus technice accuratius praeparetur ut convenienter apostolicis laicorum operibus adesse valeant.

III. Votum

Ad *C.I.C.* Lib. II, partem III, De Laicis, novus qui sit XX., titulus « De apostolatu laicorum » adiungatur in quo:

— ius et officium laicorum affirmentur ad collaborandum cum opere apostolico Ecclesiae;

— huius collaborationis momentum declaretur eiusque generalia principia statuantur, « ut omnia honeste et secundum ordinem fiant » (*1 Cor.* 14, 40).

DE SACRAMENTIS

DE NONNULLIS IN ADMINISTRATIONE SACRAMENTORUM ET SACRAMENTALIUM RENOVANDIS

PRAEMISSAE GENERALES

Frigescentis apud hodiernos homines christiani sensus perspicuum est iudicium, quod permulti sacramenta recipiunt vel eorumdem administrationi haud ea qua par est reverentia intersunt. Cuius rei causae hae, prae caeteris, agnoscendae sunt:

a) rerum religiosarum ignoratio, quae paucis verbis a sacerdote forte prolatis sane dispelli nequit;

b) tenuis omnino, vel etiam nulla, intelligentia formularum sacrarum quae a ministro proferuntur;

c) praevalentia, quam nimia sollicitudo familiaris festi quod sacramenti occasione celebratur, vel cupiditas munerum quae in istis casibus fiunt a consanguineis atque ab amicis, etc.

2. Ceterum, administratio sacramentorum et sacramentalium, praeter proprium spiritualem effectum sibi proprium, extraordinaria sacerdoti opportunitas exstat adeundi aliquos, nomine tantum, christifideles, illosque instruendi in christianis veritatibus, et ad restaurandam vitam christianam alliciendi.

3. Valde ergo ad spiritualem renovationem suscipiendam ab Oecumenico Concilio, conferre potest renovata ratio in administratione sacramentorum et sacramentalium, spectatis necessitatibus populi christiani.

4. Ad modum vero principii generalis hanc renovationem regentis, tenenda sane est necessitas conciliandi opportunas mutationes cum sensu *traditionis,* quippe quae custos sit venerationis rebus sacris debitae, praesentesque cum veteribus generationibus coniungat, sed et mysticum sensum directe corda attingentem inducit.

VOTUM 18

De renovanda ratione in administratione Baptismatis

I. Praemissae

1. *Quoad locum collationis baptismatis*

Hucusque (in genere) servatum principium administrandi sollemniter baptismum in ecclesia paroeciali, quippe quod sollemnis collatio baptismatis inter iura parochi prima recensetur (can. 642, 1°), iam labefactari coepit propter frequentes casus administrationis baptismatis in nosocomiis, quo frequentius in dies se recipiunt parturientes, sed etiam in privatis domibus, non tantum hiemali tempore, sed et aliis anni temporibus, ac si collatio baptismatis domi facta, sollemnius initium det familiari festivitati.

2. *Quoad ritum et caeremonias*

Aliqui ritus, sed et ipsae orationes praescriptae in Rituali Romano, pro baptismo, tum parvulorum, tum adultorum plerisque nostrae aetatis hominibus, religionis ignaris, prorsus aliena evadunt; ita v. gr. usus salivae, repetiti exorcismi, etc.

E contra, valde opportunum esset ut decursu ritus administrationis baptismatis minister aptis formulis in mentem adstantium revocaret atque breviter explanaret supernaturales effectus baptismatis, allatis locis S. Scripturae qui ad hoc faciunt, consequentiaque iura et officia baptizatorum exponeret. Spiritualis effectus in adstantibus complendus videretur per promissiones de christiana conversatione observanda, deque propriis muniis fideliter adimplendis, quae tum a patre baptizati vel ab eo qui familiam eiusdem baptizati repraesentat, tum a patrinis pronuntiari debeant.

3. *Quoad patrinos*

Quamvis edocente Codice I. C. (can. 762-769), institutum patrinorum in baptismate non tantum sollemnitatis causa, sed ad veram spiritualem utilitatem baptizatorum inductum sit, saepe hodie regitur criterio prorsus humano, nempe vel utilitatis seu munerum quae in hac occasione fieri solent a patrinis, vel etiam cuiusdam familiaris traditionis, quae ad munus patrinorum definitos consanguineos designat, etc.; cum, e contra, hoc modo delecti patrini, vel veritates fidei

ignorant, vel vitam haud christianam ducunt, vel etiam vera indignitate ad huiusmodi suscipiendum munus laborant.

Saepe vero, vel melius, fere semper, cum facta a familia baptizandi designatio patrinorum parocho tantum momento administrandi baptismatis innotescat, moraliter impossibile evadit ut sacerdos possit parentes baptizandi a facta designatione dissuadere.

II. Vota

Hisce prae oculis habitis, optandum videretur:

1. Ad fovendum in fidelibus sensum adscriptionis definitae paroeciae ac consequentem amorem in hanc Spiritualem Matrem, videretur opportunum a Concilio Oecumenico decernendum, ubi locorum Ordinarii, pro eorum prudentia concedunt ut in nosocomiis administretur parvulis ibi natis baptismus, caeremonias de quibus in can. 760, reservari semper propriae ecclesiae paroeciali; vel si Patribus opportunius videtur hisce in casibus integrum ritum administrandi baptismatis statim servandum esse, humiliter petitur ut nova inducatur sacra caerimonia pro sollemni adscriptione baptizati propriae paroeciae.

2. Omittantur ritus quorum sensus mysticus difficulter intelligi valet ab ordinariis christifidelibus, adaequata cultura religiosa expertibus; e contra, ut dictum est in praemissis, illae didacticae formulae inducantur, quibus adstantes revocentur ad considerationem effectuum supernaturalium baptismatis, atque tum pater pueri baptizandi, tum patrini, invitentur ut clara formula propriam christiano-catholicam fidem profiteantur, seque christianarum obligationum erga baptizatum sponsores faciant.

3. *Quoad patrinos*:

a) Solida saepe fiat instructio catechetica circa naturam et finem muneris patrinorum, necnon circa conditiones requisitas ad munus patrini rite gerendum, spirituales obligationes, etc.; atque, ubi commode fieri possit, indicatur praevium examen, ut fit pro sponsis.

b) Decernatur ut parentes, vel qui eorum vices tenent, quam citius parochum certiorem faciant de proximo baptismate deque electis patrinis, ut ipse tempestive possit factam electionem approbare vel respuere.

c) Patrini adigantur ad promittendum se fideliter obtemperaturos esse susceptis obligationibus in bonum spiritualem baptizati.

VOTUM 19

De renovanda ratione in administratione Confirmationis

I. Praemissae

1. Sacramentum confirmationis quo baptizatus fit « bonus miles Christi » obligationemque sollemniter assumit fidem profitendi ac, exigentibus circumstantiis, defendendi in societate, haud immerito considerari valet *Sacramentum apostolatus laicorum,* quod sane exigit adaequatam christianae culturae atque disciplinae praeparationem.

Minus ergo huic supernaturali realitati respondet hodierna praxis, nimis diffusa, coniungendi sic et simpliciter Primam Sacram Communionem cum receptione Confirmationis, quod secumfert ut Sacramentum Confirmationis conferatur pueris cum adhuc ignorant quid proprie significet certare ut « Bonus Christi miles », etc.

2. E contra, v. gr. sollemnis receptio iuvenum in synagogam cum ad 14 annos pervenerint, ut mos est apud Hebraeos, necnon illa specialis « consecratio » iuvenum Atheismo (Iugendweihe), sacrilege ab atheis inducta in aliquas regiones Europae, psychologice magis respondent proposito fini introducendi iuvenes in activam vitam societariam.

Hisce consideratis, qua par est reverentia, proponuntur:

II. Vota

1. Ut aetas ad recipiendum Sacramentum Confirmationis sit provectior, ideoque aptior, sive ad suscipiendam specialem catecheticam instructionem hoc Sacramentum respicientem, sive ad sincere promittendam fidei professionem defensionemque in societate a confirmato perficiendam. V. gr. collatio Sacramenti Confirmationis fieri posset illa aetate cum iuvenis eligit proprium statum vitae, scilicet inter sacerdotalem vel religiosam vocationem et saecularem activitatem; vel cum iuvenis accedit ad studia superiora, cum init sponsalia, etc.

2. Receptioni Sacramenti Confirmationis specialis solidaque praeparatio praemittenda est, quae indolem induat alicuius secundi catechumenatus, atque per peritos catechistas (tum sacerdotes, tum laicos) saltem per 40 dies perfici deberet.

3. *Administratio* Sacramenti Confirmationis formam sollemnitatemque obtinere debet quae aptae sint ad excitandos animos Confirmandorum, sed et eorum quoque qui adsunt sacro ritui, ut vere valeant « recta sapere » de hoc ineffabili sacramento, quod in singulis fidelibus mysticos effectus renovare debet diei Pentecostes. Ergo, si res postulaverit, sol-

lemnis caerimonia evadat interparoecialis. Curentur praesertim formulae dialogi inter Ministrum et confirmandos praecedentis sollemnem administrationem sacramenti. Caerimonia perfici posset collatione singulis confirmatis illius compendii seu *Vademecum,* de quo sermo est in votis christianam moralitatem spectantibus. Nec superfluum videretur speciale instrumentum de recepto Sacramento atque de sollemniter factis promissionibus a Confirmatis una cum Ministro (qua Societatis Christianae Legato) subsignato.

VOTUM 20

De renovanda ratione in administratione SS. Eucharistiae

I. Praemissae

1. Inde saltem a Decreto « Tridentina Synodus » (a. 1905) quo exagitatis controversiis circa dispositiones accedendi ad S. Communionem silentium impositum est, atque a Decreto « Quam singulari » (a. 1910) de aetate admittendorum ad primam communionem, ad recentiora documenta circa ieiunium eucharisticum, scilicet ad Const. Ap. « Christus Dominus » (a. 1953), ad Motu Proprio « Sacram communionem » (a. 1957), atque ad novissimum Decretum S. C. S. O. diei 21 martii 1960, Auctoritas Ecclesiastica aperte suum votum manifestavit ut christifideles, inde ab annis discretionis (can. 859 § 1), « frequenter, etiam quotidie, pane Eucharistico reficiantur » (can. 863). Saepe vero renovatis decretis circa possibilitatem accedendi ad S. Communionem, consulere voluit « ne animarum pastores frequentibus fidelium petitionibus praepediantur quominus hodierni apostolatus necessitatibus satisfacere valeant » (Decr. 21-3-1960).

2. Istiusmodi autem materna sollicitudo Ecclesiae in animarum pastoribus caeterisque sacerdotibus haud minorem curam excitare debet ut omnibus prudentibus mediis efficiant quominus fideles saepe vel etiam quotidie accedentes ad S. Communionem, uberiores spirituales fructus adipiscantur, eorumque cogitata et acta magisque in dies christiana evadat, sed et ut abusus qui sanctiores res saepe comitari solent, pro viribus auferant.

3. Maximus abusus qui in pluribus regionibus comitatur administrationem primae Communionis pueris puellisque statim ac pervenerint ad usum rationis, consistit in fere totali cessatione catecheticae instructionis; celebratione enim religioso-familiari Primae Communionis absolvitur cura parentum ut pueri — qui nonnumquam alteram S. Communionem non recipiunt nisi occasione matrimonii — rite instruantur in christiana religione.

Ceterum, negligenda non est vis actionis sacramentalis in animos puerorum, nec praesertim permitti potest ut peccata quae quandoque in vitia confirmantur Divini Hospitis in corda puerorum visitationem praeveniant.

4. Quod autem attinet ad christifideles qui saepe vel etiam quotidie se reficere cupiunt Pane Angelorum, quamvis pro oculis habenda sit hodierna conditio exercendorum munerum tot diversis horariis subiectorum, negligendum vero non videtur officium Pastorum tutandi, pro viribus, ut receptio S. Communionis, nisi ex necessitate, non separetur a Missa, vel saltem — ut nuper concessum est Decreto S. C. S. Officii, 21 martii 1960 — a sacra functione vespertina quae aliquam notam communitariam, quamvis minimam retineat. Ideo, tantum ob aliquam vere rationabilem necessitatem permittenda est distributio S. Communionis christifidelibus extra antedictas occasiones (can. 867, § 4), ut v. gr. itinerantibus qui nec mane nec sero adesse possint antedictis sacris functionibus.

II. Vota

1. *Quoad administrationem Primae Communionis.*

Videretur opportunum distinctionem inducere inter Primam Communionem « privatam » et Primam Communionem « publicam » seu « sollemnem », ut iam viget in aliquibus regionibus, v. gr. in Belgio; ita ut prior fiat cum pueri puellaeque ad usum rationis pervenerint; altera vero tantum post expletam adaequatam instructionem catecheticam, qualis decet pueros 10-12 annorum.

N.B.: Caeterum, ne ista quidem Prima Communio Publica coniungenda videtur cum receptione Sacramenti Confirmationis (ut supra adnotatum est).

2. *Quoad ordinariam S. Communionem fidelium*:

a) Christifideles instituantur ad sensum communitarium, aptisque mediis in ipso exerceantur, ita ut conscientia effectuum supernaturalium S. Communionis in Corpus Mysticum Christi externe manifestetur in eorundem sollicitudine recipiendi S. Communionem in antedictis sacris functionibus in quibus fit distributio S. Communionis;

b) habita autem consideratione hodiernorum adiunctorum, servetur praescriptum can. 867, ita ut exceptionaliter, seu de rationabili causa licitum sit distribuere S. Communionem etiam extra horas quibus Missae sacrificium offerri potest;

c) occasione reformationum in re liturgica inducendarum a Concilio Oecumenico, videretur opportunum:

— in formula quae dicitur a Ministro ante distributionem: « Ec-

ce Agnus Dei, ecce qui tollit *peccata mundi* », etc., verbum « peccata » substituendum verbo « *peccatum* » (in sing.), prout habet Evangelium S. Ioannis, 1, 29.

3. Sublata formula: « Corpus D. N. I. Ch. custodiat animam tuam in vitam aeternam » (nonnunquam propter multitudinem fidelium nimis prolixa), redire ad veterem formulam, ita ut Minister dicat tantum « *Corpus Christi* », communicandus autem dicat: « *Amen* », atque hoc modo, immediate ante S. Communionem, actum fidei et fiduciae (ita est, ita sit) efficiat.

VOTUM 21

De concelebratione

I. Praemissae

In domibus sacerdotum studentium et in variis sacerdotum congressibus habitualiter vel occasionaliter difficultas magna adest celebrandi Sacrificium Eucharisticum digne ac devote sicut decet tantum cultus publici actum. Tempus enim in horario, ceterum fixo et necessario, valde angustum: altaria numero et decore insufficientia (cum plerumque nulla detur facultas collocandi alia); perturbatio mutua sacerdotum celebrantium; difficultas inveniendi ministros servientes magno numero pro eodem tempore aliaque huiusmodi, praeiudicium afferunt dignae celebrationi singulorum.

Concelebratione dignitas Sacrificii salva semper est, mysterium unitatis sacrificii et sacerdotii, character publicitatis actus, caritas communitatis sacerdotalis foventur et extolluntur. Ceterum in praecedentibus saeculis etiam in Ecclesia Occidentali concelebratio habebatur hodie adhuc in consecratione episcopali et in ordinatione sacerdotali habetur necnon in Missa in Coena Domini Liturgiae Lugdunensis, ut praetereamus praxim ordinariam Rituum Orientalium.

II. Votum

Communitatibus sacerdotum (habitualiter vel occasionaliter cohabitantium) facultas concelebrandi concedatur, pro singulis communitatibus petenda et iis limitibus circumscripta, quas S. Sedes vel Ordinarius opportunas vel necessarias iudicaverit.

VOTUM 22

De reformatione rubricarum Missalis

I. Praemissae

Quae de hac re a Sancta Sede iam instaurata sunt maximo animi gaudio et obsequio excipiuntur. Viva adhaesione plausuque prosequimur, quae a viris electis, in Pontificiam Commissionem congregatis, adlaborantur, ut opus quam citissime faustoque exitu ad finem perducatur.

Pauca tantum, quae in opere exequendo praeprimis attendantur, pro voto, qua per est reverentia, commendare nobis liceat:

II. Vota

1. Ut rubricae ad maiorem adhuc simplicitatem reducantur.
2. Ut Missa, data benedictione finali, terminetur.
3. Ut in epistolis et evangeliis plures legantur partes Novi Testamenti, quae per cyclum duorum vel trium annorum occasionem catechesi fructuosae praebeant.

VOTUM 23

De renovanda ratione in celebratione matrimonii

I. Praemissae

1. Rationes pro renovandis formulis in hoc Sacramento adhibitis fere eaedem sunt a illae quae supra quoad administrationem baptismatis adnotatae sunt. Neminem sane effugit quot locutiones expungendae sint a sollemni benedictione nuptiali mulieris post recitationem Pater noster proferenda.

2. Adnotandum quoque est illam adhortationem quae speciali rubrica praescribitur in exitu Missae pro Sponso et Sponsa (moneat eos sacerdos sermone gravi, etc.) haud semper intentos fines assequi, quia vel necessariae (ob propinquitatem celebrantis, etc.) gratulationes ominaque vim huius adhortationis valde minuunt; vel huic adhortationi utpote factae in exitu sacrae functionis, adversantur contrariae conditiones phychologicae, cum nempe mentes coniugatorum, iam facile distrahuntur ad subsequentem festivitatem familiarem; ideo videretur opportunum ut pars huiusmodi adhortationis transiret ad bene perpensas formulas legendas a Sacerdote celebranti, vel melius, ad dialogum praestatutum instituendum inter sacerdotem celebrantem et sponsos.

II. Votum

Apta revisio formularum quae criterio pastorali regatur.

VOTUM 24

De renovanda ratione in administratione extremae Unctionis

I. Praemissae

1. Notum est quam multi christifideles paveant sive pro se sive pro suis « adducere presbyteros » ad Extremam Unctionem administrandam, cum id perinde ac certum mortis nuntium pertimescant. Quae fidei ignorantia (et aliquando vera superstitio), quantum fieri potest, removenda est, ipsum Sacramentum aptius et rectius praesentando.

2. Etenim, neque ex Scriptura neque ex Traditione usque ad periodum Carolingicam periculum mortis ut elementum essentiale, saltem ut unicum elementum essentiale, ad Sacramentum Unctionis administrandum considerabatur, cum ad eam administrandam sufficeret ut quis vere graviterque infirmaretur. Quod in Ecclesia Orientali usque ad praesens servatum invenitur. Ab ipso Conc. Tridentino (*Denz.* 910) fit expressa mentio duplicis casus Sacramenti Unctionis administrandi, scilicet vel cum quis in exitu vitae constituatur vel etiam cum quis graviter infirmetur.

Hinc opportunum videtur hodiernam de Unctione administranda doctrinam et disciplinam, ad antiquioris exemplum esse reformandam.

3. Ex reformata doctrina et disciplina haec consectaria manatura videntur: multo plures, post Unctionem sacramentalem, ab infirmitate etiam gravi ipsa virtute Sacramenti ad salutem redibunt. Quo ulterius facile fiet ut — dum vocatis presbyteris pro iamiam morituris multi moribundi, ut planum est, revera moriuntur sicque illa falsa opinio magis ac magis confirmatur: « vocationem presbyteri afferre mortem aut accelerare », — vocatis, e contra, presbyteris pro graviter infirmis, at non moribundis, multi gratia Sacramenti revera sanentur, simulque opinio opposita ac desiderium magis ac magis inducetur presbyteros tempore utili vocandi — immo de facili et animo fidenti — « ut ungant infirmum et orent super eum ».

II. Vota

1. *Nomen* Sacramenti « *Unctio infirmorum* » *vel* « *Oleum infirmorum* » quod ceteroquin biblicum est prae alia locutione « extrema unctio » omnino fovendum vulgandumque videtur. Quod etiam in ipso officiali Catechismo attendi debet.

2. Instanti assiduaque catechetica instructione doceantur fideles de duplici huius Sacramenti effectu, spirituali scil. pro anima et mate-

riali pro corpore, id est Sacramentum ad corporis quoque sanitatem obtinendam conferri iuxta Dei beneplacitum. Advertant pastores doceantque fideles: ad restaurationem iamiam moribundi miraculum requiri, minime sufficere Sacramentum; Sacramentum vero ex propria virtute conferre ad sanitatem, semper iuxta Dei beneplacitum, tantummodo si tempestive administretur.

3. Hoc sensu immutetur can. 940 § 1, qui rigidiorem sensum tradit. Consequens ad hanc doctrinam et praxim in administrando Sacramento inducatur.

VOTUM 25

De indulgentiis

I. Praemissae

1. Iam saepe renovata disciplina de indulgentiis revera nondum ad perfectionem pervenit. Siquidem:

a) adhuc supersunt quaedam dubia circa requisita ad lucrandas aliquas indulgentias;

b) supersunt pariter quaedam formulae obscurae, ut v. gr. locutio « indulgentia plenaria quotidiana perpetua » qua plures ecclesiae ornantur;

c) nec desunt quaedam requisita quae nonnumquam admirationem excitant vel parum conferunt ad devotionem, ut v. gr. praescriptus exitus ab ecclesia ut pluries indulgentiae plenariae « toties quoties » acquiri possint, vel ut acquiri valeant variae indulgentiae plenariae, quarum singulae exigunt visitationem ecclesiae, etc.

2. Nec silentio praetereundum est nimias revera videri preces quae numerosiores in dies ingenti indulgentia donantur; ne dicamus de nonnullis crucifixis quorum osculatio dicitur esse indulgentia plenaria ditata.

3. E contra, ad inducendum in fideles sensum christianae temperantiae magnopere conferret congrua indulgentia ditare etiam quaedam opera mortificationis, ut v. gr. *sacrificium* lecturae alicuius libri spirituale periculum forte inducentis, visionis alicuius pelliculae ob easdem causas, abstinentia tabaci, ultronea abstinentia a carnibus diebus ab Ecclesia non praescriptis, etc.

II. Vota

Hinc qua par est reverentia, ominari audemus revisionem totius disciplinae de indulgentiis; in particulari, ut ob exigentias internae disciplinae, fideles de quibus in can. 929 indulgentias quae exigunt visitationem alicuius ecclesiae lucrari possint — servatis servandis — etiam in sacellis seu oratoriis in quibus obligationi audiendi Sacrum satisfacere possunt.

VOTUM 26

De providentiis quae omnino liberam reddant susceptionem ordinum atque praesertim de speciali experimento vocationis ecclesiasticae ante collationem sacri diaconatus ordinis.

I. Praemissae

Lugenda sane spiritualis conditio presbyterorum qui numerosiores hac nostra aetate, deficientes a sacerdotali vocatione, ad laicalem statum — iuridice vel de facto — transeunt, cum gravi spirituali discrimine fidelium, magnopere suadet omnia media adhibenda esse quae prorsus liberam atque mature perpensam reddant receptionem sacrorum ordinum.

II. Vota

Hunc in finem videretur opportunum:

1. Absolute prohibere quominus ante studia philosophica adspirantes ad sacerdotium, tam saecularis quam regularis cleri, specialem ecclesiasticum vel religiosum habitum deferant.

2. Omnino vetari susceptionem habitus ecclesiastici vel religiosi in loco originis aut commorationis familiae adspirantis ad sacerdotium ne isti « clerici » timeant, si opus fuerit, dimittere habitum ecclesiasticum vel religiosum, atque ad suos reverti.

3. Statuere ut « clerici » in curriculo philosophico ecclesiasticum vel religiosum habitum deferant tantummodo in seminario aut in domo religiosa, continuo vel tantummodo statutis diebus festis, prout Ordinarii aut Superiores religiosi, pro locorum atque temporum circumstantiis, melius iudicaverint in Domino.

4. Statuere ut tantum in curriculo theologico, clerici — nisi Ordinarii locorum vel Superiores religiosi, ob specialia locorum adiuncta, aliter in Domino iudicaverint — possint ecclesiasticum vel religiosum habitum deferre extra saepta seminarii vel domus religiosae.

5. Decernere ut ordinario curriculo theologico absoluto clerici saeculares vel religiosi *tantum subdiaconatus ordinem recipiant,* ac dein per biennium, ad modum vicariorum cooperatorum, degant apud aliquem parochum, vel mittantur ad exercenda opera externa religionis, ibique suum auxilium praebeant sive in rebus oeconomicis, sive in illis ministeriis quae sacerdotalem ordinem non exigunt, ut v. gr. qua adsistentes adsociationum Actionis Catholicae, in asceteriis seu oratoriis pro iuventute, etc., vel etiam si Summus Pontifex id concesserit, qua ministri SS. Euchari-

stiae, etc., ita ut bene perspectis variis respectibus vitae sacerdotalis, post *biennium* redeant ad seminarium vel ad domum religiosam, ibique per aliquos menses disciplinis pastoralibus vacent, atque ad suscipiendos sacros ordines diaconatus et presbyteratus congrua ratione se disponant, nisi iam tempore experimenti diaconatum receperint.

Adnotationes quoad hoc postremum votum:

1. Neminem fugit aliam et aliam esse experientiam sacerdotalis conversationis quam clerici sibi comparare possunt tempore vacationum perdurante curriculo philosophico et theologico, et illam quam:

a) spatio duorum annorum;

b) degentes non in familia, sed una cum parocho vel, si sunt religiosi, extra domum formationis;

c) variis ministeriis dediti quae secumferunt quoddam commercium cum omni genere fidelium, clerici systematice acquirunt.

2. Illis vero qui nihilominus a sacerdotali vocatione defecerint, nullo modo licitum erit in medium proferre — quod saepe allatum est ab iis qui sacerdotali dignitati valedixerunt — se in illa vitae conditione (in seminario vel in domo religiosa formationis) collocatos fuisse, in qua non potuerunt solide agnoscere momentum ac consequentias suscipiendae obligationis sacri caelibatus.

3. Haec commoratio extra seminarium, aut religiosam domum formationis, videtur opportune perficienda post absoluta studia theologica, quia haec cultura candidatos ad ordines tutius defendere potest contra insidias mundi quam sola cultura philosophico-litteraria; insuper, ipsa aetas clericorum iam firmiores reddit contra difficultates sensuum.

4. Hoc autem experimentum vocationis sacerdotalis nullimode mutat rationem servandam a confessariis vel a Superioribus quoad aptitudinem candidatorum ad servandam castitatem; id est, cum clericus antedicto experimento subicitur, per se iam posset licite suscipere sacros ordines diaconatus et presbyteratus.

5. E contra, videretur valde opportunum ut cum experimentum vocationis sacerdotalis feliciter superatum candidatusque admissus fuerit ad diaconatum et presbyteratum, istae ordinationes, ad novas excitandas vocationes sacerdotales conferantur etiam in paroecialibus aliisque publicis civitatum et pagorum ecclesiis.

VOTUM 27

De renovanda functione ordinum minorum

I. Praemissae

1. Undique vox personat: « Messis quidem multa, operarii autem pauci ». In terris missionum potissimum defectu ministrorum conversio fidelium et cura animarum impeditur, alibi vero fides catholica a protestantibus impugnata graviter periclitatur; neque ulla spes arridet fore ut, numero hominum in immensum crescente etiam sacerdotum copia augeri possit.

2. A multis invocatur institutio « diaconatus laicorum »; qui si proprio verborum sensu accipitur contradictio est in terminis, quia ex iure divino (cfr. etiam can. 107) clerici a laicis sunt distincti et ideo nulla umquam auctoritate, ii qui laici sunt simul proprio sensu diaconi esse possunt, cum ordine sacro muneribusque ei inhaerentibus. Si vero vox « laici » eo sensu accipiatur quod coniugati propriam familiam habentes ad diaconatum ordinem promoveantur, tunc caelibatus sacris ordinibus adnexus in discrimen vocatur ipsumque officium diaconatus; quia qui curam propriae familiae habere debet, Deo et curae animarum vacare nequit. Insuper quaestio gravissima exsurgit, quibusnam mediis familiae diaconorum, praesertim si numerosa prole sint auctae, sustententur, quandoquidem ministerium efficax una cum onere laboris civilis lucrativi vix conciliari potest.

Ceterum diaconatus et subdiaconatus coniugatorum iam a primis Ecclesiae latinae saeculis repudiati sunt et per saecula acerrime oppugnati et tandem devicti, quamvis tunc saepe eadem, immo graviore quam hodie penuria clericorum Ecclesia laboraret.

3. Si ergo praeter apostolos laicos (de quibus in alio loco) alii ministri, clerici proprie dicti desiderantur, per quos urgentibus animarum necessitatibus opportunius consuli possit, ordines minores in pristinum vigorem restituantur et ministris ita in clerum adlectis speciales facultates, ordini adnexae vel singulis delegandae tradantur.

4. His ordinibus minoribus augeri possunt viri laici, sive socii ordinum et congregationum, sive sodales societatum in communi viventium et institutorum saecularium; sed insuper viri coniugati qui optimi christiani et patresfamilias sint. Utrique, si opus sit, ad statum laicalem reduci possunt absque vinculis quibus omnes alii, semel in ordine sacro constituti, ligantur.

5. Munera haec prae aliis eis concredi possunt:

a) *ubi adest sacerdos,* eum in omnibus negotiis ita adiuvent, ut ipse *sacro* tantum ministerio reservetur. Quae negotia praesertim sunt: cura rerum temporalium et oeconomicarum, cura administrationis et organizationis externorum operum apostolatus, cura quorumdam coetuum uti iuvenum, pauperum, etc., cura quarumdam rerum apostolatus ordinarii et extraordinarii, quae specialem peritiam vel indolem requirunt;

b) *ubi sacerdos habitualiter deest,* eius vicem quoque gerere debent e. gr. catecheticam institutionem sibi adsumere, sacramentalia administrare, cultus publici actionibus praeesse (mortuos sepelire, publicis communitatis precibus praeesse, processiones ducere, etc.); quinimmo, ex speciali concessione S. Pontificis, quaedam Sacramenta administrare queant ut baptismum conferre, matrimonio adsistere, sacram communionem distribuere. Quaedam alia vero sacerdotes singulis minoristis in singulis casibus delegare possint, iuxta leges ecclesiasticas in materia condendas.

6. In magnis civitatibus, huiusmodi et alia maiora munera etiam subdiaconi et diaconi exerceant, qui, post absolutum theologiae curriculum, practicum experimentum explent, antequam diaconatus vel presbyteratus ordinem recipiant, ut in alio voto proponitur.

7. Haec in statum clericalem per ordines minores assumptio videtur commendanda, quia illi qui ita initiati sunt veluti proprii nominis clerici, hierarchiae et superioribus propriis strictiore vinculo coniunguntur quam meri laici et quia apud alios christifideles auctoritatem et obsequium, in explendo eorum munere necessarium, nanciscuntur.

8. Altera ex parte neque opportunum neque necessarium esse videtur, ut conferatur presbyteratus coniugatis viris, quamvis honestis et optimi testimonii, ut in primaeva Ecclesia fiebat. Nam sacerdotes semper tales esse debent, sc. ita eruditi atque instituti, ut omnia sacramenta eis concredita recte administrare et populo non solum vitae honestae exemplum praebere sed doctores, arbitri, spirituales duces in hodiernis adiunctis esse valent. Modernis vehiculis sacerdotes certis diebus et statutis temporibus omnia loca invisere possunt, praesertim si quae in voto de novis formis curae animarum adhibendis proposuimus, in praxim deducantur.

Insuper sacerdotes perpetuo et totaliter Deo vacare debent Ecclesiaeque et ministerio vi indelebilis characteris devinciuntur. His tamen officiis tum ob curam propriae familiae tum ob defectum institutionis et doctrinae, coniugati non raro defecturi esse videntur. Neque spernendum est illud quod si sacerdotibus coniugatis in matrimonio vivere liceret, reliquorum sacerdotum coelibatui haud leve discrimen immineret.

II. Votum

Deficienti numero sacerdotum per ministros in ordinibus *minoribus* constituendis consulatur, qui sive religiosi laici sive etiam laici coniugati esse possunt.

VOTUM 28

De moderandis differentiis quoad externum apparatum in celebratione matrimonii et in funeribus.

I. Praemissae

1. Neminem fugit quam aegre impraesentiarum a plurimis hominibus feratur quod tanta vigeat differentia in externo apparatu celebrationis nuptiarum vel in persolvendis funeribus, ita ut persaepe audiatur in apparatum huiusmodi caeremoniarum omnimodam aequalitatem esse inducendam.

2. Ceterum nemo ex viris ecclesiasticis ignorat emolumenta hisce de causis obvenientia nonnumquam constituere praecipuos (fere necessarios) reditus aliquarum paroeciarum.

3. Nec videtur cur aliqua distinctio in externo apparatu pro antedictis caeremoniis neganda sit fidelibus pro variis gradibus potestatis quam obtinent in civitate, vel qui publice bene meriti sunt de Ecclesia.

II. Vota

Hisce breviter consideratis, haec quae sequuntur, potius quam vota, criteria pro solvenda quaestione humiliter exponuntur:

1. Quantum fas est, tollantur differentiae quae magis odium parere possunt, ut sunt illae in quibus clerus directam partem habet: v. gr. nimis sacerdotum numerus, qui sacris vestimentis induti incedunt, in funeribus; nisi adsint causae extraordinariae, matrimonia semper celebrentur ad idem altare; sacerdos semper verba habeat ad sponsos, et, si possibile est, Missam non omittat, etc., ita ut quae supersunt differentiae, respiciant tantum quod non dependet a parocho, ut sunt v. gr. luminaria accensa, sellae pretiosiores, copia florum, etc.

2. Congrua ratione distinguantur matrimonia et iusta funebria eorum qui publice bene meriti sunt de Ecclesia, ut sunt v. gr. Praesidentes Actionis Catholicae, etc.

3. Occasionem arripientes harum animadversionum, habita ratione invalescentis ignorantiae religiosae, praesertim liturgicae, necnon extraordinarii adventus in templum nonnullorum fidelium qui aliis in casibus ab eo absunt, sed et heterodoxorum, etc., petere audemus ut, in fune-

ribus cantus prohibeatur cum tantum a celebranti vel e duobus aliis illum comitantibus esset sustinendus, quippe quod verba a maiore adstantium parte non intelliguntur, atque cantus hisce in conditionibus certo caret quolibet mystico afflatu, immo in nonnullos adstantium aversionem gignit adversus sacerdotes, dum a pluribus lacrimae profunduntur, canentes. Uberiores sane spirituales fructus promanere hisce in casibus viderentur a devota recitatione precum vel a lectura S. Scripturae.

Istiusmodi autem effectus augerentur si huiusmodi preces lectionesque S. Scripturae cum adaequatis adnotationibus typis impressae distribuerentur in introitu ad Ecclesiam.

VOTUM 29

De lingua in liturgicis actionibus adhibenda

I. Praemissae

Sacra Liturgia « integrum constituit publicum cultum mystici Iesu Christi Corporis, Capitis nempe membrorumque eius » (cf. Litt. Encycl. *Mediator Dei*). Universus autem, quem Ecclesia Deo adhibet, cultus non solum externus sed et internus esse debet; quapropter sacra liturgia « postulat ut intime duo eiusmodi elementa inter se coniungantur ... Quodsi secus aliterque agitur, tum religio procul dubio inanis ritus ac vacua formae ratio evadit » (*ibid.*). « Christiana enim religio postulat, si debito colatur modo, ut voluntas potissimum Deo consecretur, in ceterasque sua vi influat animi facultates. Atque omnis voluntatis actus intellegentiae praeponit exercitium; et antequam desiderium ac propositum edatur se aeterno Numini per sacrificium consecrandi, cognitio necessaria omnino est earum rerum ac rationum, quae religionem praecipiunt... » (*ibid.*). « Pro rerum adiunctis christianorumque necessitatibus cultus instruitur, evolvitur, novisque ritibus, caeremoniis ac formulis ditatur » (*ibid.*).

His principiis ad usum linguae applicatis dicendum videtur quod norma concussa esse debet conservatio linguae latinae utpote signi unitatis et traditionis catholicae. Ubi tamen propter rationes pastorales usus linguae vernaculae commendandus videtur, illi principio, ad salutem animarum fovendam, sobrie derogetur.

II. Vota

1. *In Sacrificio Eucharistico:*

Cum agatur de Missis, in quibus communitas christifidelium, linguam latinam ignorantium, vivam partem habet, permittatur usus linguae vul-

garis in partibus didascalicis atque in iis omnibus, in quibus celebrans dialogum cum populo adstante instituit vel quae a ministro una cum fidelibus proferuntur; vel, ut confusio linguarum vitetur, usque ad canonem et iterum a « Pater noster ».

2. *In Sacramentorum administratione:*

Forma sacramentalis, praesertim ratione validitatis tutandae, semper latine proferatur. In aliis autem precibus lingua vernacula uti liceat i. e. in administratione baptismi, confirmationis, s. communionis, extremae unctionis, matrimonii.

3. Idem proponendum videtur quoad *Sacramentalia* et *benedictiones* varias, praesertim quoad funerarias preces.

DE TEMPORIBUS SACRIS ET DE CULTU DIVINO

VOTUM 30

DE NOVA FORMULATIONE « PRAECEPTORUM ECCLESIAE »

— de abstinentia a labore diebus festis;
— de ieiunio et abstinentia;
— de tempore utili ad satisfaciendum praecepto de Sacro audiendo diebus festis.

I. PRAEMISSAE

Sacerdotem attente considerantem — praesertim in exercitio sacramenti poenitentiae — christifidelium moralitatem, minime fugit in multis deesse vel valde imminutum esse sensum Christi (*1 Cor.* 2, 16), ita ut haud desint fideles qui nonnulla quoque praecepta Legis naturalis amplius non percipiant (saltem ut obligantia sub gravi), plures autem sint qui minime intelligunt fundamentum « praeceptorum Ecclesiae » quoad abstinentiam ac ieiunium, quoad obligationem abstinendi ab operibus servilibus diebus festis, quoad obligationem sanctificandi dies festos (praeter adsistentiam Missae), etc.

Ceteroquin in compertis est:

1. Hodierna difficultas habitualis nonnullorum coetuum observandi legem ieinunii et abstinentiae.

2. Quam mutatae sint conditiones activitatis humanae, ita ut quasi offensa iustitiae distributivae appareat praeceptum abstinendi diebus festis ab operibus servilibus, instituta relatione cum labore mentali nullis limitibus circumscripto, unde venit ut qui absque causa excusante sese exerceat laboribus servilibus spatio a theologis moralistis communiter admisso ad inducendam culpam gravem, revera peccet graviter, dum ille qui per integrum diem festum vacat intellectuali labori, per se, nullimode peccet.

3. Hodierna ratio seu « rhythmus » activitatis humanae in magnis civitatibus, ut, pro aliquibus coetibus civium, non modo conveniens sed veluti moraliter necessaria aliquando evadat recreatio (vero sensu etymologico intellecta) quam ipsis comparare possunt ascensiones ad montes, itinera culturae gratia instituta, etc.

Hisce ergo vitae hodiernae spectatis conditionibus, sacerdos quippe qui vi suae electionis ac muneris « condolere (debet) iis qui ignorant et

errant » (*Hebr.* 5, 2), nec ignarus esse potest difficultatum in quibus aliquando versantur fideles, naturalem impulsum cohibere nequit auspicandi ut competens auctoritas ecclesiastica — quin sane ullo modo remittat sacrum officium praedicandi Christum crucifixum (*1 Cor.* 1, 23), atque omnibus nostrae aetati congruioribus modis efficiat ut denuo « formetur Christus » (*Gal.* 4, 19) in fidelibus — sua « praecepta » ita proponat ut, quantum fas est, vitentur peccata atque horum « praeceptorum » observantia pleniore ratione *moralis* atque *christiana* evadat, quia ipsi christifideles, audito laudabiliter consilio alicuius confessarii, *prudenter* decernunt quid, praeter iussum ab Ecclesia, facere debent ad plenius obtinendum finem qui iussa Ecclesiae determinat, ut iam fit pro praecibus matutinis atque vespertinis, quarum moderamen fidelibus relinquitur.

II. Propositiones

A) Proinde, quod attinet ad « praeceptum » abstinendi *diebus festis ab operibus servilibus* (can. 1248), videretur opportunum:

1. Ut iuxta hodierna adiuncta novus conceptus definiatur locutionis « opera servilia », atque ipso prohibeantur quidem, at non sub gravi, nisi — ut patet — quis eisdem vacet in contemptum Ecclesiae.

2. Ut fidelibus enixe suadeatur ut, praehabito laudabiliter consilio alicuius probati confessarii, prudenter decernant quomodo se abstinere debeant etiam a labore intellectuali ut, praeter adsistentiam Missae *personalem sanctificationem dierum festorum operentur atque augendae culturae christianae curam sincere dent.*

Haec autem innovatio posset hoc modo introduci in can. 1248: « Festis de praecepto diebus Missa audienda est; et abstinendum ab operibus servilibus, quae *grave peccatum sunt si fiant in contemptum Ecclesiae; a labore quoque intellectuali abstinendum est in quantum obstet sanctificationi dierum festorum aut necessariae christianae culturae comparandae;* item abstinendum est ab actibus forensibus et, nisi aliud ferat... ».

N.B.: Occasione Concilii Oecumenici haud incongrue considerari posset utrum universae Ecclesiae extendenda sit reductio dierum festorum quae concessa fuit in Concordato cum Gallia a. 1801, atque adhuc viget pro illa Natione.

B) *Quoad praeceptum de abstinentia et ieiunio* (can. 1252).

Cum agatur de sacra obligatione quae christianos tenet non modo singillatim, sed socialiter quoque, nec ullo modo cogitari possit Eccle-

siam, quippe quae adimpleat « ea quae desunt passionum Christi » (*Col.* 1, 24), nullis diebus exigere a populo Dei exercitium christianae mortificationis, habita tamen consideratione hodiernarum circumstantiarum, congruum videretur:

1. Legem sive ieiunii sive abstinentiae in universa Ecclesia, *pro omnibus christifidelibus* vigere tantummodo:

a) die cinerum;

b) feria VI in Parasceve;

c) in pervigilio Immaculatae Conceptionis;

d) in pervigilio Nativitatis D. N. I. C. (vel die 23 dec.).

2. Pro *religiosis* vero atque *clericis,* praeter antedictos dies, legem ieiunii et abstinentiae vigere omnibus feriis VI Quadragesimae atque Adventus.

N.B.: Valde opportunum autem videretur suadere fidelibus ut aliis quoque feriis sextis abstinentiam a carnibus ultro observent, congruis indulgentiis iisdem concessis pro hac ultronea observantia abstinentiae vel ieiunii.

C) *Quoad tempus utile ad satisfaciendum praecepto de Sacro audiendo diebus festis.*

Praeter rationes revocatas in *praemissis,* videtur opportunum considerare :

1. Quam multi fideles diebus festis, praesertim hiemali vel aestivo tempore, ratione instituendi itineris curro ferreo aliove medio publico, horario subiecto, omittant adsistere Sacro.

2. Quam multi si Missae celebrationi quidem intersunt, hoc faciant habitu domui Dei haud congruo, praesertim si ad S. Communionem accedunt, atque quam pauci hisce diebus aliquam religiosam instructionem audiant.

3. Liturgicis normis conforme esse diem festum quoad omnes effectus incipere a primis vesperis (cf. can. 923).

4. Iam Motu Proprio *Cum bellica* (*A.A.S.* XXXII [1940] p. 530) concessum fuisse ut « omnes, qui Eucharistico Sacrificio, in pervigilio Nativitatis Domini celebrato, pie (interfuissent) praecepto die Natali audiendi sacra (satisfacerent) ».

Proinde opportunum videretur decernere ut Ordinarii locorum, habitualiter, vel tempore quo instituuntur itinera recreationis causa, concedere possint ut in pervigilio dominicarum aliorumque dierum festorum, una vel plures Missae celebrentur, cum adaequata instructione religiosa, atque ut fideles qui hisce Missis adsistunt praecepto audiendi sacrum diebus festis satisfacere valeant.

VOTUM 31

DE REFORMATIONE RUBRICARUM BREVIARII

I. PRAEMISSAE

Quae de hac re a Sancta Sede iam instaurata sunt maximo animi obsequio excipiuntur. Viva adhaesione plaususque prosequimur, quae a viris electis, in Pontificiam Commissionem congregatis, adlaborantur, ut opus quam citissime faustoque exitu ad finem perducatur. Pauca tantum, quae in opere exequendo praeprimis attendantur, pro voto, qua par est reverentia, commendare nobis liceat:

II. VOTA

1. Ut maior simplicitas in recitatione privata procuretur.
2. Ut lectiones historicae emendentur.
3. Ut lectiones S. Scripturae maiore varietate inducantur maioreque pro parte ex N. T. haustae.
4. Ut commentaria homiletica in omnibus apta menti necessitatique modernae consona seligantur.
5. Ut hymni ita modificentur ut breviores ac clariores efficiantur.
6. Ut sacerdotes qui curam habent animarum ab obligatione recitationis Divini Officii diebus festis dispensentur (saltem partialiter, et praesertim pro iis partibus, quibus alia pietatis exercitia publica respondent).
7. Ut in recitatione privata Breviarii ratio potius habeatur temporis spatii orationi dedicandi quam quantitatis orationis.

VOTUM 32

DE SACRIS PROCESSIONIBUS

I. PRAEMISSAE

Nomine sacrarum processionum significantur « sollemnes supplicationes, quae a populo fideli, duce clero, fiunt eundo ordinatim de loco sacro ad locum sacrum ad excitandam fidelium pietatem... ad divinum auxilium implorandum » (can. 1290 § 1), hodie tamen non semel processiones particulares, praesertim traditione longaeva servatae, neque « supplicationes » sunt, neque a populo « fideli », neque « eundo ordinatim » fiunt, neque « fidelium pietatem » excitant, neque « ad divinum auxilium implorandum » aptae sunt, sed saepe scandala pariunt, quippe cum nihil aliud quam usus inveteratos repraesentent, quos aliquando ipsi catholici,

magis adhuc acatholici et infideles, apparationes mere profanas, quas « folklore » vocant, habent. Quandoque ipsae occasiones praebent peccandi.

II. Votum

Ad genuinum sensum « sacrae processionis » omnes huiusmodi traditae apparationes reducantur, ita ut omne indecorum, profanum, superstitiosum, scandalosum omnino vitetur.

VOTUM 33

De operationibus photographicis vel cinematographicis in locis sacris et in cultus sacri actibus moderandis.

I. Praemissae

Actus eventusque maioris momenti, quae in peregrinatione terrena occurrunt, homines nostrae aetatis imaginibus fixis vel mobilibus perpetuae memoriae tradere cupiunt. Quia inter huiusmodi eventus actus religiosi quoque locum eminentem tenent, uti prima communio, confirmatio, matrimonium, sacrae ordinationes, Missae quaedam sollemniores aliaque id genus, fieri non potest, quin operatores his imaginibus figendis praeoccupati magnam partem in his functionibus sacris sibi assumant. Quod numquam non sine magna irreverentia erga loca sacra sacrosque actus fit, uti cotidiana experientia docemur, quodque saepissime scandalum inter christifideles adstantes parit.

II. Votum

Legislatione universali usus operationum imaginibus figendis in locis et actibus cultus sacri ita moderetur, ut omne indecorum, profanum, sensui reverentiae, sacris debitae, alienum, certis et firmis normis arceatur.

DE MAGISTERIO ECCLESIASTICO

VOTUM 34

De elemento supernaturali in clericis instituendis summa sollecitudine curando.

I. Praemissae

1. Verbis illis sapientissimis quibus Pius V. P. M. monuit quantum ad sanandos christianorum mores idonei confessarii contribuant (« Habeantur idonei confessarii: ecce omnium christianorum omnimoda reformatio ») praeclare ostenditur uberrimos pastorales fructus tantummodo ex supernaturali clericorum formatione esse expectandos. Quod perspicue ex illa laude elucet, qua Mater Ecclesia alacerrimum illum in salvandis animis Apostolum, S. Ioannem M. Vianney concelebrat: « pastorali studio et iugi orationis et paenitentiae ardorem mirabilem ».

2. Etenim, nullum pastorale studium potest genuinum esse, nisi ex orationis et poenitentiae ardore dimanaverit.

Quomodo vero vita illa « abscondita cum Christo in Deo » (*Col.* 3, 3), quae oratione potissimum alitur, sit ordinanda, luculenter docent pontificiae adhortationes *Haerenti animo* S. Pii X (1908) et Pii XII *Menti nostrae* (1949). Necessitatem autem christianae mortificationis in clericis nuper S. P. Ioannes XXIII Litteris Encyclicis *Sacerdotii nostri primordia* commendavit, exemplum S. Ioannis Vianney extollendo (*A.A.S.* LI, p. 551 ss).

3. Cur autem his sanctissimis Pontificum votis, non, qua par est alacritate obtemperetur, his de causis explicari posse videtur:

a) sunt clerici et sacerdotes qui se per caelibatum iam omnibus christianae mortificationis officiis satis superque satisfecisse arbitrentur;

b) qui, analoga ratione, per officium divinum, mariale rosarium, quotitianam meditationem censeant se praecepto orandi abundantius obtemperavisse.

Quae omnia sane falsa, immo iniusta, sunt iudicanda; nam, quod ad obligationem sacri caelibatus pertinet, permulta iam VI et IX Decalogi praecepto, omnibus christianis, imo omnibus hominibus, imperantur; ita ut, si cum ardua servandae coniugalis castitatis obligatione comparetur, sacer caelibatus non modo observatu facilior sit, sed ad tutandum legis naturalis praeceptum validissime iuvet.

Iidem vero cum, mercenario quodam animo officium divinum persolvere soleant, taedioso se onere premi sentiunt, atque fecundissimam orationis efficacitatem negligunt.

Hinc fit, ut in apostolatu exercendo suis praesertim viribus et industriae potius quam oratione et mortificatione innitantur.

4. Proinde cum nostris votis saepe accidat ut media technica apostolatus commendentur, aperte nobis optandum videbitur ne in clericis efformandis humanae vires nimis extollantur.

Ideoque, cum iam pergrave periculum adsit, ne iuvenes fascinatione rerum novarum corripiantur, iis neglectis quae summi momenti sunt, liceat nobis summo prorsus animi studio, haec vota humiliter proponere.

II. Vota

1. Integra formatio supernaturalis clericorum, iuxta normas Summorum Pontificum perficienda, solidetur:

a) supra praevium conceptum et exercitium « vocationis humanae », qua homines liberum arbitrium in moralem libertatem convertentes, omnibus actibus deliberatis « bonum » perficere tenentur, etiam cum personali sacrificio;

b) supra omnino clarum conceptum et exercitium « vocationis christianae », qua baptizati, cum Christo viventes, omnibus mediis per divinam gratiam praestitis, « supernaturale bonum » non modo publice, in Ecclesia, sed etiam in Corpore Christi Mystico, indesinenter operari tenentur.

2. Suprema Concilii Oecumenici auctoritate, tum sacerdotes tum clerici in sacerdotum auxilium succrescentes, gravissime moneantur, vel tunc cum omnia aeque perfectissima media technica in usum apostolatus adhibeantur, nihil tamen sine Christo profici posse dicente: « Sine me nihil potestis facere » (*Io.* 15, 5). Ideoque orationi et mortificationi indesinenter insistendum ut divina gratia, quae una dat bonorum operum incrementum, ex Christo vinea in ministros traduces influat.

VOTUM 35

De renovatione rationis studiorum ecclesiasticorum

I. Praemissae

Inter praecipua media quibus Concilium Oecumenicum copiosiores uberioresque fructus obtinere potest a spiritualibus viribus quae sunt in Ecclesia, valde certo eminet renovatio *rationis studiorum ecclesiasti-*

corum, tum in Athenaeis, tum in Seminariis atque in Domibus Studiorum Religionum. Quin systematice aggrediamur hanc extensam implexamque quaestionem, quae sane obiectum esse potest tantum peculiaris voti, quae nobis magis ad propositam renovationem studiorum curriculi seminaristici philosophici et theologici faciunt, breviter exponimus, adiectis nonnullis animadversionibus circa studia academica.

1. *Quoad praelectiones philosophiae* duo subsequentia vota illico proponimus:

a) explicentur praecipue principia sanae philosophiae christianae et deinde solummodo, apologetica ratione, quae in modernis philosophis scitu sunt necessaria, ut studentes ad ministeria rite obeunda disponantur, « cum huius aetatis errores, qui homines ab Ecclesiae doctrina avertunt, plerumque a philosophica ratione repetantur (Statuta Generalia, art. 44, § 2, 1). Quoad alia cf. *Sedes Sapientiae;*

b) restauretur in Seminariis Domibusque studiorum Religionum cultus linguae latinae ne insigne illud ecclesiasticae unitatis vinculum pereat.

2. *Quoad rationem studiorum theologicorum in Seminariis atque in Domibus studiorum Religionum:*

a) in compertis est curricula studiorum a Statibus constituta magis magisque ad specificam adulescentium formationem (« specializzazione ») dirigi, ut qui publico diplomate periti fuerunt declarati, ii quam optime suis muneribus fungi valeant.

Quod si haec studia cum ecclesiasticis comparentur, magna statim apparet differentia. Neminem sane fugit nimiam omnino esse uniformitatem qua clerici parantur ad obeunda munera sacerdotalia, quae tam multa et diversa sunt, quam inter se diversi sunt homines eorumque ingenia et mores.

Aliud sane exigitur a sacerdote qui inter infideles omnino rudes, aliud ab eo qui in natione ethnica egregiae culturae; aliud item a sacerdote qui inter opifices vel ruricolas, aliud ab eo qui inter adulescentulos ministerium exerceat, etc.

b) neminem eorum qui absolverunt studia theologica latet haud perspicua esse in istis disciplinis *principia seu fundamentales veritates* quae omnia reducant ad quamdam culturalem unitatem, sed, e contra, haec quoque studia illa dispersione laborare quae vulgo « frammentarismo » appellatur;

c) haud adaequata disciplinarum delimitatio — ut maxime conspici potest in theologia morali, quae post plusquam quadraginta annos a promulgato Codice Iuris Canonici, adhuc integros fundamentales tractatus

retinet iuridicam disciplinam explanantes — perperam servat facile eliminabiles difficultates, tum quoad institutionem, tum quoad solidam nitidamque intellectualem formationem sacerdotum.

3. *Quoad studia academica, atque praesertim circa studium academicum S. Theologiae:*

a) Studia institutionalia hodie nullo modo componi possunt cum studiis specialibus, quibus gradus academici et specialis scientia ac formatio scientificae inquisitionis acquiruntur. Ratio est: quia tam amplae et profundae sunt singulae provinciae cognitionis et scientiae, ut vix in una quis versatus esse possit veluti vere competens et ad scientiam promovendum aptus; insuper quia etiam activitas apostolica hodie viros speciali cognitione et scientia praeditos exigit, qui saltem vias sternant et media aliis inferioribus ministris subministrent, qui immediatae executioni et labori addicti sunt.

II. Vota

Hisce ergo, prae aliis (quamvis forsan maioris momenti) consideratis, videretur opportunum:

1. Ut a Concilio Oecumenico quaedam typica conficiatur ratio studiorum theologicorum, in qua eluceant *fundamentalia* principia, ex Sacra Scriptura haurienda, quae integram regant theologicam culturam futuri sacerdotis, illamque, « christocentricam » reddant, ita ut — sit venia verbo — vere consanguineus fiat *veritati evangelicae.*

Haec autem veritas veluti in duobus capitibus distribuenda est; prius sane ipsum Christum, alterum Christum viventem in Ecclesia respicere debet. Unde videretur magis systematice adstruenda in curriculo theologico *scientia religionis,* cuius capita hucusque, ex parte tantum, hic atque illic in variis disciplinis theologicis, potius tanguntur quam data opera illustrantur.

2. Antedictae finium delimitationes inter sacras disciplinas inducendae sunt, ut expeditior firmiorque procedat tam institutio quam formatio futuri sacerdotis; disciplinae autem « omnes in unum dumtaxat systema idque solidum et apte temperatum conspirent », sicque quamdam formam alumnis imprimant « quae numquam elabatur, et ex qua, cum usus postulabit, lumen atque robur pro suis aliorumque necessitatibus semper hauriant » (Const. Apost. *Sedes Sapientiae,* 31 maii 1956, *A.A.S.* XLVIII, p. 363).

3. *Quoad disciplinas curriculi theologici*:

— quaedam eliminandae videntur (lingua hebraica; disciplinae pastorales omnes, quae in curriculo pastorali docentur);

— quaedam addendae (historia religionum; elementa historiae dogmatum, etc.);

— quaedam mutandae (theologia moralis et ius canonicum quoad fines: omnia argumenta iuridica a canonistis tractanda sunt; inter theologiam dogmaticam et S. Scripturam; inter historiam eccl. et theol. dogmaticam atque patrologiam fines accurate delimitandi).

4. *Quoad adhibendam methodum adnotatur*:

Quae merae sunt quaestiones historicae nullamque relationem ad praesentes conditiones habentes innuantur tantum; aliae autem, quae hodierna problemata pro obiecto habent ea qua oportet amplitudine tractentur.

In docendo recentis artis didacticae regulae applicentur et praesertim alumni alacrem operam dent seminariis et exercitationibus huiusmodi studio institutionali accomodatis. Non tam memoriae quam intellectus et rationis activitas excitetur et foveatur.

5. *Circa studia academica in genere*:

a) omnes alumni studia institutionalia theologiae perficiant, quibus universa formatio scientifica sacerdotalis traditur, quae talis sit, ut ad curam animarum ordinariam unumquemque aptum reddat;

b) his peractis demum studia specialia inchoentur, quibus specialis scientia et formatio scientifica acquiritur in specialibus scientiarum sacrarum regionibus: in theologia dogmatica, in theol. morali, in theol. orientali, in S. Scriptura, in iure canonico, in historia ecclesiastica, in archaeologia christiana, in missionologia, in philosophia, in paedagogia, in sociologia, etc.

Quod curriculum duobus saltem annis constet usque ad licentiam et tertio insuper anno usque ad lauream. Studio vere academico non amplius omnia ab omnibus profundius et altius investigari debent sed per selecta capita selectosve tractatus sive in docendo sive in inquirendo veram et completam formationem scientificam et capacitatem inquisitionis ideoque specialem competentiam in propria provincia acquirant.

Quamobrem, iuxta praelectiones, exercitationes cuiusque gradus, sub ductu reali et assiduo professorum vere peritorum, multo magis quam hodie fit, excolantur, quia his exercitiis praesertim illa aptitudo et capacitas et consuetudo inquisitionis scientificae et laboris proprii acquiritur, quibus imbuti esse debent, qui gradibus academicis, haud mere honorificis, ornari volunt, ut postea in vinea Domini operarii apostolatus specialis et veri magistri fidelium et fratrum esse possint.

6. *Circa studium academicum S. Theologiae in specie*:

Cultura academica in facultatibus theologicis videtur non esse reducenda ad praelectiones de argumentis monographicis scientificasque exercitationes alumnorum ad haec ipsa argumenta pertractanda, sed utique

extendi deberet etiam ad « revisionem » praecipuorum tractatuum theologiae tum dogmaticae tum moralis speculativae, in quorum vero explanatione procedendum esset non ut in curriculo institutionali, ubi de una re unus magister integram tractationem tradit, sed, e contra, ad explanationem unius eiusdemque argumenti, adscitis, pro sua quisque parte, magistro theologiae biblicae V. T., magistro theologiae neotestamentariae, magistro patristicae orientalis, magistro patristicae occidentalis, magistro theologiae scholasticae, ac tandem magistro theologiae speculativae.

VOTUM 36

De educatione et scholis catholicis in mundo

I. Praemissae

1. *Quantum intersit ut Ecclesiae summa sollicitudine de scholis curam habeat.*

Maiores in dies puerorum et adolescentium multitudines ad scholas accedunt, quippe cum ad id, publicis legibus in toto fere orbe usque ad IX, XII, XV, XVI, XVIII, aetatis annum cogantur, neque longe abest tempus cum omnes omnino, qui ad id lege tenentur, scholas impleant.

In cultioribus nationibus quarta vel quinta pars totius populationis, inde a tertio usque ad vigesimum quartum aetatis annum scholis cuiuslibet ordinis et gradus adscripta est.

Elucet hinc quantopere christianae religionis intersit ut, saltem pro catholicis, serventur et quam citissime numero augeantur scholae quae ex professo catholicae sint: quod potissimum pro missionum locis valet.

2. *Quibus Ecclesiae coeptis opus sit ad educationem et scholas catholicas promovendas.*

Nihil hic agitur, cum sole clarior sit, de necessitate scholarum in normali Ecclesiae opere pastorali.

Id unum efferre volumus, necessarium omnino esse ut vera scientia et ars, tum educandi tum docendi, in Ecclesia colatur.

Hinc opus est:

— ut apud catholicas universitates paedagogicis studiis impensior opera detur;

— ut in Seminariis paedagogia scientifice tradatur;

— ut in catholicis nationibus catholicae associationes professorum sive universitatum sive scholarum mediarum atque magistrorum elementarium promoveantur. Illae enim associationes valida instrumenta sunt ut profectus paedagogicus et didacticus in docendo obtineatur, ut perspi-

cue demonstrant eae quae iam in nationibus tum catholicis tum acatholicis florent;

— praeterea curandum est ut apud sedes internationales quae de re paedagogica et scholastica agunt (praesertim UNESCO, le Bureau International de l'Education, le Conseil de l'Europe à Strasbourg etc.) etiam Catholicae Associationes efficaci repraesentatione adsint.

Ad hunc finem iuvabunt Internationales Catholicae Associationes de educatione et scholis, quae hae sunt:

— Mouvement International des Intellectuels Catholiques (Pax Romana);

— Mouvement International des Etudiants Catholiques (Pax Romana);

— Union Mondiale Enseignants Catholiques;

— Bureau International de l'Enfance;

— aliae Associationes quae n. 4 enumerantur.

Generatim, illae Catholicae Associationes quae apud UNESCO statuto consultivo gaudent, operantur in gremio Societatis cui nomen *Conference of Consultative Non-gouvernmental Organizations,* quae ad UNESCO adnexa est, et colligatae sunt intra « La Conférence des Organisations Internationales Catholiques » (sedes: Friburgi Helvetiorum).

Praeterea, Catholicae Associationes quas memoravimus possunt etiam agere apud OMEP (Organisation mondiale éducation préscolaire).

Ad quasdam quaestiones agitandas, quae maioris sint momenti et opinionem publicam, praesertim catholicorum, vehementius commoveant, iuverit etiam ut interveniant Internationales catholicae, quae variis partibus Actionis Catholicae respondent: scil. Virorum, Mulierum, Iuvenum utriusque sexus; quae per sua organa apud sedes nationales civiles agere possunt.

3. Summopere Ecclesiae interest ut in educationem scholarum publicarum influxum exerceat, quandoquidem etiam in nationibus catholicis 70-90% alumnorum illas scholas frequentant, et percentualis proportio alumnorum qui in toto mundo publicis scholis adscripti sunt in dies augetur.

Unde oportet:

— ut in omnibus nationibus Commissiones Episcopales summam curam habeant de statu alumnorum catholicorum publicas scholas frequentantium, sive eae ad Rempublicam pertinent sive ad Instituta publica cuiusvis generis;

— ut modus statuatur doctrinae religiosae his alumnis efficaciter tradendi vel intra scholas, ubi licet, vel extra;

— ut summo studio curetur praeparatio paedagogica et didactica

magistrorum qui doctrinam catholicam in publicis scholis tradere debent; ad id vero exigatur regulare studiorum curriculum praeparatorium et congruum practicum tirocinium, in quo futuri magistri a peritis viris scientifice dirigantur;

— ut adiuventur et sustineantur illi catholici qui titulis praediti sunt ad munia obeunda in Organis politicis gubernativis, administrativis quae scholas publicas regunt.

Quarum rerum nonnulla etiam ibi fieri possunt ubi scholae prorsus laice regantur, dummodo in re publica regenda principia democratica vigeant.

4. *Quid ad scholas privatas quod attinet, sit agendum*:

a) Id primum considerandum est, in toto mundo celerrime eo tendi, ut scholis gerendis publicum aerarium provideat. Hinc schola libera — vel potius illae familiae quae illuc filios mittunt — hac alternativa in dies gravius stringitur:

— aut publicum aerarium etiam scholis liberis providet, ita ut familiis *pares expensae* ferendae sint, sive filios ad publicas, sive ad privatas scholas mittunt;

— aut schola privata, gradatim quidem, sed rapide, ad exstinctionem vergit (ut accidit in Belgio vel in Gallia, ubi tamen haud parum obtentum est ad expensas adaequandas; in Italia, etc.).

Ergo potius quam ad libertatem puro sensu iuridico vindicandam, eo connitendum esse videtur ut *paritas expensarum* obtineatur. Ad hunc finem, tum in singulis nationibus, tum in opportunis sedibus internationalibus enixe est agendum, omnibus mediis quibus Ecclesia uti potest, utpote cum de quaestione prorsus capitali agatur.

b) Praeterea *schola libera* eniti debet ut eam consequatur excellentiam (qualificazione qualitativa) in educando et docendo, ut etiam hac de re iustam apud peritos aestimationem nanciscatur.

c) *Scholae liberae* magnopere refert, ut quamplurimum illae Associationes promoveantur quae eius bonae aestimationi apud publicum et apud politicos et gubernantes favere possint, ut e. gr.:

— associationes docentium
parentum
alumnorum
ex alumnorum
eorum qui ad populum in summis reipublicae consiliis repraesentandum delegantur (deputati);
eorum qui auctoritate academica praediti sunt qui scholae liberae faveant (quoad « deputatos », cf. associationem quae in Gallia constituta est).

d) In ordine vero internationali quam maximum incrementum dandum his associationibus:

— l'Office International de l'Enseignement Catholique (AIA);

— l'Union Internationale Liberté de l'Enseignement (Paris).

Quae omnia addenda sunt ad id quod per societates n. 2 enumeratas ad adiuvandam *scholam liberam* fieri potest.

e) Imprimis curare debet *schola libera* ut optimos ipsa sibi magistros efformet, sive apud Universitates Catholicas, quae curriculum paedagogiae et didacticae constituere possunt pro omnibus magistris, quamcumque disciplinam in posterum docturi sunt; vel apud illas Superiores Scholas secundarias, quae magistros ad scholas maternas et primarias parant.

Hac ratione *schola privata* non solum sibi magistros certe idoneos, sed etiam publicis scholis docentes catholice formatos providebit.

5. *A Commissionibus Episcopalibus quid agendum esse videatur*:

— in ambitu nationali, omnes catholicae vires arctius unificandae;

— consilio et ope utendum virorum qui paedagogiam calleant, quique in actione politica et republica administratione versentur;

— accurate ordinem rerum agendarum stabiliendum ut Ecclesiae et catholicorum actio singulos fines gradatim consequi valeat (ut e. gr. in Belgio et Gallia factum est).

6. *Quid erga Gubernia agendum sit*:

Quidquid in numeris 1-5 dictum est, id indicat quod apud Gubernia geri conveniat tum per Concordata vel diplomaticas S. Sedis actiones, tum per competentes auctoritates Ecclesiasticas nationales.

II. Votum

Ex iis quae diximus necessitas elucet ut Concilium Oecumenicum:

— praesto habeat pro toto orbe documentationem de statu Ecclesiae, ad rem scholarem quod attinet;

— de hac materia, ut supra saepe diximus, generales normas directivas edere valeat.

VOTUM 37

De re paedagogica in actione Ecclesiae et in efformandis tum Ecclesiasticis tum Laicis.

I Praemissae

1. Tria consideranda praeponuntur:

a) ad salutem quam Christus Dominus sua Redemptione attulit nemo nisi ad id educetur pervenire potest; nemo enim plene christianus

fit nisi ope processus cuiusdam evolutionis, correctionis, directionis, qui actibus responsabilibus fiat;

b) hinc apparet quanti sit opera Ecclesiae educativa quae in convertendis ad fidem gentibus, in fidelium cura pastorali exercetur, ut patet ex Ecclesiae historia, ex plurimis documentis, inter quos eminet *Divini illius magistri;*

c) si vero educationis natura consideretur, quae intime nectitur cum dispositionibus psychologicis subiectorum, necnon cum conditione vitae et animorum in maximis minoribus et minimis societatibus omnium temporum et locorum, nonnulla *problemata* exsurgunt ex quibus *vota proponenda* enascuntur.

2. Problemata:

a) opus paedagogicum partim est perenne atque immutabile, partim mutabile. Perennia atque immutabilia sunt principia quae ad ipsam hominis naturam pertinent, ad eius finem, eiusque conditiones in ordine peccati et gratiae; perennitate quadam gaudent etiam illae agendi normae quas saeculorum usus comprobavit.

Variabiles sunt methodi et formae particulares, quae se temporibus et hominibus iugiter accomodare debent, quaeque progressu scientiae et experientiae permutantur.

At munus Ecclesiae paedagogicum graviter periclitaretur ne ad nihilum reducatur, si quaedam methodi teneantur longius quam, principia et normae generales, longo traditionis christianae usu probatae requirunt. Vel optima christiana educationis principia, si ore tantum conclamentur neque actu ad cuiusque temporis animique necessitates aptentur, timendum est ne gravem iacturam patiantur (cf. Pius XII, *Disc.,* 13-9-1951; 5-5-1952; 6-5-1951);

b) Magnum incrementum scientiarum ad psychologiam et sociologiam pertinentium, commodissima hominibus media paravit, quibus tum singulos tum multitudines, eo quo vellent, deducerent atque dirigerent. Nequit ergo Ecclesia ea quae scientiae psychologicae circa leges docent secundum quas evolvuntur animus humani aspernari.

Haud dissimiliter « sociologia » detexit formas atque conditiones perennes tum naturae tum vitae socialis hominum; quarum rerum omnium, ii qui rei culturali, politicae, oeconomicae incumbunt, plurimi faciunt.

Transformatio societatis, quae hominum labore innititur, in semper maiorem technicam organizationem; hominum transmigrationes et adglomerationes; crescens ubique mentium cultura; facilis transitus ex alio in alium societatis ordinem; novae relationes inter varios societatis ordines; populorum regimen quod democratia appellatur; motus ille quo inferiores coetus et populi altiora petunt; facillimi commeatus; frequen-

tes tum intra tum extra fines transmigrationes; mulierum plenior ad officia et iura civilia accessus; nova mentium cultura qua totus populus afficitur, haec omnia aliaque huiusmodi plura, totam hominum vitam transformare videntur. Hinc nimirum fit, ut apostolorum ad hominum accessus, alloquium, educandi modus, ad temporum requisita aptari debeant. Quae necessitas christianae educationis ad tempora aptandae saepe et luculenter a Pio XII illustrata est (*Disc.* 6-10-1948; 27-7-1939; 4-9-1949; 6-10-1948);

c) praetextu « operis operati » quo Sacramenta suum fructum ferunt minime debet sollicitudo methodologica in usu liturgiae, catecheseos atque praedicationis, in spirituali moderatione, in ipsa Sacramentorum (praesertim Confirmationis, Paenitentiae, S. Eucharistiae) administratione negligi.

Constat quidem in his rebus totam efficaciam e Sacramentis, ex divino cultu et ritibus, ex plenitudine veritatis effluere: at illa efficacia numquam tota vigebit nisi, educationis ope, quae omnes singulorum necessitates perpendat, actus recipientis perfecti fiant. Iam dudum enim in rebus profanis solent leges paedagogicae sapienter adhiberi ut homines ad id quod propositum est animadvertant, adhaereant, attrahantur (cf. Pio XII, Disc., 30-12-1953; 6-10-1948; 5-1-1954; 24-10-1955; 30-12-1953).

II. Vota

A) *Generalia*

His praemissis, proponitur:

1. *In genere*:

a) ut educativum Matris Ecclesiae munus tanti existimetur, ut ad illud exercendum homines, instituta, studia adhibeantur. Quod post Litteras *Divini illius magistri* editas atque Pii XII doctrinam, maxime exigi videtur, praesertim in tutanda Traditione de fide et moribus, in munere theologicae scientiae evolvendae et tradendae, in disciplinae observatione inculcanda;

b) in hoc vero educationis munere fungendo sapienter adhibeantur ea omnia quae psychologia, sociologia, methodologia educativa docent, ita ut opera educatoris quam maxime singulis personis aptetur atque gradatim procedat (cf. Pio XII, *Disc.,* 4-11-1955).

Scientia et actio pastoralis, praeter illud munus quo instituta erigit atque normas et iussa impertitur ut vitam christianam moderetur, alterum etiam munus suscipiat quo normas et iussa sub ratione educationis perpendat, hominesque ad ea adimplenda disponat. « Haud satis est ut

catechismus doceatur, nisi modus docendi (paedagogia catechistica) iugiter perficiatur » (Litt. S. Congr. Concilii, 14-12-1935);

c) Quamobrem, ut genuino Ecclesiae spiritui obsequium fiat, atque utrumque periculum vitetur, ne aut caece ea quae sunt obsoleta parumque utilia serventur aut novis quibuslibet rebus imprudenter inhietur, duo haec proponuntur:

— ut *sedes* (centri) constituantur ubi paedagogiae scientificae investigandae opera navetur;

— ut constituantur *organa officialia* quae rem paedagogicam, ad vitam christianam et operam pastoralem quod attinet, promoveant, moderentur, et consultantibus respondendo illustrent.

2. *Pro ecclesiasticis et religiosis*:

In eorum formatione aequa pars rei paedagogicae tribuatur, ita ut:

a) methodi perficiantur quibus, ii qui ad divinum servitium vocati sint, discernantur et efformentur. In his educandis adolescentulis ad normas et usus qui ex traditione christiana effluunt, accedant etiam ea quae hodierna psychologia et sociologia docent, cum prudenti usu eorum mediorum (technicae) quae adaequata et valida sint ut, litteris *Menti Nostrae* et Constitutioni *Sedes Sapientiae* obsequendo, seminaristarum studia non tantum generico quodam modo finem pastoralem persequantur sed expressum paedagogicum characterem induant;

b) Locorum imprimis ratione habita, ad hunc finem aptentur tum libri, quibus Doctrina et Moralis traduntur tum totum studiorum curriculum. Actualiter vigens ordinatio (curriculi cursus; electio docentium; praeparatio et usus textuum) videtur potius ad colendam intelligentiam quam ad rem pastoralem inservire.

Praeterea ille error expellendus est, quo qui optime scientiam quandam noverint, ii etiam optime eam docere censeantur; quamquam praeclara rei scientia optima sit ad docendum praeparatio;

c) cursus scholastici quibus theoria psychologica, sociologica, paedagogica adaequate tradantur;

d) *practicum tirocinium,* quod natura ipsa et fine paedagogiae exigitur (cf. Lettera della S. Congregazione dei Seminari e Università degli Studi agli Ecc.mi Ordinari sull'importanza dello studio della pedagogia nei Seminari. *A.A.S.,* XXXVII [1944], pp. 173-176; cf. vol. *L'ordinamento dei Seminari da S. Pio X a Pio XII,* 1958; ad religiosos quod attinet, eorumque « integram institutionem religiosam, clericalem et apostolicam », cf. Const. *Sedes Sapientiae* eique adnexa *Statuta Generalia,* 1957).

3. *Pro laicis*:

a) parentes, magistri, ii omnes qui apostolatui operam dant, ani-

madvertant ad quam grave educativum munus vocentur, in ordine ad Caritatem, ad Confirmationis et Matrimonii Sacramenta, ad sensum « missionarium » S. Missae et totius paroecialis vitae;

b) ii qui christianae educationi operam ex professo navant (catechistae, catholicarum associationum moderatores, magistri, etc.), christianae paedagogiae studiis incumbant, de quibus, etiam, si opus fuerit, examina subeant.

B) *Specialia*

1. *Matrimonii et Ordinis Sacramenta*:

a) his Sacramentis Christiani ad munus in Ecclesia essentialiter educativum consecrantur (cf. Pio XII, Enc. *Mystici Corporis,* et *Disc.,* 15-1-1941); altero ad munus educativum sacerdotale, altero ad specificam missionem educativam familiarem. Ut christiani ad ea suscipienda parati accedant, necesse est ut accurata paedagogica praeparatio praeponatur;

b) proponitur ut qui ad Matrimonium contrahendum se parant, ita de re educativa instruantur ut apti fiant gravissimo muneri liberorum educationis suscipiendo (cf. Enc. *Casti connubii, Divini illius magistri,* et Disc. Pio XII, 26 oct. 1941).

2. *Scholae catholicae*:

a) cum scholae catholicae plerumque curriculum a Rei Publicae moderatoribus impositum recipere debeant, simul cum libris et spiritu agnostico et laicali, vanum nomen praetenderent, nisi penitus catholicae esse satagerent.

Hoc igitur sit summum earum studium: ut alumnos efficaciter et plene ad vitam praeparent, ut efformandae personalitati impense incumbant, ut adolescentibus omnibus omnia praestent.

Praeterea omnium existimationem sibi acquirere studeant ob egregiam didacticam praeparationem.

Medicos, psychologos, sociologos, sociales adiutores (assistenti) in auxilium sibi advocent; quam maximum incrementum omnibus iis institutis quae ad opus educativum inserviunt (attività parascolastiche); officia statuant quae inquirentibus consulant (consulenza); cum familiis sedulo agant, etc.

Haec omnia praesertim religiosorum scholae praestent, quibus, cum toti muneri suo incumbant, nec tempus nec media ad excellentiam in re paedagogica adipiscendam deesse possunt;

b) in re paedagogica impensius igitur instituantur oportet quicumque muneri educandi incumbunt (religiosi, religiosae, ecclesiastici,

laici) ne, ob deficientem paedadogicam praeparationem, ipsa christiana formatio detrimentum patiatur;

c) collegia catholica potissimum ad excellentiam paedagogicam et didacticam adipiscendam totis viribus studeant. Aliquae saltem domus, selectissimis magistris instructae, ad id incumbant ut praestantissimos, ad scientiam et actionem quod attinent, adolescentes parent.

Item optandum est plures in dies adolescentes, qui egregia indole praediti ad studia et apostolatum se dedunt, adiuventur ut in studiis perseverare possint, ita ut ad docendum in altioris ordinis scholis et ad publica munera capessenda idonei fiant;

d) in collegiis praesertim et seminariis viderint Moderatores qua proportione reverentia traditionum, quae uniuscuiusque Instituti propriae sunt, cum observantia tum iustitiae tum iurium alumnorum componenda sint.

Instituta enim religiosa alumnis efficaciter efformandis intendere debent potius quam traditioni, quae quidem venerationi esse debet, custodiendae (*De schola catholica,* cf. Pio XI, *Divini illius magistri;* Pio XII, *Disc.* 22-11-1948; 4-11-1949; 5-1-1954; 12-1-1954; 4-11-1955; *De collegiis reflorescentibus*: Pio XII, *Disc.* 20-4-1956; *De observantia traditionum et adaptatione ad res novas*: Pio XII, *Disc.* 13-9-1951; 5-4-1952).

3. *De Paroeciis*:

a) cum Parochi et Episcopi sit christianum gregem pascere, eo ipso educationis munus eis competit. Hinc Pastorum paedagogica praeparatio, non minus quam doctrinalis et homiletica, in concursibus apparere deberet;

b) praeter generalem paedagogicam formationem quae in Seminariis tradita est, specialis quaedam addatur ut sacerdotes ad particularia munera confessionum recipiendarum, divini verbi praedicandi, associationes paroeciales moderandi, praeparentur;

c) cum superiores praecipiunt de operibus tum paroecialibus tum dioecesanis, de Sacramentis administrandis, de ritibus perficiendis, praeter normas disciplinares, addant etiam « normas paedagogicas » quarum vi liceat singulas res singulis temporibus et locis accomodare. Ad orthodoxiam et agendi prudentiam tutandam, iuverit, praeter docilitatem erga praelatos, matura hominum formatio. Quo enim propius ad casus particulares acceditur, eo magis normae paedagogicae ad circumstantias aptandae sunt. Educatio vero est processus psychologico-moralis quo homines, concrete, ex eo quod fieri potest, ad meliora adducuntur, potius quam ad optima quaque ratione repente compellantur.

4. *Associationes*:

a) si apostolatus tamquam actio educativa concipitur, omnes nostrae institutiones alacrius solidiusque operabuntur;

b) praesertim associationes catholicae professionales (magistrorum aliorumque ...) curent ut socii ad munera sua tamquam educatores accedant. Vita spiritualis associationum, doctrinae expositio ad id potissimum tendant. Hinc necessitas studiorum de re psychologica et paedagogica;

c) praesertim magistri catholici in scholis Rei Publicae docentes ad educandi munus spiritualiter et professionaliter praeparandi sunt;

d) ex hoc educandi fervore in associationibus catholicis, iure expectari potest ut magna vocationum copia, tum religiosorum et sacerdotum, tum catechistarum et magistrorum sponte exsurgat;

e) ipse apostolatus, si educativo sensu intelligatur, multo propius ad praxim et vitam concretam accedet. Ope scientiae paedagogicae possibilitates agendi in ipso apostolatu exercendo clarius perspicientur, qui alioquin perplexitate laboraret.

VOTUM 38

De scientiis psychologicis et sociologicis in usum Ecclesiae colendis.

I. Praemissae

1. Ut Ecclesiae apostolatus efficaci modo exerceri possit, omnino necesse est ut status et conditiones tum psychologicae tum sociales subiectorum perspicue cognoscantur.

2. Ad hanc notitiam obtinendam potest nunc etiam auxilium scientiarum socialium adhiberi (« I progressi della sociologia sono fruttuosamente utilizzati nei campi in cui questi dati sono validi: *si cerca di vedere chiaro per agire efficacemente* », Pio XII, *L'Osserv. Romano,* 17-1-953).

3. Ex applicatione psychologiae et sociologiae religiosae statim elucet vitam religiosam a conditionibus socialibus et psychologicis magnopere dependere. Hinc fit ut, quamvis conspiratio divinae gratiae cum humana libertate summum omnino momentum retineant, tum singuli homines tum societates a praesenti humani consortii statu valde afficiantur; humanum vero consortium celerrime et penitus immutetur sub omnimoda novarum rerum pressione. Ne pigeat has saltem perpendere:

— hominum, agris relictis, ad urbes affluxum;

— industriae et machinarum dominium; technologicum profectum;

— tum singulorum tum societatum instabilitatem; ipsius familiae transformationem;

— multitudinum accessum ad rem politicam et ad syndacales organizationes;

— validissima media, quibus ideae ad totum humanum genus quam celerrime convehuntur;

— altiorem mentis culturam, ad quam iam omnes fere homines accedunt.

Cum ob haec omnia hominum mores et opiniones mutentur, patet etiam catechesim et pastoralem novis adiunctis esse coaptandas (« il genere umano si trova ora ad una svolta decisiva della sua storia, dinanzi alla quale il clero non può rimanere spettatore inerte, perchè si tratta della sorte stessa delle anime », Pio XII, 29-4-49).

His omnibus perpensis opportunum videtur:

1. Ut Concilium Oecumenicum necessitatem agnoscat ut perspicua ac certa notitia acquiratur tum de praesenti societatis statu tum de modo quo homines praedicationi Evangelii respondent. Quapropter ea quae de hac re sapientissime cum Summi Pontifices (*Menti nostrae*) tum S. Congregationes (*Sedes Sapientiae*) statuerunt, denuo sanciantur, ut Sacerdotes, Religiosi et Laici qui christianae doctrinae tradendae et apostolatui exercendo operam dant, de re paedagogica, sociologica, psychologica accurate erudiantur.

2. Ut Concilium Oecumenicum, auxilio fruatur — quo nunc primum Ecclesia in Conciliorum historia uti potest — scientiarum psycho-socialium, quae ad investiganda problemata socialia perutiles esse videntur; ideoque ut, sociologi et psychologi catholici advocentur qui syntheses, tum de generalibus tum de specificis quaestionibus parent: hae videntur tum materiam de qua Concilii Patres agant, praebere posse, tum scientifico-positivam iustificationem praestare de iis quae Patres in re disciplinari, organizativa, canonica, et etiam doctrinali statuerint.

II. Vota

1. Ut in Concilio praeparando, specialis Commissio constituantur, in qua una cum theologis et canonistis etiam psychologi et sociologi, tum sacerdotes tum laici, ex diversis nationibus operam praestent. Horum munus erit problemata communis competentiae discutere, syntheses apparare, principia directiva, criteria methodologica determinare, documenta varia colligere, quae Patribus Concilii usui venire poterunt, cum de iis quaestionibus agent in quibus res socialis et psychologica magni vel prorsus summi sit momenti.

2. Ut Concilium ad efformandos Ecclesiasticos et Religiosos vitae activae, eruditionem de re psychologica, sociologica et paedagogica necessariam esse statuat, eandemque satis accuratam; ideo constituat has disciplinas

obligatorie docendas esse in Seminariis et domibus religiosorum studentium per annum pastorali addiscendae destinatum et per quinquennium sacerdotali consecrationi subsequens; iique cursus cum curriculo de re catechetica et pastorali arcte nectantur.

3. Ut Concilium coeptis faveat quibus conditiones religiosae rigore scientifico investigantur, tum in ambitu dioecesano et nationali, tum in ambitu Ecclesiae universalis.

Statuantur in singulis dioecesibus *officia statistica*, in singulis nationibus *sedes ad documenta colligenda,* quae in usum Commissionis Episcopalis cedant; in usum vero Ecclesiae universalis, *centrum* quoddam *statisticae et documentationis religiosae* (cuius Centri institutio iam anno 1936 ab egregiis viris proposita est (cf. A. Canaletti-Gaudenti, *De statistico officio in Ecclesiae usum constituendo,* in *Apollinaris* IX, 1936). Quod Centrum, collectis et elaboratis documentis, quae officia dioecesana et nationalia suppeditabunt, praeclare inservire poterit ut Ecclesia certa documenta, quae nunc fere omnino desunt, de statu rei catholicae in mundo praesto sint.

4. Item faveat Concilium ut Universitates catholicae et cetera Instituta superiora, Sedes et Instituta ad rem religiosam sociologice et psychologice pervestigandam instaurent, quae non modo colligendis et elaborandis datis statisticis operam dent, sed profundiores scientificae investigationes de re religiosa et vita morali peragant, ita ut viris doctis, qui impensius in dies ad has quaestiones tractandas trahuntur, haud raro ad religionem et Ecclesiam impugnandam, praebeantur tum theoriae tum scientificae conclusiones, quae prorsus omni exceptione superiores sint.

VOTUM 39

De Istitutis scientificae inquisitionis atque technicae praeparationis qua mediis efficacitatis apostolatus hodierni.

I. Praemissae

1. Agnosticismus laicus et communismus atheus in mentibus animisque hominum alliciendis, in religione Ecclesiaque impugnanda, magnopere scientia et technica intellectuali adiuvantur:

a) agnosticismus cultu scientiarum et inquisitionibus altioribus dominium intellectus scholarumque eripuit et praetextu scientiae fidem passim destruit et impedit. Ecclesia quae per multa saecula magistra populorum laudata est, a viris doctis nunc saepe spernitur, eo quod viri ecclesiastici armis scientificis obsoletis cum laicorum armis multo

debellare neque populos a captivitate erroris liberare ac veritati devincere valent;

c) communismus autem atheus accuratissimo examini subiicit hominum indolem et mentem; conditiones oeconomicas, intellectuales, culturales; passiones, propensiones, studia; defectus et virtutes; adversariorum animos, ingenia, media artesque et alia huiusmodi. Quibus omnibus scientifica ratione perpensis, propriam actionem aptissime praeparatam in eos dirigit, quos capere decrevit. Errores suos et frustrata conamina intente scrutatur, ut causas detegat actionesque corrigat. Quae omnia modernis inventis et subsidiis statisticae et psychologiae, didacticae et technicae aliisque nituntur. Perfecta deinde organizatione, uti dicunt, et virium cooperatione quae proposita sunt in praxim deducuntur. His artibus plerumque debetur inopinata efficacia, qua communismus quadraginta annorum spatio in toto fere orbe terrarum singulos homines et coetus pessimis ideis et periculosissima actione permeavit.

2. Quamvis Ecclesia Christi superna gratia ducatur eiusque operositas apostolica divino afflatu fructificet, nihilominus methodi et rationes, media subsidiaque humana sperni non debent, quia etsi « Deus incrementum dat », Paulus tamen « plantavit » et « Apollo rigavit » et ut « Dei adiutores » (*1 Cor.* 3, 6-9) humanis mediis usi, quam maxime et optime poterant, apostolico labori insudabant.

3. Quapropter, ut Ecclesiastici apostolatus opera non minus quam adversariorum incepta humanis mediis adiuventur opportunum esse videtur:

a) ut Ecclesia scientias, praesertim humaniores et litterarias philosophicasque, aliis non exclusis, magis ac magis excolat per ecclesiasticos viros et fideles laicos; ut non solum scholas cuiusque gradus maiore numero et qualitate conquirat et condat, sed etiam et praesertim « Instituta inquisitionis et publicationis scientificae » magis in dies promoveat, in quibus arma veritatis parentur, milites ad pacifice recuperandam scientiam formentur, dignitas et aestimatio ecclesiasticae scientiae uberrime restaurentur. Quo fiet, ut religionis catholicae vox ab omnibus maiore reverentia accipiatur et ita errores efficacius debellentur et fides ac mores christiani latius propagentur. Si doctissimi quique viri, qui propriis ideis aliorum ideas et opiniones efformant et determinant, religionem catholicam plurimi facient, actum erit de praepotentia inimicorum catholicae veritatis et nominis. Instituta vero, de quibus supra verbum fecimus, nationalia, internationalia, centralia pro toto orbe esse poterunt;

b) ut Ecclesia Instituta Technica, ut dici solent, ad praeparandam actionem apostolicam erigat, sive nationalia sive internationalia sive ali-

quod centrale, in quibus conditiones, causae, media efficacitatis ipsius actionis examini subiiciantur ipsaque actio non solum empirica sed rationalis, reflexa, efficax praeparetur absque virium dissipatione et inanitate. His Institutis etiam apostolorum specialis institutio et cooperatio curari possunt. Quia huiusmodi Instituta viros particularibus dotibus praeditos exigunt, praestat ut Internationalia sint.

II. Votum

Efficacitas actionis apostolicae impensiore cultu scientiae et institutorum tum scientificae inquisitionis tum technicae praeparationis ipsius actionis et apostolorum promoveatur.

VOTUM 40

De mediis modernis diffusionis doctrinae et mentis christianae.

I. Praemissae

1. Christi Redemptoris praeceptum: « euntes docete » olim reapse « adeundo » et « alloquendo » homines actu presentes, deinde per scripta verba adimpleri poterat. Paulatim vero, praesertim inde ab inventione praeli, scripta typis impressa Ecclesiae instrumenta propagandae et defendendae fidei fuerunt; sed etiam inimicus homo, zizaniam inter granum seminans, scriptis impressis utebatur, veluti praecipuis armis erroris et mali propagandi.

2. Hodie autem verbum Dei coram actu praesentibus prolatum gutta tantum est in immensa scriptorum colluvie, in fluvio fere numquam intermisso cinematographiae, radiophoniae ac televisionis, quibus, proh dolor, praesertim a catholici nominis et fidei hostibus doctrinae pessimae ubique et sine intermissione diffunduntur.

3. Propter hunc immanem modernorum usum ad impugnandas et destruendas catholicae fidei veritates et christianae vitae normas et rationes, et insuper propter defectum sacrorum ministrorum, qui numero hominum in immensum concrescente, numquam in posterum sufficientes erunt ad multiplicatas obligationes apostolatus efficaciter adimplendas; et praesertim quia vincula inter modernos homines et Ecclesiam ac sacerdotes valde relaxata sunt, ita ut personalis societas et vitae consuetudo vix haberi possit, nisi ipse fidelis eam quaerat, traditi modi institutionis religiosae et curae animarum semper insufficientes erunt ad defendendam veritatem et bonitatem in fidelibus atque ad conversionem infidelium et acatholicorum.

4. Quamobrem Ecclesia ipsa non solum principia circa rectum usum

mediorum et methodorum novarum diffusionis, prohibendo et iubendo, statuere, explicare, firmare, verum etiam systematica et constanti actione et ipsa urgenter omnibus his mediis methodisque, hodie omnino necessariis, in cura animarum ordinaria, in fidei defensione et propagatione, in apostolatus pastoralis multiplici operositate uti debet.

5. Hunc in finem per viros ecclesiasticos, speciali doctrina et formatione instructos et praesertim per apostolatum laicorum, ecclesiasticae auctoritates studeant, ut omnia media methodique excolantur, ut conventionibus aptis usum ordinarium rerum, apparatuum, institutorum publicorum catholici acquirant et firment in finem christianae institutionis atque fidei ac morum defensionis et propagationis; proprias institutiones huiusmodi pro viribus creent, instruant, augeant.

6. Ad praxim quod spectat optandum est, ut officia centralia, sive dioecesana sive regionalia sive nationalia opportune constituantur, quibus non solum apostolatus omnium mediorum diffusionis moderetur verum etiam ipsa media praeparentur et suppeditentur et divulgentur, praesertim libri et scripta varia quibus hodie homines delectantur et instruantur, prava scripta confutentur et oppugnentur.

Idem, congrua congruis referendo, quoad alia media dicendum; optime e. gr. ignorantia religiosa auferri et vita christiana et publica efformari, uno verbo omnia quae iam neque in ecclesiis neque in scholis fieri possunt, medio radiophonico et televisivo, ordinario quadam programmate Ecclesiae attributo, fiant.

7. Optandum etiam, ut « Centra diffusionis » internationalia vel mundialia erigantur pro iis rebus, quae omnibus communiter necessariae vel utiles sunt.

Praeprimis desideratur Officium catholicum generale diffusionis notitiarum (Agenzia di informazioni), quippe cum nemo ignoret quam maxime hodie hac notitiarum diffusione res, facta, dicta, eventus divulgentur, occultentur, colorentur; quae diffusio eodem tempore fons principalis est diariorum totius mundi et inde etiam aliorum scriptorum, sive quae informationes praestent, sive quae ad formandam opinionem publicam et privatam tendant.

II. Votum

Usu systematico et ordinario omnium mediorum diffusionis idearum et doctrinarum, per officia centralia varii gradus et generis, suppleatur deficienti sacrorum ministrorum numero, provideatur institutioni et formationi religiosae fidelium, occurratur diffusioni errorum, defendantur veritates et bona fidei et morum, propagetur religio catholica inter acatholicos et infideles.

VOTUM 41

De praevia censura et prohibitione mediorum quibus moderni ad diffusionem idearum (typis, cinematographia, televisione, etc.) utuntur.

I. Praemissae

1. Actualis disciplina de praevia censura et de prohibitione librorum de facto parum omnino fidelibus nota est. Praeterea sacerdotes haud pauci de earum applicatione dubii aut ignari sunt, non sine gravi animarum periculo.

His rebus fit ut si legislatio ad simpliciorem, quam nunc est, formam redigatur, finis legislatoris certius attingi posse videatur.

2. Causae vero, ob quas ipsi sacerdotes et fideles nonnunquam dubii aut ignari haereant, hae nobis videntur:

a) Formulae nonnullae, quae nimia extensione laborant (v. gr. can. 1385 § 1, 2 in fine, de quo infra B 2); excessiva copia terminorum technicorum, quibus nimium interpretationibus auctorum relinquitur, nimisque numerosae categoriae creantur: v. gr. data opera, ex professo, propugnant, impugnant, impetunt, docent (cf. can. 1399).

b) Ingentior in dies multitudo rerum quae typis eduntur, quae vix perpendi possunt ut de eorum valore morali iudicium tradatur. Hinc fit ut in dies magis iudicio personali singulorum fidelium concedendum sit, non tamen sine gravi animarum periculo.

c) Ipsi catholici scriptores clarum iudicium evitare videntur, an libri de quibus agunt etiam in catholicis periodicis, sub categorias canonis 1399 recidant. Perraro iudicium explicitum hac de re pronuntiatur.

3. Ad virorum etiam doctorum incertitudines, et ad practicam difficultatem statim efformandi iudicia fundata, accedit quod desunt analogae normae quibus prohibeantur et puniantur opera quae aliis mediis technicis diffunduntur, quae tamen haud raro perniciosiora sunt quam libri qui legibus generalibus prohibentur. Quod non parvum argumentum affert eis qui irreverenter audent loqui, de charactere aliqualiter obsoleto aliquarum interdictionum huius legislationis.

Ad incommoda vitanda, haec proponuntur:

II. Propositiones

A) *In genere*

1. Ut sub ampliore titulo (ex. gr. « De mediis diffusionis idearum ») tota colligatur materia de qua agitur in Lib. II, parte IV, tit. XXIII,

eique addantur novae normae, quae ad alia media communicationis pertingant, praesertim ad radiophoniam, televisionem, cinematographa, theatra, inclusis iis mediis quibus vox humana et musica fixantur et reproducuntur.

Hinc fieret ut de tota hac materia quaedam uniformitas obtineretur, tum ad iudicia proferenda, tum ad consilia aut praecepta impertienda.

Hac ratione legislatio de hac re non modo simplicior sed etiam efficacior esset, quae facile fidelibus praedicari et imponi posset.

2. Statim post titulum supra propositum, videntur fideles monendi ut, tum quoad scripta quae legere intendant, tum quoad programmata spectaculorum quae audire vel spectare velint, praeviam notitiam de valore morali acquirere studeant. Praeterea, in altera paragrapho instanter moneantur ut nullo modo diffusioni faveant earum rerum quae fidei et bonis moribus contrariae sint.

Ita textu quodam canonico sanciretur obligatio moralis, de qua magnopere ad bonum commune Ecclesiae interest ut fideles clariorem sibi conscientiam efforment, ut validius repellant quidquid insidiose fidei vel bonis moribus detrimentum afferre possit; praeterea fideles sollicitarentur et canonica sanctione confirmarentur ad oppugnandam crescentem in dies corruptelam.

B) *Quoad censuram praeviam*

1. Textus inseratur quo ad cetera communicationis media extendatur obligatio censurae praeviae, etiam pro laicis si vel totum vel pars notabilis argumenti, principia fundamentalia fidei et morum tangat. Qua praevia censura minime impediretur quominus opus perfectum atque editum iterum trutinae subiiciatur. Praevia tamen censura multis incommodis obviaretur; cui si quis subiici nolet, circumstantiam aggravantem adderet, ubi opus reprobatione dignum publicasset.

2. Can. 1385 § 1, 2 ita mutandum censemus, ut sub fine loco formulae « ac generaliter scripta in quibus aliquid sit quod religionis ac morum honestatis peculiariter intersit » alia paulo minus extensiva ponatur, vel formula urgentis cuiusdam consilii.

Ita enim levaretur grave incommodum observandi legem quae ob ampliorem extensionem:

a) si stricte applicaretur, officium censorum nimis onerosum redderet. Satius esse videtur ne onera excessiva imponantur, et fortasse scriptoribus christianis importuna, qui « de rebus actualibus » in diariis vel periodicis non christianis conscribunt;

b) ad alia communicationis media nondum applicata est, quaeque, si applicaretur, graves exsecutionis difficultates offenderet. Integra rema-

neret Ecclesiasticae auctoritati facultas interveniendi post editionem, erroris gravitatem accusando atque auctorem ob imprudentiam puniendo.

C) *Quoad prohibitionem*

1. Statuatur pro ceteris communicationis mediis aliqua prohibito *ipso iure,* quae analoga sit ei quae pro libris iam viget, quaeque quantum fieri potest eisdem criteriis moralibus regatur.

Talis prohibitio *ipso iure,* idem significare, nostro iudicio, deberet ac formula illa « films esclusi » qua utuntur Commissiones catholicae de re cinematographica.

Munus praedicatorum erit fideles instanter monere ut a quibuslibet prohibitis spectaculis vel auditionibus abstineant atque adversus has impugnationes fidei et morum positive resistant.

2. Ut prohibitiones « ipso iure » edictae simpliciores et efficaciores sint, itemque, quantum fieri potest, uniformes sint cum normis quae ad cetera communicationis media pertineant, nobis optandum fortasse videtur ut categoriae quae in can. 1399 enumerantur, ad pressiorem formam reduci possint: si enim condemnatio « ipso iure » in pauciores categorias easdem clare determinatas caderet, gravior profecto appareret.

3. Ut generalis legislatio de mediis communicationis vere efficax evadat, oportet ut sacerdotibus, animarum moderatoribus, fidelibusque ipsis, praevia et necessaria documentatio facilius praesto sit. Hinc proponere velimus ut in singulis nationibus christianis Commissio formetur, quae valorem moralem omnium productionum quibuslibet mediis diffusionis in publicum editarum, diiudicet, criteriis utens quae quam maxime uniformia sint.

Organum centrale in Ecclesia universali totam hanc activitatem coordinet, documenta et notitias colligat, et, ubi opus fuerit, fortius agat apud « productores ».

Sic haec organa tum malis quae supra describuntur obviare, tum integram catholicorum activitatem circa hanc rem moderari poterunt.

4. De *Indice librorum prohibitorum.*

Nova I.L.P. editione, non modo pastores animarum et fideles hac de re certiores fierent, sed etiam poenae can. 2318 § 2 contentae efficaciores evaderent.

In hac editione, saltem quoad scripta quae in ea enumerantur, valde utiliter adderetur explicita indicatio librorum, qui vigenti disciplina, lectores eorum in excommunicationem inducunt.

Audemus etiam proponere ut formula « opera omnia » ita determinetur ut extensionem uniformem habeat, quocumque tempore condemnatio scriptoris facta est.

III. Votum

Ad omnia media diffusionis idearum, praesertim ad radiophoniam, cinematographiam, televisionem, theatra, principia legislationis canonicae de praevia censura et de prohibitione librorum, mutatis mutandis, extendantur. Quantum fieri potest, regulae identicae, vel saltem analogae, pro hac tota materia promulgentur. Formulae legislativae de hac re, ut efficaciores sint, simpliciores reddantur.

VOTUM 42

De opportunitate definiendi more disciplinari praecipuas doctrinas sociales catholicas.

1. Duae praecipue recensentur habitudines considerandi officia Ecclesiae in re sociali: opinio Protestantium qui dictitant non posse « christianitatem » ordinem socialem inter nationes et in singulis civitatibus constituere atque urgere; his enim « christianisatio » mundi aeque sonat ac contaminatio « christianitatis ».

2. Doctrina vero catholica tenet Ecclesiam: 1) constitutione sociali consistere, 2) mandatum sanctificationis et salutis animarum complecti ius et officium nuntiandi et interpretandi veritates sociales iuridicas atque politicas praesertim illas quae ex lege naturali profluunt: leges enim sociales catholicae vitam socialem et individualem regunt et ab ipsis theoriis socialibus cuiusvis ordinis (etiam quae a viris catholicis excogitantur) ratione originis, ratione extensionis, ratione vinculi distinguuntur.

3. Plurium protestantium et nonnullorum catholicorum difficultates confusionem idearum plane manifestant. Alii enim Ecclesiam catholicam vituperant quasi ipsa *in ordine practico* astutiam politicam amplectatur; in *ordine autem theoretico* doctrinas abstractas et frigidas atque dogmaticas profiteatur. E contrario doctrinam socialem alii veluti schema sociologicum, eclectismum confusum, inutilem syncretismum considerant.

Alii autem inter catholicos vel quandam falsi nominis expectationem et miraculosi speciminis spem colunt, quasi Ecclesia in promptu et in procinctu doctrinam socialem ad omnem usum pro singulis quibusque temporibus validam habeat atque expeditissimam; oppositam autem ingrediuntur viam illi qui, cum probe sciant encyclicas sociales hucusque nota infallibilitatis carere, suam in re sociali libertatem proclamant. Nec desunt qui ex alio capite suum arbitrium in doctrinis socialibus vallent: vel quia in quibusdam materiis doctrina catholica sileat, vel quia disparatas solutiones ab Ecclesia vel a Romanis Pontificibus variis temporibus inter se pugnantes datas esse effutiant.

5. Varia conamina determinandi principia socialia recensenda sunt: « codices sociales » qui quamvis sint utiles, privata fere auctoritate editi sunt; dein alii proprio marte ex dignitate personae humanae principia quaedam socialia, excusserunt; nec desunt qui ex iuribus fundamentalibus humanitatis (praesertim post promulgationem ab Organizatione Nationum Unitarum effectam) postulata socialia deducant. Nemo tamen non videt quam aequivoce haec iura invocentur, nam specie « personalismi » fucati nominis doctrinas catholicas quidam se docere autumant.

Ut igitur tantae confusionis remedium praebeatur optandum est:

II. Vota

1. Ut iam in manus puerorum, brevia principia catholica et doctrinae socialis atque formationis specimina, in catechismo contenta, addiscenda ponantur.

2. Adultis uberiores explanationes in opportunis et probatis opellis addiscendae imprimantur. Quo facilius autem intelligant quanti Ecclesia aestimet iura et humanum convictum, optandum est ut sic dictae « leges mere poenales » iis in rebus in quibus tot abusus irrepserunt in re civili (evasiones fiscales, illegitimae et clandestinae exportationes mercium extra fines civitatis, etc.) respuantur vel reformentur.

3. Ut Concilium aliquam syllogen principiorum socialium ab omnibus catholicis amplectendam, etsi more et vi disciplinari statutam, stabiliat (codicem socialem).

4. Ut praecipuas quaestiones de re sociali, quae urgentem postulant solutionem, dirimat. E. gr.:

a) de automatione gradatim introducenda ne ordo socialis et bonum religionis perturbetur;

b) de planificatione quae conditiones oeconomicas Civitatis respiciat;

c) de functione sociali proprietatis privatae solemniter proclamanda;

d) de operistiis, ne scl. privata neve politica ratione sed certis tantum circumscriptis conditionibus suscipiantur;

e) de participatione opificum in fructibus negotionum, quae et quatenus iustitiae socialis norma sauciatur.

DE BONIS ECCLESIAE TEMPORALIBUS

VOTUM 43

I. Praemissae

1. Primis septem vel octo saeculis Ecclesiae omnia bona temporalia in administratione episcopi erant, qui, non arbitrarie sed iuxta normas fixas (cum consilio et adiutorio presbyterorum et diaconorum et sub vigilantia synodi provincialis) ea generatim in quatuor partes distribuebat: sibi, clericis, pauperibus et peregrinis, cultui et ecclesiae fabricae. Paulatim vero per « ecclesias proprias » ruri constitutas et per ius germanicum-feudale, singulae illae partes autonomae factae sunt et episcopi administrationi subductae, ita ut vix eius vigilantiae subicerentur. Haec vero divisio in partes autonomas non solum vitam communem clericorum delevit, sed nova munera ab episcopo in multis independentia efformavit, ita ut administratio dioecesis (quoad temporalia et postea etiam quoad spiritualia) « decentralizata » sit. Quinimmo spirituales rationes ecclesiastici muneris passim rationibus materialibus beneficii subiectae sunt: « officium sequitur beneficium ».

2. Quamvis graviores huius systematis abusus ab Ecclesia sensim expurgati sint, nihilominus systema beneficiale, a canonistis classicis saec. XII-XIII etiam scientifice constructum et temperatum, totam Ecclesiae Occidentalis disciplinam permeavit. Tridentina quidem reformatio praeeminentiam muneris spiritualis omnino ursit, sed systema beneficiale ipsum toleravit. Neque compilatores Codicis Iuris Canonici id repudiare ausi sunt, ne forte ad totam disciplinam in multis capitibus reformandam cogerentur. Et sane, in *C.I.C.*, magis etiam quam tempore Concilii Tridentini (quo vera et propria beneficia in tota fere Ecclesia vigebant), systema beneficiale a Statu Ecclesiae absonum apparet, utpote cum, iam ineunte saec. XX, in paucis tantum ecclesiis tum de iure tum de facto superesset.

Nihilominus in Codice longe lateque de beneficiis agitur, quibus officia connexa manent, quamvis ista in Codice ipso incongruenter distinctis in Libris (II, cann. 145 ss. - III, cann. 1049 ss.) tractentur, et ad speciem beneficii reducantur etiam bona stabilia quae beneficia sensu proprio non sunt (can. 1410).

3. Hodie vero in Europa reliquiae bonorum beneficialium proprie dictorum passim ab hostibus Ecclesiae direptae sunt et quae remanent sunt fortasse scandala iniustitiae et haud raro detrimenta decoris et vitae sacerdotalis potius quam adiumenta operositatis spiritualis.

4. Ideoque occasione Concilii Oecumenici arrepta, quo iura quaesita minus odiose abrogari possunt et disciplina profundius reformari, summopere optandum videtur, ut Ecclesia systemati beneficiali valedicat et antiquam bona Ecclesiae administrandi rationem denuo instauret.

5. « Systemati » dicimus quia, una cum beneficiis ipsis, multae formae disciplinae ecclesiasticae Ecclesiae latinae, ab illis introductae et adhuc vigentes (v. gr. inamovibilitas beneficiariorum, quae saepe in damnum animarum vertitur) facilius aboleri et aliis formis hodiernae vitae ecclesiasticae aptis, substitui possunt, quae partim in quibusdam Ecclesiae regionibus iam in praxim deducuntur:

a) Omnia bona dioecesis unam massam constituant ex variis fontibus confluentem: ex antiquis bonis beneficialibus, tum immobilibus tum mobilibus (ubi adhuc extant); ex solutionibus potestatis civilis (si quae sunt ex titulo remunerationis, restitutionis, adiutorii); ex oblationibus fidelium, ex iuribus stolae, ubi tamquam iura perseverant (quia ipsa, magnam partem, reliquiae sunt ecclesiarum propriarum); ex praestationibus proprii officii et operae pastoralis; ex fundationibus, ex taxis certis, ex aliis bonis mobilibus et immobilibus, quae Ecclesiae forte ex titulo donationis, haereditatis, venditionis alioque obveniunt; ex certis praestationibus publicis et privatis, etc. A singulis cleri membris omnia huiusmodi bona ecclesiastica, exceptis Missae stipendiis, Ordinario proprio reddenda sunt ex iustitia.

Ordinarius autem, per consilia administrationis omnia bona administret eaque distribuat consulendo, secundum aequam proportionem, ante omnia necessitatibus ordinariis sustentationis clericorum eorumque adiutorum, cultus, fabricarum, curae pauperum suae dioecesis. Deinde etiam pro expensis et necessitatibus extraordinariis certas summas suis sacerdotibus assignabit. Postremo, quae supersunt, aliis operibus, non exceptis extradioecesanis vel aliis dioecesibus inopibus elargietur;

b) hac bonorum ecclesiasticorum administratione et distributione, iustitiae, aequitati, sanctitati officii providebitur. Nam disparitas beneficiorum saepe iniustistiae sociali inter sacerdotes ansam praebet; paupertas sacerdotum curae pastorali praeiudicat non minus quam pinguedo beneficii: etenim bona superflua non solum sacerdotis perfectioni laqueos parant sed etiam fideles saepe scandalo afficiunt, inter beneficiarium et usufructuarios controversias fovent, quae saepe sanctitatem officii laedunt. Si vero beneficiarius rebus oeconomicis minus peritus sit, ipsum beneficium iacturam patietur. Insuper cura temporalium, pro variis necessitatibus ordinariis et extraordinariis paroeciae et ecclesiae, a munere spirituali vires detrahit et non raro cupiditati favet, quippe cum ad maiora emolumenta acquirenda semper maior cura incendatur. Pecuniae ob ad-

ministrationem Sacramentorum solvendae (praesertim iura stolae), classes et categoriae funerum et matrimoniorum pro diversae conditionis fidelilibus, quae sensum aequalitatis socialis hodiernae ipsamque aequalitatem christifidelium valde offendunt, excussio pecuniae etc. non amplius tamquam oblationes altari factae apparent, diversae pro diversa facultate, sed, quia et quatenus sacerdoti in eius commodum cedunt, saepe speciem lucri et turpis mercimonii praeseferunt. Quibus omnibus oblatis, munera et officia ecclesiastica, ab omni iniquitate et obscuritate materiali purgata, iterum suo spirituali et sacro decore fulgebunt;

c) insuper bono communi et rationibus pastoralibus-apostolicis multo melius consulitur si episcopus, qui omnes totius dioecesis necessitates probe novit, ex bonis communibus, recta proportione servata, omnibus et singulis personis et operibus, quae hic et nunc necessaria sunt adplicare potest, praesertim cum hodie multa opera pastoralia maximi momenti, magis in dies dioecesana et non tantummodo paroecialia sint et esse debeant. Peculiari modo vita communis totius cleri facile in praxim deducitur et insuper in eius sustentione magnis pecuniae summis parci potest;

d) perfectioni et sanctitati sacerdotum curam animarum habentium hac bonorum ecclesiasticorum administratione valde favetur, quia non solum ab invidia mammonae coram populo fideli liberantur (qui verus daemon et gravissimus obex curae spiritualis haberi debet), sed cultus omnium virtutum fovetur: clerici inopes a miseria, damnis et periculis spiritualibus plena, sublevantur; a ceteris commoditates et delectationes mundanae multaque alia pericula et occasiones peccandi arcentur; media vitae et apostolatus aequa proportione adiudicantur et amor fraternus, qui aequalitatem inter aequales expostulat, augetur; paupertas et oboedientia, abnegatio sui ipsius et mundi spiritus ad sacrificia promptus, fervor apostolatus promoventur, caritati erga proximum via panditur, uno verbo: sacerdotes hoc modo vere Deo vacare possunt et sanctificationi sui ipsius et christifidelium operam navare;

e) damna, quae ex imminutione pecuniae non amplius de industria sacerdotum ad lucrum quaesitae, imminere possint, utilitatibus spiritualibus largius compensantur et vicissim voluntas, necessitatibus vere ecclesiasticis abundantius subveniendi, magis excitabitur.

Ceterum damno imminenti ex iniqua distributione aut ex rudi et prava administratione episcopali variis vigilantiae et examinis modis mederi potest: consilio administrationis, conferentia Episcoporum (loco synodi regionalis), per Nuntios vel Delegatos Apostolicos, Visitatores Apostolicos aliisque id genus, quae pro conditione locorum, temporum, hominum et circumstantiarum opportuna videantur;

f) hac centrali bonorum administratione et distributione, potestas Episcopi (qui iure divino populum et clerum, ecclesiam suam regit: cf. can. 329 § 1) efficacior evadit et munera ac officia ecclesiastica etiam quoad operositatem pastoralem et sacram eius auctoritati efficacius devinciuntur, ita ut denuo plene, immediate, vere pastor et rector suae dioecesis exsistat.

6. Circa bona ecclesiastica, quae ad religiosos pertinent ipsisque a populo dioecesis redduntur vel in cura animarum ordinaria vel extraordinaria obveniunt, per dispositiones generales vel per speciales conventiones providendum erit.

II. Votum

Systemate beneficiali relicto, omnia bona ecclesiastica dioecesana ab ordinario loci administrentur et, aequa proportione servata, clero, ecclesiis, populo et operibus curae animarum, ordinariis et extraordinariis, pro rata distribuantur.

VOTUM 44

De acquirendis bonis temporalibus Ecclesiae necessariis

I. Praemissae

1. In hodernis vitae adiunctis opera pastoralia, ad efficacem curam animarum multa indigent pecunia. Systemate insuper beneficiali, cum omnibus adnexis, ablato, ut in voto praecedenti proposuimus, varii redditus hucusque exacti, non amplius afferentur. Quaestio ergo de bonis temporalibus acquirendis, quae necessitatibus ordinariis et extraordinariis provideant, cum quaestionibus non paucis ipsius efficacis operositatis apostolicae intime connectuntur.

2. Obligatio subveniendi necessitatibus Ecclesiae fidelibus ipsis incumbit. Tota Ecclesiae historia hanc obligationem eiusque praxim iuxta conditiones temporum demonstrat (decimas, oblationes, donationes, taxas, tributa, etc.). Sed ad implementum huius legis ecclesiasticae (quod fundamento divinae voluntatis innititur), ipsa lex in hodiernis conditionibus magis et melius quoad substantiam et formam pro tota Ecclesia determinari debet.

3. Ubi iam christifideles per certas et voluntarias oblationes omnia quae propriae ecclesiae necessaria sunt conferunt, quaestio soluta est et praxis non videtur innovanda.

4. Ubi autem ipsi fideles hucusque nihil certi vel parum offerunt, variis modis ad obligationem adimplendam induci possunt:

a) per oblationes certas et voluntarias fidelium, quae sufficiant omnibus ecclesiae necessitatibus ordinariis et extraordinariis. Ad has sane oblationes ipsi fideles facilius inducuntur, si singulis clericis nulla bona ecclesiastica propria sunt attributa ideoque vere indigentes et a proprio Ordinario dependentes apparent neque aliae determinatae solutiones, occasione exercitii muneris sacri, ipsis sacerdotibus obvenientes, excutiuntur. Si de his obligationibus lex ecclesiastica pressius circumscribitur et generaliter urgetur, mentes fidelium circa hanc rem educari possunt.

Quoad quantitatem harum oblationum « certarum » statisticae rationes conficiantur paroeciales vel dioecesanae, quibus singulis singula tributa assignentur. — Quoad excussionem autem, laici, viri et mulieres, singulis a quibus tributa expostulant ipsi noti, rite instituantur, ut humano modo et religiosa persuasione omnia obtineant, quae ex lege Ecclesiae debentur. — Ipsum officium dioecesanum centrale, mediante quodam periodico, cum omnibus fidelibus oblatoribus rem oeconomicam dioeceseos communicet, rationem quoque reddendo accepti et expensi de massa pecuniae ab ipsis oblatae. Ita enim amor et studium populi fidelis circa res et opera religiosa, sensus communis christianorum vivificatur et omnia « mysteria » circa bona ecclesiastica opportune dissipantur. Immo hoc modo vigilantia ipsius administrationis et distributionis exercetur;

b) per solutionem certae taxae « religionis » (ubi haec iam viget provisio), quae, iuxta uniuscuiusque lucra vel mercedes, pro aequa rata ab ipsa auctoritate civili excutitur, sicut aliae taxae, et Ecclesiae traditur. Hoc systema odium ipsis viris ecclesiasticis non parit sed quandam dependentiam a Statu sapit et liberam offerentium voluntatem atque studium erga religionem parum fovet;

c) per administrationem centralem et per negotiorum gestionem, a viris vere peritis et prudentibus factam, necnon per distributionem rationalem, praesertim ob vitam communem cleri, multa pecunia opesque, in bonum commune convertendae, comparci possunt.

II. Votum

Bona temporalia, Ecclesiae necessaria, acquirantur certis oblationibus fidelium vi urgentis praecepti ecclesiastici generalis, quo obligatio pressius circumscribatur eiusque observatio practica melius determinetur iuxta hodiernas conditiones.

VOTUM 45

De taxis pro exercitio muneris sacri solvendis

I. Praemissae

Sunt qui exoptent abolitionem totalem omnium pecuniae solutionum, quae occasione exercitii muneris sacri fieri solent vel tamquam taxae expostulantur. Ratio est dignitas sacerdotis spiritualia administrantis et dignitas rei sacrae administratae. Alii autem solutiones huiusmodi defendunt, quia media sustentationis ipsius sacerdotis et ecclesiae evaserunt, quia hodie unicus fere modus exstat cuiusdam contributionis ex parte populi christiani in non paucis regionibus, quia nullum exoritur scandalum, si omnia absque aviditate accipiuntur et cum caritate postulantur. Revera si cum classibus sollemnitatum etiam classes taxarum abolentur, cum aequalitate caritas salva esse videtur.

II. Votum

Si forte taxae, quae systema beneficiale non tangunt, sustineantur, legislatione et generali et determinata, abusus in hac materia vigentes sive ex parte ministrorum sacrorum sive ex parte christifidelium, eliminentur.

VOTUM 46

De systematico moderamine facultatis stipem vel eleemosynas scripto aut ostiatim petendi a quocumque pio instituto in Ecclesia.

I. Praemissae

Auctis admodum in dies religiosis Institutis in finem caritativum excitatis (pro orphanis, pro senibus, pro adspirantibus ad vitam religiosam, ad apostolatum in terris missionum exercendum, etc.) quae statutis temporibus, auxilii pecuniarii speciales petitiones typis impressas, in propria vel aliquando etiam ad alias nationes, mittunt, facile evenit ut praesertim in magnis civitatibus, cives — sive catholici sive heterodoxi — uno eodemque die plures huiusmodi petitiones recipiant; nec desunt Instituta quae suas petitiones, facta promissione precum, etc. mittere soleant etiam ad familias quibus prorsus ignota sunt, statim ac per ephemerides notitias habuerint mortis alicuius propinqui harum familiarum.

Regularibus autem qui « mendicantes vocantur et sunt » (can. 621

§ 2) in petenda ostiatim stipe quamplures congregationes sororum adiunctae sunt, nec raro in magnis civitatibus inveniuntur qui religiosum habitum falso deferentes, stipem ostiatim petant, parvasque eleemosynas despicientes, haud sine arrogantia maiora auxilia, veluti ex iustitia, nomine religionis, exigant.

Nunc vero neminem fugit hisce rerum adiunctis:

1. Facile oriri scandalum apud cives qui tam intemperanter invitantur ad subveniendum — ut ab iisdem saepe dicitur — necessitatibus Ecclesiae.

2. Aliquo modo offendi iustitiam distributivam; etenim maiora auxilia capiunt illa Instituta quae magis technicis mediis ad « petendam pluviam » utuntur.

3. Hoc agendi modo nonnumquam affici Instituta localia, quippe quae superantur a longinquis Institutis.

4. Legitima auctoritas ecclesiastica haud semper receptae atque expensae pecuniae ab istis Institutis congruam rationem exigere potest.

II. Vota

Videretur proinde iustitiae bonoque nomini christiano conforme:

1. Ut vitae hodiernae conditionibus congrua ratione aptentur normae canonicae pro mendicantibus aliisque religionis stipem quaeritantibus.

2. Ut in singulis nationibus, Conferentia Episcopalis, cum speciali interventu Nuntii vel Delegati Apostolici, quippe qui vi sui muneris est protector natus Institutorum Pluridioecesanorum, decernat qua ratione et mensura a supradictis piis Institutis mitti possint petitiones typis impressae ad colligendam pecuniam.

3. Ab eadem Episcopali Conferentia, cum interventu Nuntii aut Delegati Apostolici, analoga ratione normae statuantur pro adlocutionibus seu « conferentiis » quae a religiosis aliisque entibus ecclesiasticis fieri solent ad colligendam pecuniam pro missionibus aliisque piis operibus.

VOTUM 47

De praevidentiis socialibus pro clero et pro religiosis

I. Praemissae

A) *De clero saeculari.*

1. *De factis.*

Plures sunt sacerdotes qui degunt in paroeciis quarum beneficium pauperrimum est. Saepe sacerdos qui est in cura animarum exiguos suos

proventus erogare debet ad urgentiores necessitates aliquorum fidelium sublevandas.

Ex hoc evenit ut in casu infirmitatis vel alicuius infortunii sacerdos ne necessarium quidem habeat, ut sibi ipsi provideat.

Ex his rerum adiunctis duae proveniunt consequentiae:

a) maxima paupertas et deficientia rerum necessarium in qua versantur plures sacerdotes cum ad senectutem proveniunt. Ipsi sunt revera digni omni commiseratione;

b) ut saltem ea quae magis necessaria sunt obtinere possint, munus parochi dimittere nolunt, quamquam omnino inhabiles sint ad illud totaliter adimplendum. Quidam ex illis sacerdotem coadiutorem acceptant vel etiam petunt, cui postea plenam agendi libertatem conferunt. Alii e contra coadiutorem nolunt et soli manere malunt, uti per plures annos fuerunt; vel, si coadiutorem acceptant, illius operam obstruunt.

2. *De remediis.*

Huiusmodi rerum adiunctis remedium apponi posse videtur legislatione generali, qua:

a) constituatur pro sacerdotibus saecularibus « securitas socialis » quae dicitur, contra infirmitates et infortunia, ita ut illis digne et convenienter provideri possit;

b) constituatur pensio pro senectute, qua gaudeant sacerdotes saeculares qui propter aetatem vel infirmitatem munus ipsis commissum iam perficere nequeant.

B) *De religiosis.*

1. *De factis.*

Notum est frequentiores in dies esse casus religiosorum qui, post quosdam annos in Religione transactos vel dimitti debent, vel sua sponte Religionem deserunt, quin cum Superioribus de re oeconomica quidquam clare statuatur.

Hoc evenit cum religiosis professionis temporaneae, quamquam non desint casus religiosorum qui perpetuam professionem emiserunt.

Saepe, ad saeculum reversi, nullo modo lucrum, ad vitam necessarium obtinere possunt, quia carent titulo studiorum vel arte.

Tunc, necessitate compulsi, a Superioribus Religionis aliquid exigunt, titulo reparationis damni vel compensationis pro labore et pro operibus in favorem Religionis praestitis, sed non ea tantum, quae Superiores eis constituunt, sed quae ipsi expostulant et insuper ius quod putant habere etiam in foro civili defendere conantur, in damnum Religionis.

2. *De remediis.*

In Societatibus securitatis socialis, plures dantur species securitatis

quibus uti poterit in huiusmodi casibus, uti essent e. gr. securitas contra deficientiam laboris (pro deficientia occupationis).

Alia media etiam excogitari poterunt, uti contractus Religionem inter et sodales, in foro civili recogniti, saltem donec vota temporanea durant, quibus iura et onera determinentur pro casu dimissionis vel defectionis a vita religiosa.

C) *Considerationes genericae pro utriusque.*

1. Forsitan, ubi numerus sacerdotum et religiosorum vere notabilis est, institui poterunt societates securitatis pro ecclesiasticis et religiosis, pro dioecesi, vel pro regione, vel pro natione, vel etiam foederativae.

2. Videtur tamen facilius, saltem in exordiis et in praesentibus condicionibus, recurrere ab societates securitatis civiles iam existentes, per speciales contractus, vel obtinendo ut specialis modus securitatis instituatur pro clero saeculari et pro religiosis.

II. VOTUM

Desideratur legislatio ecclesiastica generalis de « adsicuratione » cleri saecularis contra infirmitates diuturnas et infortunia atque pro senectute; necnon pro religiosis in casibus dimissionis.

DE DELICTIS ET POENIS

VOTUM 48

De systemate poenali codicis hodiernis exigentiis accommodando.

I. Praemissae

1. Salvator et Dominus noster, Ecclesiam suam in terris, ut societatem perfectam instituens, omnibus mediis eam ditavit, ut finem suum supernaturalem consequeretur, inter alia enim ei tribuit illud « nativum et proprium ius coercendi delinquentes sibi subditos » (can. 2214, § 1).

Cuius potestatis exercitium prorsus postulat ipsa fragilitas et malitia humana, per quas frequenter leges violantur, disciplina conculcatur, ordo socialis evertitur: etenim quotidiano usu comprobatur quam inutile sit leges condere nisi earum observantia fideliter urgeatur.

Sub hac luce inspectum, systema poenale Ecclesiae apparet, et revera debet esse, *instrumentum* ad servandum et diffundendum Regnum Dei, et hoc quidem sub triplici aspectu: legum observantiam comminatione poenarum promovendo, ordinem iuridicum laesum inflictione earum restaurando, et denique, medelam salutarem delinquenti praebendo.

2. Ut tamen universum systema poenale ecclesiasticum sit revera *aptum et efficax instrumentum* ad consecutionem finis societarii Ecclesiae, duobus fundamentalibus exigentiis respondere debet:

a) praeprimis debet temporum rationi, vitae conditionibus, exigentiis, necessitudinibus nostrae aetatis, quae haud parum a praeteritis in multis differt, congruere: essentialis enim est iuris conditio, ut una cum historia sese evolvat atque progrediatur;

b) debet insuper esse *instrumentum ductile,* quod scil. sine contradictione cum intrinsecis exigentiis totius systematis iuridici, cuius pars est, conferat sua practicitate et simplicitate, ad promptam tutam et iustam applicationem et moderationem coercitionum.

Sunt tamen quaedam puncta in nostra legislatione poenali quae his duabus memoratis exigentiis minime cohaerere videntur, quorum rationem proinde inquiri oportet, ut opportunae reformationi subiiciantur: hac de causa illa sapienti iudicio Commissionis Ante-Praeparatoriae exponemus. (Ea vero omnia praetermittimus quae indolis mere technicae sunt, quaeque propterea magis ad reformandum Codicis quam ad parandum Concilium pertinent).

3. Quod ergo ad exigentiam sub *a*) recensitam attinet, scil. ad congruam accomodationem poenarum novis conditionibus vitae, duo opposita sunt notanda:

A) In parte III libri V, quae inscribitur: « De poenis in singula delicta » haud paucae hypotheses recensentur quae respiciunt circumstantias historicas aut conditiones iuridicas iam prorsus aut fere omnino obsoletas, aut saltem delicta respiciunt quae nostra aetate non ita frequenter committuntur, ut tempore quo lex poenalis respectiva lata fuit: ideoque non immerito possunt dici poenae fere obsoletae. Aliis in casibus poena ob mutatas conditiones aestimaretur nimis dura et rigida, non proportionata entitati delicti, prout esse deberet iuxta fundamentalia principia Codicis (can. 2218, § 1).

Liceat paucos casus adducere ad modum exempli, quin omnia enumerare conemur:

a) consideratis novis S. Sedis dispositionibus circa ieiunium eucharisticum et facilitate concessa ad iterationem Missae pro bono animarum, non iam videretur necessaria poena can. 2321, maxime cum, requisito dolo perfecto ad integrationem factispeciei poenalis (habet verba « praesumpserint ») in praxi « quaedam imminutio imputabilitatis » (can. 2229 § 2), aufert delictum (cf. Liuzzi, *De vi verborum « praesumpserit », « ausus fuerit » aliorumque similium in systemate poenali canonico,* in *Ephemerides Iuris Canonici* 1 [1945] p. 87 ss.);

b) item, cum hodie, iuxta leges civiles fere ubique vigentes et ab Ecclesia plerumque in Concordatis admissas, Statui reservetur regimen et cura coemeteriorum. Hinc fortasse non iam usuveniunt poenae can. 2329 adversus violatores coemeteriorum;

c) factispecies can. 2352 hodie rarissime dabitur, cum leges civiles sufficienter consulant libertati individuali his in rebus;

d) pariter delictum simoniae de quo in can. 2371 (simoniaca promotio ad ordines, vel administratio aut receptio simoniaca sacramentorum) perraro committitur in moderna societate;

e) excommunicatio latae sententiae S. Sedi speciali modo reservata, statuta per Decretum S. Congr. Concilii, die 22 martii 1950, adversus clericos et religiosos ritus latini mercaturam exercentes, nimis rigida videtur et nullo modo proportionata delicto. Satius esset ad poenas ferendae sententiae per Ordinarium infligendas redire. Hoc suadet sive extrema gravitas poenae, sive modus applicationis (« ipso facto »), sive natura delicti. Agitur in casu de *delicto* sic dicto *habituali,* quod non integratur uno actu, sed exercitio, i. e. habitu violandi legem (cf. Roberti, *De delictis et poenis,* Romae, s. d., p. 228, n. 199). Huiusmodi delicta difficilius admittunt ipsam concretam delimitationem neces-

sariam ut poena latae sententiae plecti possint. Etenim, « exercitium » seu « habitum » in casu, ut palam est, tot admittit innumeras variationes quoad frequentiam, summam pecuniae, entitatem negotiationis, gravitatem, etc., ut impossibile sit eas iuste dimetiri a priori. Si ergo puniuntur poena latae sententiae, sequitur practica iniustitia, nam eadem poena punit uniformiter omnes transgressiones, minus gravia perinde usque ad gravissimas. In Codice nullum invenitur delictum habituale poena latae sententiae puniri.

B) Ex alia parte, ut supra innuimus, novae vitae, conditiones, ratio temporum, aucta sensibilitas socialis circa quasdam quaestiones, frequens iteratio quarumdam transgressionum, vel maius periculum scandali ipsis inhaerens, postulant un novae poenae — paucae sane! — statuantur.

Haud inopportune praemittendum videtur, ob suam peculiarem indolem, Ecclesiam, cum finem sibi proprium salutem animarum habeat, debere novas poenas decernendo, hoc principio generali duci: ut, quoad fieri potest illa praesertim facta poenis mulctentur quae maius scandalum gignant aut maiorem deterioremque « proiectionem » socialem habeant. Nam in *damno spirituali toti communitati fidelium* illato, maxime propter scandalum quod membra societatis patiuntur ex delicto, consistit illa deordinatio seu violatio ordinis socialis, quam Ecclesia per poenae applicationem restaurare studet.

Ad casus concretos quod attinet:

a) imprimis fortasse oporteret quasdam poenas ferendae sententiae statui ad compescendas graviores *violationes iustitiae socialis,* maxime si a clericis perpetrentur;

b) alia pars vitae socialis in qua saepe dolendum est graves transgressiones fieri, cum magno fidelium scandalo et coetus clericalis dedecore, sunt « *fraudes administrativae* ». Illo delicto haud raro coinquinantur clerici vel religiosi qui administrationem gerunt, sive ad intra sive ad extra; cum v. gr. administratores subalterni, praesertim religiosi, qui in annua redditione rationum tenerentur ad denunciandam pecuniam excedentem, crebro ab inspectione Superioris fraudulenter ingentes summas abstrudunt. Grave scandalum et notabile famae detrimentum, cum res in notitia populi venit, generant fraudes erga Publicam Administrationem: cum v. gr. ad carpendam maiorem pecuniae quantitatem finguntur conditiones inexistentes, aut, falsis motivis adductis, impetratur subsidium a Statu, aut, subsidium ad beneficum tantummodo finem obtentum, fini non charitativo destinatur, etc.

Has et similes « fraudes » — bene definita factispecie — poenis ferendae sententiae compesci oportet;

c) dolenter quoque lamentatur inter clericos et religiosos adule-

scentulorum educationi addictos haud infrequenter committi *delicta contra sextum cum minoribus infra XVI annos.*

Huiusmodi delicta totis viribus sunt persequenda: gravissimum enim animarum damnum et scandalum secumferunt, multoties in irreparabile discrimen adducendo actionem educativam totius communitatis, tum quoad ipsas victimas, tum quoad ceteros alumnos. Et si ipsa detestabilia facinora divulgantur, opprobriis et infamia maculatur nitor status clericalis vel religiosi.

Cum vero poenae can 2359 § 2 sint omnes ferendae sententiae, insufficientes merito reputantur: in pluribus enim casibus illa delicta manent occulta, ideoque poenam effugiunt, vel tum demum deteguntur cum damnum gravissimum iam illatum omnino est irreparabile.

Efficacius forte provideretur per aliquam gravem poenam latae sententiae (quae potest esse excommunicatio, ut religiosi laici vel clerici minores illam non effugiant). In casibus gravioribus aut repetitis pro clericis in sacris reductio ad statum laicalem statuatur;

d) oporteret insuper *dimissione ipso facto* a statu religioso punire *apostasiam a religione* (can. 644 § 1) et *fugam* (can. 644 § 3), si ipsi religiosi delinquentes, frustra a Superiore iuxta normas can. 645 § 2 moniti, pertinaciter per annum extra domum religiosam manent;

e) cum media sic dicta « audiovisiva » perniciosiora videantur quam libri, si ideas contra religionem, fidem aut mores diffundunt, oporteret — servatis servandis — sanctiones adversus lecturam quorundam librorum prohibitorum etiam ad illa extendere.

4. Quod attinet ad exigentiam sub *b*) recensitam:

Efficaciam et practicitatem nostri systematis poenalis haud parum praepediunt multiplicitas et implexitas normarum, quibus applicatio et cessatio poenarum regitur.

In votis omnium est ut, quantum fas est, ipsi efficaciae consulatur adaequata simplificatione, ita ut iam perdifficile sit, confessariis et ipsis Superioribus intra huiusmodi labyrinthum normarum sese movere.

Quaedam revera sunt quae ex ipsa natura quorundam institutorum adeo profluunt ut nequeant resecari quin institutum ipsum iuridicum deformetur: ita v. gr. ob intimam et necessariam connexionem delicti cum peccato (actio debet esse moraliter imputabilis, can. 2195 § 1) fas non est abstrahere ab omnibus causis in imputabilitatem influentibus, etsi frequenter in praxi multis dubitationibus ansam praebeant.

Alia tamen possunt, quibusdam mutationibus adductis, simpliciora reddi; quoad tria sequentia capita simplificationem exoptamus:

a) *Quoad excusationem a poenis latae sententiae*:

Cum istae poenae, ex sua natura, incurrantur *ipso facto,* sine mini-

sterio iudicis aut Superioris, oportet ut pressius determinetur influxus causarum imputabilitatem attingentium. Quod facit can. 2229. Canon tamen rem aliquatenus implexam facit, et ob excusationem ex ignorantia ab illo admissam, sequitur in praxi ut poenae inutiles sint, cum rarissime incurrantur.

Fortasse sequenti, etsi rigidiore forma, potest canon reformari:

Praemissa dispositione paragraphi primae quoad ignorantiam affectatam, et distinctione *inter leges quae plenum dolum requirunt* (illae de quibus in § 2, quando nempe habent verba « praesumpserit », etc.) et *illas quae perfectum dolum* non requirunt (scil. quae verba illa non habent), ita potest statui:

— quoad leges quae perfectum dolum requirunt, manet dispositio actualis in § 2 enunciata, scil. quaelibet imputabilitatis imminutio sive ex parte intellectus, sive ex parte voluntatis eximit a poenis latae sententiae.

— § 3: si lex verba illa non habeat, et actio, non obstante imputabilitatis deminutione quacumque de causa proveniente, sic adhuc graviter culpabilis, poena latae sententiae incurritur sive medicinalis fuerit sive vindicativa.

b) *Quoad reservationem censurarum*:

Multiplicatio reservationum nimis implexam reddit absolutionem censurarum in foro interno, praesertim cum in hac re plura adsint privilegia. Optatur quaedam simplificatio, potest e. gr. ad duas tantum reduci reservatas S. Sedi: *specialissimo* et *speciali modo*. Ex iis quae simpliciter tantum sunt reservatae, graviora reserventur S. Sedi speciali modo; reliqua Ordinario.

c) *Quoad rationem procedendi*:

Etiam hic nonnulla reformanda videntur. In Codice duplex modus procedendi in irrogatione poenarum ferendae sententiae aut in declaratione poenarum latae sententiae indigitatur: *per processum iudiciale* et *per praeceptum* Superioris (« via administrativa »). Prima esset via *ordinaria,* quia magis consona exigentiis fundamentalibus iuris naturalis, sive in ordine ad certitudinem iuridicam facti delictuosi adquirendam, sive quia per illam magis consulitur iuri delinquentis ad propriam defensionem. Cum tamen ob sollemnitates processuales nimis implexa sit, hodie fere prorsus ablata est, aut in perpaucis tantummodo casibus applicetur. Altera esse deberet extraordinaria, quia etsi magis prompta ad crimina compescenda (nam moris et sollemnitatibus processualibus non praepeditur) et ad scandalum reparandum, nimis tamen tribuit arbitrio Superioris, cum nulla, vel minima, forma necessario servanda praescribatur in Codice, ideoque non semper sufficienter provideatur iuri naturali rei

ad propriam defensionem. Haud infrequenter aditum pandit iniustitiis vel arbitriis a spiritu legislationis canonicae quam maxime alienis.

His defectibus occurri potest:

— *authentice* et *taxative* determinando casus in quibus Superior sequi potest « viam administrativam ». Can. 1933 § 4 qui de hac re agit, insufficiens est quia aliquatenus confuse et incongruenter hanc materiam regulat, ut patet ex magna controversia apud auctores existente; nec spes adest fore ut sine authentica determinatione res pacifice solvatur.

— pressius statuendo conditiones et formam applicationis, cum adhibetur via administrativa, requisitis aliqualibus, etsi minimis, sollemnitatibus, quibus opportune provideatur sive iuri accusati ad propriam defensionem, sive rectae administrationi iustitiae, necnon excessivum arbitrium Superiorum temperetur.

— urgendo denique pro ceteris casibus applicationem processus iudicialis, utpote aptior ad implendas omnes exigentias iustitiae.

Omnia superius dicta quibus modernis conditionibus aptari intenditur venerandum systema poenale, quod tot perdurantibus saeculis, tam validum et efficax adiumentum ad fidei praeservationem, disciplinae conservationem, morumque restaurationem Ecclesiae Dei praebuit, plane erunt inutilia nisi accedat adaequata *populi christiani instructio,* qua ius, exercitium, sensus, iustificatio huiusmodi potestatis punitivae Ecclesiae, debito modo illustretur.

Excessivus igitur sensus individualisticus nostrae aetatis, qui profunde coinquinat etiam relationes hominis ad Deum, necnon exacerbatus amor propriae libertatis, qui hominem ab ipsa nativitate, omni auctoritati etiam religiosae infensum faciunt, omnem manifestationem coercitionis in rebus religiosis invisam, immo et fere odiosam, ipsis quoque clericis, reddunt, adeo ut quamplurimi, quod dolenter dicitur, etiam pertinentes ad statum clericalem, huic iuri Ecclesiae libenter valedicerent.

Quam maxime ergo necessarium est, ut oportunis instructionibus, cognitio, reverentia, et sanus timor erga leges Ecclesias eiusque potestatem coactivam mentibus cordibusque fidelium imprimatur.

II. Votum

Instaurata revisione libri V. C.I.C. aboleantur poenae iam obsoletae, statuantur quaedam novae, praesertim adversus violationes iustitiae socialis, fraudes administrativas, quaedam delicta contra sextum, apostasiam a religione, etc. Denique semplificentur normae quoad excusationem a poenis latae sententiae, quoad reservationem censurarum et quoad rationem procedendi in inflictione poenarum, melius definiendo obiectum, formam et conditiones quibus « via administrativa » adhibenda sit.

PONTIFICIUM INSTITUTUM
MUSICAE SACRAE

PONTIFICIO ISTITUTO DI MUSICA SACRA

Roma, 10 martii 1960

DE DIVERSIS QUAESTIONIBUS, MUSICAM SACRAM RESPICIENTIBUS, IN PROGRAMMATE COMMISSIONIS ANTEPRAEPARATORIAE CONCILII OECUMENICI VATICANI II, INSERENDIS.

Epistolae Circulari diei 18 iulii 1959 Secretariae Status Suae Sanctitatis respondens, uti Praeses Pont. Instituti Musicae Sacrae, consilio inito cum diversis entibus et scholis Musicae Sacrae orbis universi, et cum Senatu Academico eiusdem Pont. Instituti de Musica Sacra, honori et officio mihi duco exponere per summa capita quae sequuntur.

HIGINUS ANGLÈS
Praeses

I. DE MUSICA SACRA IN GENERE

1. Opus liturgico-musicale Concilii Tridentini maneat exemplum et exemplar novi Concilii.

2. In Concilio non sunt nova principia stabilienda nec nova cudenda decreta, cum satis superque sint quae novissimis annis a Sancta Sede emanata sunt; urget ut in praxim ipsa deducantur.

3. Nostris temporibus musicalis cultura est pars necessaria educationis civilis cuiusque Nationis; haud est privilegium ecclesiasticorum. Proinde Commissio liturgica ac diversae Commissiones praeparatoriae Concilii oblivisci non debent problemata musicae et artis sacrae nostro tempore agitata.

4. Inde ab anno 1945 inter liturgistas et artifices musicos discrimen magnum firmatum est ob vexatam quaestionem linguae vulgaris in liturgia solemni. Musici artifices adnituntur ut servetur patrimonium artisticum Ecclesiae eiusque lingua latina, ac vehementer exoptant ut ars musicalis digna sit gloriosa traditione Romanae Ecclesiae. Pernecesse est ut istud discrimen de medio tollatur, ut liturgica recens instauratio in tota sua pulchritudine eniteat.

5. Existit hodie vera anarchia sive in campo liturgico sive in regione musicali. Sub specie Pastoralis liturgicae servandae, liturgia romana deprimitur una cum lingua latina et musica sacra vera arte praedita.

6. Fere omnes fautores linguae vulgaris in liturgia solemni sunt contrarii Missae romanae, cum haec non sit « ideata » directe ad bonum populi, nec ab ipso intelligatur: videtur parari verus motus horum novatorum, qui in Patres Concilii influxum habeant.

7. Realis instauratio liturgico-musicalis haberi nequit quousque sacerdotes et religiosi non efformentur in musica sacra a magistris in hac arte bene peritis inde a primis annis educationis in seminariis et in scholasticatibus religiosis.

8. Ecclesia usque ad saec. XVIII creatrix et maecenas exstitit musicae sacrae; proh dolor! scientia huius artis nunc transiit in manibus acatholicorum.

9. Indices conficiendi sunt compositionum musicarum in archivis et bibliothecis ecclesiasticis asservatarum; eorum studium fovendum, earum publicatio procuranda.

10. Necesse est servare musicam sacram liturgiae orientalis, quae

generaliter solummodo oretenus transmittitur; fovendum studium cantus byzantini, in codicibus orientalibus asservati.

11. *Musica sacra in Missionibus.* Nil prodest concessio cantandi Missam lingua materna in regionibus missionalibus, ubi missionarii et clerus nativus nesciant quomodo illam canere debeant nec cognoscunt thesaurum musicale traditionale cuiusque regionis.

12. Cantus religiosus popularis, cum optime eligatur et ad artis peritiam canatur, fons efficacis vitae spiritualis semper erit, sive in templo sive in manifestationibus religiosis associationum, iuventutis catholicae, scholarum catholicarum, etc.

13. Ex iis quae dicta sunt clare apparet Musicam sacram, utpote partem necessariam cultus catholici et vitae christianae, locum suum obtinere debere in futuro Concilio. Sacrae Congregationes Rituum, Seminariorum, Religiosorum, Concilii, Orientalis et de Propaganda Fide, valde adiuvare possunt ad problemata de arte sacra nostris temporibus recte investiganda et solvenda.

II. DE CANTU GREGORIANO

1. Lingua latina in liturgia solemni et cantus gregorianus intime inter se connectuntur. Compositores Cantus gregoriani saeculis V-IX semper solliciti fuerunt de « cursu » et de accento tonico linguae latinae aetatis patristicae. Ut integre gregorianus cantus servetur in primitiva puritate, sacrum esto principium: « Quilibet textus liturgicus latinus propriam habens melodiam, numquam mutabitur ».

2. Ut cantus psalmorum servetur in sua puritate necessarium est quamlibet novam versionem latinam sive psalterii sive totius S. Scripturae fundari super latino ecclesiastico aetatis Patristicae.

3. Complenda est editio officialis librorum cantus liturgici (Liber responsorialis, Matutinarii, Processionarii, etc.).

4. Immo paranda editio magis critica et scientifica Gradualis Romani, cum musica medioevalis et studium notationis cantus gregoriani valde profecerit inde ab anno 1903 ad nostra usque tempora.

5. Omnino vetari debet cantus melodiarum gregorianarum Proprii et Ordinarii Missae et Officii cum textu vulgari.

6. Patrimonium musicum monodicum traditionale Ecclesiae sufficit pro omnibus necessitatibus cultus divini etiam nostris temporibus. Novi liturgici textus canantur super melodias veteres. Impossibile est novas invenire melodias typi diatonici et rythmi liberi, praeexistentes melodias egregie imitantes. At ubi aliquando Sancta Sedes concesserit novos textos canere cum melodia plus minusve chromatica, rythmo

mensurato, etc. uti sunt populares cantus, forsan artifices musici Ecclesiae propria libertate donandi sunt, absque necessitate obtinendi *Nihil obstat* a Sacra Congregatione Rituum.

III. DE INSTITUTIONE MUSICAE SACRAE IN SEMINARIIS ET IN SCHOLIS THEOLOGICIS RELIGIOSORUM

1. Musicae sacrae institutio in seminariis et in scholis theologicis religiosorum, iuxta recentiora S. Sedis decreta (*Instructio,* diei 15 aug. 1949, Litt. Enc. *Musicae sacrae disciplina* 25 dec. 1955, *Instr. S.R.C. de musica sacra et liturgica,* diei 3 sept. 1958) a perito magistro musico tradatur.
2. Institutio musicalis intime uniatur cum studio liturgiae et sacrae Scripturae.
3. Minime admittatur cantus melodiarum gregorianarum cum textu vulgari in liturgia sollemni, quae celebratur in ecclesiis Seminariorum, Scholasticatuum religiosorum, Collegiorum eccles. et Universitatum.
4. Chorum moderetur magister in re musica vere peritus et participatio actionibus liturgicis ab omnibus alumnis, minime a paucis scholam efformantibus, peragatur.
5. In omnibus Universitatibus catholicis, in quantum possibile, instituatur Facultas, seu Institutum, musicae sacrae provehendae et investigandae.

IV. DE ORGANISMIS AD MUSICAM SACRAM TUENDAM PONENDIS

1. In singulis Nationibus Adsociatio S. Caeciliae vel S. Gregorii fovenda vel instituenda est.
2. Plures adsociationes, quae in singulis Nationibus musicam sacram foveant, uniendae in unicum organismum nationalem, qui sub regimine Conferentiae Episcopalis musicam sacram promoveat in seminariis, scholasticatibus religiosis, collegiis, ac de necessitatibus communibus apud competentes Auctoritates sive ecclesiasticas sive civiles, sollicitus sit.
3. Apud sacram Congregationem Rituum instituatur peculiare Officium centrale, quod sic dictum motum liturgicum moderetur. Hoc officium organismos nationales ad liturgiam propagandam dirigat, super publicationes liturgicas invigilet, Congressus nationales et internationales de re liturgica vel musica sacra praesideat, decretorum sacrae C. Rituum observantiam urgeat, abusus, si qui irrepserint, de medio tempestive tollat.

PONTIFICIUM INSTITUTUM
ARCHAEOLOGIAE CHRISTIANAE

PONTIFICIO ISTITUTO
DI ARCHEOLOGIA CRISTIANA

28 aprilis 1960

Em.me ac Rev.me Domine,

Epistulam Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico celebrando, quam ex Civitate Vaticana die 18 iulii 1959, sub Prot. 2 C/59-13, ad nos mittere benigne dignatus es, examini et studio Magistrorum huius Instituti libenter subiecimus. Quorum sententias et vota breviter in adnexis libellis collata ad Te, Em.me Domine, mittere infrascripto honorificum est.

Interim rogo ut summae venerationis sensus accipere velis, dum, Sacram Purpuram osculatus, me profiteor

Eminentiae Tuae Rev.mae
observantissimum
et dev.mum in Christo
LUCIANUS DE BRUYNE

VOTA

Constat nobis in studio et in conservatione monumentorum primi aevi christiani (quorum scientia, nostris potissimum temporibus, tantum valet ut investigationes critico-historicae ab omni aberratione immunes evadant) ecclesiasticos viros paulatim gradu suo laicis et acatholicis cedere.

Videmus enim pedententim in publicis studiorum Universitatibus novas cathedras et nova Instituta de christiana archaeologia condi, necnon maximas et sumptuosissimas publicationes et studia de priscis monumentis christianis ab iis edi, cum in singulis dioecesibus fere nullus vir ecclesiasticus inveniatur qui in horum exploratione, illustratione vel conservatione cum laude versari possit, neque satis ipsi locorum Ordinarii curare videantur ut tales viri efformentur eorumque studia floreant. Quin immo non raro fit ut ipsum patrimonium ecclesiasticum graviora detrimenta capiat sive alienatione sive dispersione sive pessumdatione monumentorum quae maximi pretii liturgici, historici vel artis censeri debeant.

Vovemus igitur:

1) ut in iuvenibus ad sacerdotium instituendis studium monumentorum priscae christianae aetatis impensius foveatur;

2) ut qui eorum doctrinam tradere debeant vel eorum conservationi praeficiendi sint vel huiusmodi scientiarum pervestigationi aptiores se praebeant solide et vere scientifice efformentur;

3) ut urgeatur observatio eorum quae cann. 1497 § 2 et 1532 § 1, 1 (coll. S. C. Conc. 14-15 ian. 1922, ad 1) de rerum pretiosarum alienatione statuta sunt et severioribus sanctionibus muniantur;

4) ut ad eundem finem munus inculcetur et vigilantia excitetur Commissionum dioecesanarum quae sunt de arte sacra.

PONTIFICIA FACULTAS THEOLOGICA

S. BONAVENTURAE

ARGUMENTA SEU PUNCTA
PRO CONCILIO OECUMENICO VATICANO II

Ad normam Litterarum diei 18 iulii 1959, Prot. 2 C/59-8, Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico celebrando, ab Eminentissimo Praeside Cardinali Dominico Tardini nobis transmissarum, breviter hic exponuntur et illustrantur Puncta, seu Series quaedam Argumentorum quae, ex variis materiis dogmaticis, biblicis, moralibus ac iuridicis, disciplinaribus etc., ex parte consilii Professorum huius Pont. Facultatis Theologicae S. Bonaventurae in Urbe digniora vel opportuniora censentur proximi Concilii Oecumenici XXI, Vaticani II, Patribus proponenda pro congrua eorum, si videbitur, declaratione, solemniore affirmatione vel etiam definitione.

Plura Argumenta seu puncta eatenus hic proponuntur, quatenus iam a variis RR. Pontificibus hucusque, post Concilium Vaticanum I (1869-1870), in ordinarii Magisterii actis, epistolis, encyclicis, sermonibus plus minusve solemniter exposita ac vindicata, digna censentur quae, capta occasione, in subsequenti Concilio Vaticano II solemnius repetantur, declarentur vel etiam definiantur, ratione habita tum progressus scientiae theologicae eiusque problematum, tum actualium exigentiarum et errorum in praesenti societate serpentium, tum tandem opportunae revisionis vel integrationis normarum in campo liturgiae et disciplinae ecclesiasticae.

NB.: In sequenti Serie asterisco (*) notantur Argumenta, quae speciali *Voto* seu fusiore expositione theologica seorsim a singulis Professoribus enucleata sunt et heic adnexa prostant.

I - DOGMATICA

Ecclesiologia

1. *Auctoritas Magisterii ecclesiastici vindicanda*: *in cognitione et authentica interpretatione veritatis revelatae,* quae in duplici Revelationis fonte, S. Scriptura scil. et divina Traditione, continetur et quomodolibet enuncietur.

Opportuna videtur solemnior proclamatio iuris Magisterii Ecclesiae, sive extraordinarii sive etiam ordinarii, in hac conservatione, et authentica interpretatione ac propositione veritatum revelatarum, et simul clarificatio *relationis ipsius Magisterii* eiusque supremi interpretis R. Pon-

tificis *ad fontes ipsos Revelationis*: ubi iuge scandali et aequivocationum scholium, etiam modernis Protestantibus, occurrit.

Pro catholicis, etiam theologis, bene declarari potest transcendentia Magisterii praefati in Revelationis interpretatione relate ad quaslibet Exegetarum, quandoque tantum ad litteram seu corticem Scripturae addictorum, exigentias, anxietates vel repagula ex una parte, et ad faciles quandoque « dogmaticorum » theologorum interpretationes et dictata, ex altera parte. Haec quidem statuenda, quin eorundem Exegetarum et Theologorum labor et merita in propria sua provincia minuantur vel addubitentur; quinimmo suadendo ut utrique studiosi completiorem semper prosequantur verbi Dei revelati sensum, iuxta exegeticas et dogmaticas simul interpretationis vias, sub luce et ductu Ecclesiastici Magisterii.

*2. *Nova assertio identitatis conceptus verae Ecclesiae Christi, seu Catholicae, et Corporis Christi mystici, etsi cum variis gradibus pertinentiae hominum ad eandem Ecclesiam.*

Veritas haec, relate ad doctrinam Corporis Christi mystici, iam in schemate Patribus Concilii Vaticani I proposita (cf. *Coll. Lacensis,* VII, 567 ss.), solemniter declarabatur a Pio Pp. XII in sua Enc. *Mystici Corporis* (29 iun. 1943). Eadem doctrina supra enunciata semper actualis est: tum intuitu auspicatae unionis Ecclesiarum cum Romana, ubi unius Ecclesiae veluti unius Corporis Christi institutio et necessitas proclamanda est, tum ob momentum suum apologeticum respectu Protestantismi, qui unice invisibilem aspectum Ecclesiae effert. Cf. *Votum* n. 1.

*3. *De Episcopi persona, potestate et functione ecclesiastica, plenius et clarius definiendis.*

Quaestio ecclesiologica in Conc. Vaticano I inexpleta et semper actualis, ob suam quoque obscuritatem et defectus vel lacunas in manualibus scholasticis, quoad varia puncta opportune declarari possit, praesertim de successione et haereditate apostolica Episcopi, de eodem Episcopo sub aspectu sacramentali et iurisdictionali atque de eiusdem duplicis aspectus connexione, item de efficientia seu functione ecclesiastica Episcopatus, in se et relate ad Romanum Pontificatum. Cf. *Votum* n. 2.

4. *De relationibus interconfessionalibus, seu de communicatione in sacris cum Orthodoxis.*

Cum desiderium et studium unitatis iam generale evaserit inter ipsos catholicos, viae aperiendae sunt ad hoc desiderium erga Ecclesiam catholicam inter ipsos Orthodoxos promovendum. Quaedam cautiones disciplinares, hucusque vigentes, iam superfluae videntur et effectum contrarium producunt, ac proinde abolendae. Hinc liceitas et limites alicuius participationis in sacris cum illis utiliter statuendi.

De Deo creante et elevante

*5. *Absoluta transcendentia, supernaturalitas et gratuitas gratiae, seu totius ordinis supernaturalis respectu cuiuslibet exigentiae naturae creatae et credibilis.*

Auspicanda solemnis confirmatio doctrinae, exacti conceptus et transcendentiae τοῦ supernaturalis, prout in pluribus documentis Magisterii ecclesiastici (Enc. *Pascendi, Humani generis,* etc.), idque contra recentiorem quoque tendentiam aliquorum theologorum considerandi ordinem supernaturalem veluti evolutionem et complementum logicum, necessarium, naturalem, et quidem entitative, operative, exigitive (physice vel moraliter), ipsius naturae creatae, praevertendo distinctionem entitativam et absolutam inter duos eosdem ordines (cf. H. de Lubac, *Surnaturel,* 1946).

Supernaturale absolute transcendit naturam, licet non excludat huius capacitatem elevationis (potentia oboedientiali) atque naturam ipsam, cui inseritur, elevando perficiat. Est doctrina fundamentalis totius oeconomiae divinae in mundo et ipsius theologiae, firma sartaque proclamanda. Qua etiam opportune in praxi ascetica provocatur fidelium attentio et nova consideratio ad summam Dei liberalitatem, ad pretium et valorem rectius aestimanda elevationis suae ad divinae naturae consortium filiationemque Dei adoptivam atque ad supernae haereditatis adeptionem. Doctrina haec, saepius in divina Revelatione et in documentis ecclesiasticis, etiam contra praeteritos errores, inculcata, clarius ac solemniter asseratur vel ex proposito definiatur. Cf. *Vota* nn. 3 et 4.

*6. *Assertio vel definitio dogmatica Monogenismi,* seu « de communi totius humani generis origine ab uno Adam », prout in praeparato schemate ipsius Concilii Vaticani I habebatur.

Veritas haec, fundamentalis in primis S. Scripturae narrationibus et factis de origine et historia humani generis, item in communi divina Traditione et in universo dogmate christiano, relate ad doctrinam et consequentias tum peccati originalis tum divinae Redemptionis, est exacte Monogenismus, ubique in Ecclesia praesuppositus et a Pio XII iterum revocatus (*Humani generis,* 1950, Ench. Bibl. 617).

Opportuna videtur solemnior huius veritatis assertio vel definitio, contra erroneas theorias etiam in hodiernis virorum scientiae inquisitionibus latentes vel explicitas: quo facto cordatis viris eorumque inquisitionibus, magis quam obstacula, lux potius et securae directivae ex authentica interpretatione divinae Revelationis afferri possunt.

Declaratio doctrinae potest fieri, vel reprobatione Polygenismi per interpretationem authenticam Conciliarem, et quidem « directam », tex-

tuum S. Scripturae (*Gen.* 1-2; *Rom.* 5, 12-19, etc.; cf. *Conc. Trid.*, Sess. V, can. 1-4), vel etiam ipsam doctrinam catholicam directe proponendo ac definiendo, et inserendo in expositione doctrinali Concilii praecipua verba et textum Encyclicae *Humani generis,* satis determinata et perpensata. Cf. *Votum* n. 5.

7. *Singulorum hominum anima, a Deo creata, natura sua spirituali, immortalis est et ad aeternam destinationem a Deo praeordinata.*

Animae humanae creatio immediata a Deo eiusque in corpus infusio, quae tamquam doctrina fidei revocatur in Enc. *Humani generis,* iterum asseri vel definiri potest una cum suo spiritualitatis et immortalitatis complemento seu destinatione: quae coniuncta veritas ad nobilitatem originis et ad nobilissimam eius naturam et destinationem, seu perennitatem beatam vel infelicem homines hodiernos revocabit, firmo ita statuto fundamento dogmatico contra quamlibet conceptionem materialisticam quae hominem brutis, machinae vel materiae in seipso et in sua vita, actibus, usu et termino assimilare nititur.

*8. *De recta unione et unitate hominis cum Deo in actuali Corpore mystico vel in futura gloria vindicanda* (contra quendam « Mysticismum » pantheisticum).

In quorundam loquendi modo circa animae gratia elevatae cum Deo consortium, in praesenti vita vel in futura gloria, vel circa unitatem actuandam in Corpore Christi mystico, expressiones deprehenduntur quae, influxum directum vel indirectum philosophiae recentioris, vel falsi mysticismi redolentes, ad pantheisticam rerum conceptionem accedunt: quasi scilicet possibile esset creaturis ad quid unum essentiale cum natura vel operatione divina, vel cum divinis Personis, seu peculiariter cum Verbo in Christo constituendum — sive in vita praesenti sive in futura — devenire, vel quasi de facto ad talis rationis unionem deveniretur (cf. Pii XII, Enc. *Mystici Corporis*).

Optandum igitur videtur, ut supremo Ecclesiae Magisterio recta doctrina, saltem in forma negativa, et essentialia respiciendo, una vel altera forma proponatur. Cf. *Votum* n. 6.

Mariologia et Iosephologia

9. *Maternitas spiritualis et universalis Mediatio B. V. Mariae.*

Etsi minime necessaria videtur definitio novorum dogmatum marialium, ex progressu tamen Mariologiae et conscientiae Christifidelium circa momentum primariumque locum B. Virginis Deiparae in vita spirituali, quod etiam generali Consecratione mundi Cordi eius immaculato comprobatur, utile videtur ex pluribus et frequentioribus ordinarii

Magisterii ac praesertim RR. Pontificum documentis doctrinalibus praecipua solemniter revocare et conciliariter inculcare.

Inter haec vero primariae veritates videntur esse, quae *factum* universalis Mediationis gratiarum et spiritualis Maternitatis marialis asserunt. Fundamentalis propterea est B. Virginis Deiparae consociatio, a Deo statuta, in universa oeconomia et opere salutis humanae, Eiusque primarius locus et officium in Corpore Christi mystico: quo facto, una cum Verbo Incarnato, privilegiata ac pura Creatura a Deo assumitur socia, qua Mater et Salvatrix filiorum suorum ac fratrum adoptivorum ipsius Christi Capitis ac Redemptoris.

Quae assertio Conciliaris de munere mediativo ac materno Deiparae vix displicere potest ipsis Dissidentibus christianis, cum clare affirmetur in antiqua utriusque Ecclesiae, orientalis scil. et occidentalis, traditione; quinimmo, auspice ipsa Deipara ita agnita universae Ecclesiae Matre ac Mediatrice, facilius impetrari ac promoveri potest auspicata Ecclesiarum unio.

10. *De praecipua S. Iosephi dignitate ac missione post B. V. Mariam in Ecclesia.*

S. Iosephi, Christi patris putativi ac Deiparae Sponsi virginalis, universalis Ecclesiae Patroni, singularis dignitas, missio et ratio praecipui cultus, qui bene « proto-duliae » audit, opportune hodie proclamari potest, progressu praesertim considerato scientiae sacrae (Iosephologiae) de tanti Ecclesiae Patroni sanctitate et meritis ac transcendenti fere dignitate inter Sanctos.

Dogmatica ipsa assertio huius dignitatis, praeparare seu et iustificare quodammodo valeat ampliorem cultum qui, ut ex alia sectione scil. liturgica, ab eodem Concilio decerni possit ipsi augustissimo Sancto (cf. infra, n. *39).

De Matrimonio

11. *Indissolubilitas Matrimonii rati et consummati.*

Etsi doctrina ab omnibus in Ecclesia admissa, propter hodiernas tamen tendentias et studia quocumque modo minuendi vel dissolvendi stabilitatem sacri instituti matrimonialis, etiam sic dicto « parvo divortio », opportuna censeri potest nova Ecclesiae proclamatio et confirmatio, a recentioribus RR. Pontificibus item inculcatae doctrinae, scil. absolutae indissolubilitatis Matrimonii: idque valide contra serpentes errores apertamque divulgationem materialisticam et naturalisticam neopaganismi.

12. *Nova affirmatio principiorum generalium fidei et moralis catho-*

licae de finibus et usu Matrimonii, pro moralitate et sanctitate coniugali ubique tuenda.

Opportuna videtur huius doctrinae catholicae inculcatio, respectu habito gravium abusuum itemque serpentium errorum in hodierna communi societate atque inter ipsos catholicos, praesertim per sic dictum « birth control ».

Quo ausu progreditur error et praxis peccaminosa, eodem intuitu ac necessitate iuverit inculcare sanae doctrinae principia: hinc inculcatio moralitatis et sanctitatis Matrimonii plurimos retrahere poterit a malo, malitia vel humana fragilitate et ignorantia delinquentes.

II - BIBLICA

13. *Declaratio Inspirationis et Inerrantiae biblicae in contextu hodiernorum studiorum et problematum.*

Licet tamquam dogma fidei sit communiter admissa utraque veritas (praesertim Inspiratio, ex *Conc. Vatic. I,* Sess. III, can. 2, EB 79), eadem tamen doctrina, etiam coniuncte, comprobari et inculcari potest ampliore formula respectu praesertim habito ad hodierna studia et nova quoque problemata critica, specialiter de progressiva quadam ac multiplici redactione et completione idearum eiusque Libri sacri.

Breviter scil. hic respicitur quaestio de pluralitate Auctorum et scriptorum, qui (v. g. pro Pent., *Is., Ez.*), distincto ac successivo tempore, redegissent aliquos libros sacros, reordinando, addendo etc., antequam Libri ipsi consignarentur et canonice agnoscerentur tamquam sacri; item, quaestio de sic dictis « relecturis biblicis » seu additamentis posterioribus, quae compleverint textum vel etiam sensum evolverint praesertim visione rerum messianica (v. g. *Ps.* 21 [22], vv. 1-27 et 28-32). Hinc quaestio de multiplici subiecto Inspirationis relate ad confectionem eiusdem libri sacri et ad progressum Revelationis in eodem.

Item agi potest de clarius proponenda Inspiratione et Inerrantia biblica in usu ex parte Hagiographi Generum litterariorum, praesertim historicorum, didascalicorum et poeticorum, et relate ad sic dictam historiam formarum.

14. *Exsistentia et valor sensus litteralis plenioris in S. Scriptura.*

Post plura recentiora studia, opportuna foret quaedam dilucidatio orientativa quoad sic dictum sensum pleniorem, in ipso sensu litterali implicitum et veluti eius progressivam penetrationem ex parte Ecclesiae sub luce et ductu tum Traditionis Patrum, tum Magisterii. Sensus

quidem a Deo bene intentus et provisus, etsi subobscure, antiquioribus Revelationis temporibus, atque bene connexus, non autem excedens munus Ecclesiae interpretandi S. Scripturam.

15. *De immutato valore criteriorum dogmaticorum interpretationis biblicae, respectu criteriorum historico-criticorum.*

Traditioni consentanea videbitur confirmatio integri valoris Magisterii Ecclesiae, quo S. Scriptura in rebus fidei et morum interpretanda est iuxta sensum ipsius Ecclesiae. Idem valere potest de unanimi consensu Patrum, ubi tamen utiliter et clare Concilium distingueret traditionem vere exegeticam Patrum, potioris momenti, ab exegesi dogmatica in ipsis textibus biblicis ab eis interpretatis vel adhibitis (cf. Leonis XIII documenta in *EB.* 111, 141, Pii XI, *ib.* 501, et Pii XII, *ib.*, 565).

Fundamentalis et primarius usus criteriorum litterariorum et historicorum, ad exactum sensum litteralem documentorum biblicorum attingendum inculcetur, subordinatus tamen, quoad integram sacramque verbi divini perceptionem, ad Ecclesiae sensum.

Amplissimus S. Scripturae usus, etiam extra ambitum sensus stricte litteralis, in Ecclesiae liturgia et praedicatione, vel in apologetica et dogmaticis Patrum expositionibus factus, non opponitur rectae verbi Dei expositioni, sed confirmat potius perpetuam ipsius S. Scripturae utilitatem ad omnia et multiplicem fructum Christifidelibus iugiter percipiendum; etsi vitanda est ac reprobanda inconsiderata quaedam exegesis spiritualior vel symbolica (cfr. *Humani generis, EB.* 613).

16. *Magis practica quaedam, relate ad S. Scripturae studia, quae a Concilio attingi, declarari, permitti poterunt:*

a) de valore decretorum Pont. Commissionis Biblicae;

b) generalis permissio S. Scripturae Professoribus vel studiosis legendi plurimas commentationes et studia auctorum acatholicorum de re biblica (derogando *CIC.*, can. 1399-1402);

c) item, permissio alicuius collaborationis in campo biblico pro studiosis S. Scripturae cum exegetis acatholicis ad eliminanda praeiudicia scientifica, et pro scopo recti oecumenismi;

d) programma studii biblici, seu continuatae lecturae et expositionis integralis Bibliae pro alumnis Theologiae; et ordinatio specialis Cursus synthetici Theologiae Biblicae pro integrali eius cognitione (post studia fragmentaria praecedentia) in se ipsa, in usu dogmatico, pastorali et apologetico: Cursus quidem copiosus in V anno Pastorali omnibus seminariorum alumnis providendus ac praescribendus. Cf. infra, n. 62.

III - MORALIA-IURIDICA

*17. *De morali obligatione simul cum humana libertate sancte servanda.*

Contra erroneum praesuppositum quorundam modernorum, acatholicis et atheisticis faventium, quod plenior promoveatur spontaneitas, libertas et meritum actionis humanae si a Dei praeceptis et a quacumque obligatione morali praescindatur in urgenda boni consecutione.

Quod utiliter etiam declaretur, perennis scil. valor obligationis moralis, contra falsam quandam mysticismi conceptionem, inter catholicos, de puriore amore caritatis in Deum tuendo ac promovendo, si praescindatur ab illa morali obligatione praeceptorum cum connexa sua poenarum vel praemiorum sanctione. Cf. *Votum* n. 7.

18. *De Ethica situationis reprobanda.*

Inculcato perenni valore praeceptorum Moralis christianae, et normarum essentialium de conscientia et de moralitate actuum humanorum, reprobentur errata principia et conclusiones sic dictae « Ethicae situationis ». — Cf. A. Poppi, O. F. M. Conv., *La " Morale di situazione ". Esposizione e critica* (Roma 1957, ex ephem. *Miscell. Franc.*; 8° gr., pp. 130).

19. *De Educatione sexuali iuventutis.*

Item, ex pluribus documentis pontificiis revocare praestat praecipuas moralitatis normas consequentesque errores circa sexualem educationem iuvenum sub variis formis.

Certis pariter normis praecavenda iuvenum corruptio per moderna inventa et atheistica vel naturalistica principia. De nudismo reprobando.

20. *Plura alia moralia applicata modernis usibus et inventis* inculcari et declarari possunt:

praesertim circa moralem professionalem, in quaestionibus medico-pastoralibus etc. Quae doctrinae catholicae capita in recentioribus documentis pontificiis saepius tacta vel inculcata sunt, atque ex eisdem praecipua a Concilio enucleari poterunt.

*21. *Desiderata revisio ac reductio gravioris obligationis moralis variis legibus mere positivis ecclesiasticis adnexae.*

Non agitur quidem de legibus divinis, ordinis naturalis vel positivi, sed de variis legibus mere Ecclesiasticis, quibus gravior obligatio moralis inest, quae vel in seipsis quoad numerum vel saltem quoad gravitatem obligationis, sub peccati mortalis poena, reduci possunt. Plura sunt haec praecepta Ecclesiae, vel ecclesiasticae legum divinarum determinationes, tum quoad omnes fideles tum quoad ecclesiasticos viros seu

Sacerdotes: v. gr. gravis obligatio adsistentiae Missae festivae, de non legendis libris ab Ecclesia prohibitis, prohibitio adscriptionis quibusdam Sectis politicis (Partiti), ieiunium et abstinentia praescriptis diebus; item obligatio sub gravi (pro ecclesiasticis viris) quoad recitationem Breviarii seu vel unius minoris Horae canonicae, pro Chori recitatione, pro habitus et tonsurae delatione, pro assistentia certis spectaculis, etc.

Disciplina Ieiunii naturalis stricte servandi pro Missae celebratione vel S. Communionis receptione a dimidia nocte, quae prius sub gravi urgebat, hodie omnino mutata est. Ita quoque plures praescriptiones Constitutionum generalium Ordinum religiosorum, praeter vota eisque adnexa, hodie praesertim ex iurisprudentia ecclesiastica et praxi S. C. Religiosorm ad poenam tantum obligant. Idem ergo fieri possit in pluribus casibus ex revisione quadam generalis legislationis ecclesiasticae: hoc utique principia moralia et iuridico-moralia praeservando, ac praesertim finem socialem legis. Cf. *Votum* n. 8.

*22. *Simplificatio ac reductio instituti poenalis Ecclesiae, in Codice ipso Iuris Canonici.*

Proponitur scil. revisio quaedam integralis Libri V Codicis I. Can., ita ut ibidem disposita ac praescripta ad pauciora et essentialia omnino reducantur quoad rem, et ad breviorem, simpliciorem ac clariorem formam quoad denominationes et conditiones appositas.

Omnibus enim notum est plurimam esse et maxime variam iurisprudentiam illius Libri V Codicis, quae confusiones et errores saepe inducit, et praecipue in Confessionibus audiendis incertitudines et plura obstacula secumfert ex parte poenitentium et ipsius Confessarii, qui, etiamsi expertissimus, difficile etiam ea omnia mente retinere valet. Plura quoque videntur obsoleta, v. g. quae de Interdictis personalibus vel et localibus statuuntur.

Reduci possunt poenae medicinales soli Excommunicationi; reservatae, soli Apostolicae Sedi reserventur, pro paucioribus casibus; simplificetur, nisi et aboleatur, reservatio peccatorum; facilius absolvantur fideles, bene dispositi, a quolibet peccato et censura in prima eorum accessione ad confessionem, etc. Cf. *Votum* n. 9.

23. *An opportuna censeatur revisio quaedam usus et extensionis Indulgentiarum?*

Etsi Ecclesia largior iugiter fuit, post antiqua et medii aevi tempora, in concessione Indulgentiarum, reductio quaedam et clarior determinatio etiam conditionum pro eisdem lucrandis maiorem forsan existimationem apud fideles et Clerum conciliare videbitur.

24. *Libera facultas cuilibet Sacerdoti recipiendi confessiones aliorum Sacerdotum et Clericorum ubique locorum.*

Utique servato can. 884 (absolutio complicis), haec facultas opportune concedatur in bonum ipsorum Sacerdotum, generaliter, pro sanctiore Missae et Sacramentorum administratione, atque praesertim ubi solus sit poenitens Sacerdos vel desit facilis accessio vel copia confessariorum. — Recens Synodus Romana (a. 1960) iam provide quaedam in hac re disposuit.

25. *Integratio can. 883, § 1*: « Sacerdotes omnes maritimum *aut aërium* iter arripientes... », confessiones audire queant, iuxta Pii XII decr. *Animarum studio*, 16 dec. 1947 (in A.A.S. 40, 1948, 17).

26. *Simplificatio legum Ieiunii et Abstinentiae, earumque uniformatio ubique locorum.*

Clarior et communis ubique fiat quaedam norma de propria natura Ieiunii et Abstinentiae. Ieiunium scil. respiciat tantum quantitatem, Abstinentia vero qualitatem ciborum. Quod valeat in qualibet natione et ubique in Ecclesia, plane uniformata eorum observantia. Hinc ad dubia praecavenda serventur in can. 1251, § 1, verba: « ciborum quantitatem », sed auferantur « et qualitatem »; vel, si fieri potest, melius quoque determinetur ipsa quantitas et modus concretus et obiectivus servandi Ieiunium ecclesiasticum.

Cetera, quoad determinationem Vigiliarum, iuxta recentiora pontificia decreta, aptentur.

*27. *Uniformitas iuris et disciplinae quoad puncta quaedam essentialia in Ecclesia Latina et Orientali inducenda.*

Opportuna videtur, praesertim si Patres Conciliares Ecclesiarum Orientis Apostolicae Sedi uniti facile consenserint, uniformitas iuris et disciplinae circa quaedam puncta maioris momenti: veluti quoad *Impedimenta matrimonialia*, quoad *Ieiunii* dies et normas, quoad *Festa* ecclesiastica, etc. Quae si communi studio et consensu libenter fiant, bene favere possunt intimiori unioni et conciliationi utriusque Ecclesiae, incongrua quoque vitando in locis ubi simul exsistant fideles utriusque Ecclesiae et ritus. Cf. infra, n. 42. Cf. *Votum* n. 10.

*28. *De Ecclesiis Orientalibus unitis in sua nativa indole servandis.*

Etsi, ut praefertur, uniformior iuris et disciplinae communio desiderari potest inter utrasque Ecclesias, Latinam et Orientales unitas, sancte tamen videntur servandae esse et tuendae, in ambitu communionis catholicae, legitimae Orientalium traditiones et characteres liturgici, canonici, immo theologici et culturales proprii: idque ex peculiari suo momento ecclesiologico, apologetico et psychologico, iuxta egregia ipsius Leonis XIII dictata (Litt. *Orientalium dignitas*).

Porro, si quaedam in eisdem Ecclesiis Orientalibus introducenda vel suadenda sunt, ut communis progressus bonum et patrimonium ca-

tholicitatis, suo ipsi genio aptentur et in suam compaginem ecclesiasticam ab eisdem assimilari sinantur. Cf. infra, n. 42 et 43. Cf. *Votum* n. 11.

29. *De dignitate Cardinalitia cum Episcopali consecratione coniungenda.*

Perpensa perinsigni S. R. E. Cardinalium dignitate, iugiter magisque in Ecclesia refulgente, necnon pluribus eorundem privilegiis supra ipsam dignitatem Episcopalem (cf. can. 239, § 1), quaeri vel proponi potest an, etsi considerata remota et primaeva Cardinalatus origine atque item servatis tribus historicis ac liturgicis ordinibus in Sacro Collegio, opportune omnes Em.mi Patres generali lege evehantur ad Episcopalem consecrationem et dignitatem (cf. can. 232, § 1).

30. *De bonis immobilibus Ordinum religiosorum suppressis.*

Circa bona immobilia, veluti domus, ecclesias et oratoria, aedificia scholastica et similia, iniuste suppressa seu ab auctoritate civili Ordinibus et Congregationibus religiosis aliisque Entibus ecclesiasticis usurpata in variis nationibus, etiam recentioribus temporibus sub Communistarum ditione, proponitur quod eorundem bonorum proprietas ipsis Institutis ab Ecclesia vindicetur, eisque suo tempore integre restituantur, nisi praefata Instituta libere et explicite iuri suo renuntient.

IV - LITURGICA

31. *Celebratio Missae vespertinae libere ubique concedenda.*

Revocatis recentibus concessionibus Ecclesiae in re, perspectaque experientia de faciliore et frequentiore populi assistentia Missis vespertinis etiam diebus ferialibus, legislatio canonica iam aptanda factis videtur: ita ut libere concedatur facultas omnibus Ecclesiarum et Oratoriorum rectoribus unam celebrandi quotidie, si velint, Missam vespertinam.

Cui Missae sacrificio, si sacra Benedictio seu « Functio », quae dicitur, addatur et congruis caeremoniis, precibus et sacra praedicatione condecoretur, non diu equidem protrahendis, optima quoque frequentia sacris hisce actibus, hucusque saepe desiderata, obtinebit.

32. *Sacra Communio fidelibus vespere distribuenda.*

Cum praefata liberiore celebratione Missae vespertinae, novissima concessio largioris distributionis S. Communionis fidelibus aptetur.

33. *Iusta facultas Sacerdotibus celebrandi horis vespertinis.*

Satis quoque videtur commodum et conveniens, ut cuilibet Sacerdoti, qui nequiverit iusta de causa mane celebrare, facultas libera concedatur id vespere seu qualibet hora pomeridiana agendi; hoc vero etiam

in ecclesia vel Oratorio ubi alter Sacerdos consuetam Missam vespertinam est celebraturus.

34. *Celebratio Missae sine ministro inserviente.*

Opportune auferenda videtur generalis prohibitio pro Sacerdotibus vigens Missam celebrandi « sine ministro qui ei(s)dem inserviat et respondeat » (cf. can. 813, §§ 1-2). Melius ac generaliter idem permittendum, cum sufficiens adsit causa: in defectu scil. ministri vel fidelium assistentium, certis praecipue in locis et horis.

Qua concessione non difficile servari videtur conceptus et ratio sacrificii publici, semper eidem Missae celebrationi inhaerentis.

35. *Reformatio et correctio Breviarii Romani.*

Omnibus bene accepta recenti simplificatione Piana Breviarii, bene adhuc desideratur integralis eiusdem revisio, correctio et reformatio, quae iamdiu apparari noscitur vel dicitur. Ad hanc rem, quod spectat, sequentia adnotare placet:

a) *Reformatio.* Bene servato traditionali schemate vel ordine Horarum canonicarum, earum textus satis breviari queunt, conglobatis quoque quibusdam Horis: veluti unico Nocturno unicoque diurnali officio seu Horis a Prima ad Nonam, ita ut fere tres maiores Horae vel partes in Breviario habeantur: Matutina vel diurna; Vespertina (Vesperis cum brevi Completorii conclusione unitis); et Nocturna (Matutinum cum brevi appendice vel conclusione Laudum);

b) *Correctio.* Nova praefata forma vel reductione acta, revisio seu historica correctio textuum praecipue Lectionum Matutini perfici potest, pluribus superfluis vel dubiis omissis, ceterisque ad quoddam breve et aptum schema redactis. In Lectione Sancti exacta data vitae et effigies veluti spiritualis eiusque momentum enuncientur;

c) Ad *Psalterium* quod attinet, iuxta Gallicanam veterem vel novissimam Pianam recensionem sequendam, non inopportuna videbitur libera Patrum Concilii optatio secreto voto exposcenda et universae imponenda Ecclesiae, ad incommoda plura libertatis, etiam editorialis, hucusque habita, vitanda.

Qua generali statuta Breviarii Romani reformatione, generalis aptatio et revisio *Proprii* cuiuscumque *Ordinis religiosi* imponenda, iuxta easdem normas.

36. *Aliorum Librorum liturgicorum et « Martyrologii » revisio.*

Una cum Breviarii reformatione, aliorum quoque librorum liturgicorum revisio suscipienda, et praesertim « Martyrologii Romani » correctio et vera saepius textuum breviatio (omissis superfluis notis historicis et etiam frequentibus duplicatis), iuxta plurium Liturgistarum studia et desiderata hac in re.

37. *De Calendario Perpetuo in Liturgia ecclesiastica.*

Bene perpensis historicis rationibus Calendarii festorum mobilium hucusque vigentis, et simul commodis Calendarii Perpetui, si introducatur in ipsa Ecclesia et in qualibet civili societate, satis opportuna videtur exploratio quaedam praevia mentis Patrum Concilii hac de re. Ex quo studio et exploratione quid inde agendum videatur ex parte Ecclesiae melius forsan patebit, etiam in relatione ad quaestionem ab aliis iam motam et forte continuandam in congrua sede consilii Nationum.

Simplicior quoque quaestio fieri potest, ceteris nunc omissis, de fixatione Paschatis ex parte Ecclesiae certis diebus ineuntis Aprilis, ut plures autumant. Cf. quaedam in *Voto* n. 10.

*38. *De sacrarum Reliquiarum recensione.*

Notum est post plurima studia non paucas Martyrum reliquias, quae praesertim in particularibus ecclesiis coluntur, minime esse authenticas, sed potius communium defunctorum exuvias. Error in eisdem reliquiis discernendis saepius saec. XVII et deinceps irrepsit ob imperitiam interpretandi certas quasdam epigraphes aliaque signa antiqua, vel ob abusivas interpolationes factas in praefatis inscriptionibus studio comparandi antiquas reliquias pluribus ecclesiis.

Constat pariter plures passim in ecclesiis adhuc retineri miras reliquias ipsius Christi, B. Virginis aliorumque Sanctorum veteris vel novi ineuntis Testamenti.

Si Concilii Patribus res opportuna videbitur, specialibus institutis Commissionibus peritorum pro variis regionibus episcopalibus, recensio quaedam generalis statui possit Ss. Reliquiarum, deque earum statu, authenticitate et gravitate prudenter provideri. Cf. *Votum* n. 12.

*39. *De S. Iosephi cultu in Ecclesia amplificando.*

Melius hodie considerata agnitaque singulari dignitate S. Iosephi, patris Christi putativi et virginalis B. Mariae Sponsi, pretii meritum reputatur dignior eidem assignatio cultus in sacra Liturgia. Laudabilis videtur declaratio et affirmatio cultus proto-duliae, tamquam primo Sanctorum, pro arctiore eius communione vitae, mentis et dilectionis cum Verbo Incarnato et cum sanctissima Virgine Deipara; item congrua insertio Eiusdem nominis in Canone Missae, et prior locus, post Deiparam, in aliis actibus et textibus liturgicis. Cf. *Votum* n. 13.

40. *De intimiore participatione fidelium sacrae Liturgiae.*

Attentis recentioribus documentis Magisterii Ecclesiae de re liturgica quoad Sacerdotes et fideles, opportuna videtur quaedam Conciliaris confirmatio essentialium principiorum, ex eisdem documentis hausta et compendiata, hac in re, relate ad Sacerdotis munus et actus ex una parte,

et ad intimiorem et activam, quae dicitur, fidelium participationem eisdem sacris, ex altera parte.

41. *Quaestio de usu linguae vernaculae in Missa celebranda, partim vel integre concedendo.*

Nota quaestio inter Patres Conciliares agitari saltem potest et eorum sensus exquiri. Usus linguae vernaculae, saltem partialis pro certis precibus et sacris lectionibus, in variis nationibus fore videtur optimum argumentum contra sic dictas « ecclesias nationales »; item, in aliis ditionibus, ubi simul versantur ritus latini et orientalis fideles, maior habitura censetur uniformitas cultus, cuius actualis defectus vix a latinis Christifidelibus intelligitur.

Qua in re certius meliores iudices erunt cuiusque nationis Pastores Oecumenico Concilio adstantes.

42. *De frequentiore Liturgiae celebratione et S. Synaxis usu in Ecclesiis Orientalibus Unitis.*

Bene perpensa historia frequentioris usus S. Communionis et evolutionis cultus divini in Ecclesia occidentali, praesertim quoad peculiares devotiones in Christum eiusque Cor sacratissimum, in B. Virginem aliosque Sanctos, per institutas sic dictas « Functiones » aliosque actus liturgicos vel paraliturgicos: res divinae apprime voluntati consentanea, item ad spiritualiorem vitae Sacerdotum et fidelium progressum, aptissima atque foecunda florum sanctitatis videtur, si etiam inter Catholicos Orientales frequentior promoveatur divinorum celebratio.

Quod quidem obtineri potest frequentiore vel etiam quotidiana Missae celebratione ex parte Cleri; frequentiore S. Communionis receptione ex parte fidelium, ac praesertim Clericorum, rituum orientalium (quo facto veluti inter ipsos Orientales provida S. Pii X reformatio pro frequenti ac quotidiana Communione introducatur, cum omnibus ab eodem Pontifice praenuntiatis expertisque sanctitatis beneficiis); introductione tandem Benedictionis vespertinae cum SS.mo, saltem diebus festis, et peculiarium quarundam Devotionum in Christum et B. Virginem.

Haec tamen omnia (quae maiorem vitae et cultus unitatem promovere valent inter utramque catholicam Ecclesiam, orientalem scil. et occidentalem, et quae optimo hoc eodem exemplo ferventioris vitae liturgicae et moralis allicere potest vel ipsos Dissidentes fideles catholicitati: cf. supra, n. *27) fraterne prudenterque cum libera discussione, consensione et acceptatione Patrum Orientalium disceptari et statui debent.

43. *Conciliare exsistimationis et venerationis obsequium erga Ecclesias Orientales.*

De relationibus inter utramque Ecclesiam, Latinam nempe et Orientalem agendo, vel occasione quaestionis Oecumenicae vel etiam rei litur-

gicae, valde congruum videtur ut Concilium, ipsam unionem cum Dissidentibus modo perficere non valens sed volens tamen eam praevenire et parare intendens, opportunam declarationem et libentissimam obsequium publice tribuat aestimationis, reverentiae ac peculiaris dilectionis seu fraternitatis erga omnes Orientales Ecclesias eorumque Antistites sacerdotio et eorundem Sacramentorum participatione, communi plerumque fide, insignibus meritis, venerandis ritibus et traditionibus vere Latinorum germanos.

Concilium ipsum praevios quosdam gressus considerare possit praemissasque quasdam ponere pro intensiore ineundo « colloquio » vel et cooperatione cum Orientalibus pro communi hodiernae societatis bono et contra communes christiani nominis adversarios materialistas.

Idem forsan effici potest erga plures *Protestantium ecclesias,* eas praesertim quae viciniores catholicitati censentur. Cf. supra, n. *28.

V - DISCIPLINARIA, ASCETICA, IURIDICA, SOCIALIA

44. *De Vocationibus ecclesiasticis libere perquirendis fovendisque.*

Grave videtur problema ubique fere notum et urgens, certis normis et providentiis a Concilio perspiciendum:

a) una cum Opere Vocationum generali, specialis cura habenda est de *vocationibus* quoque sic dictis *tardivis,* intensificata opera et fructuosa experientia in variis nationibus ac dioecesibus, praesertim extra Italiam, hucusque facta. Non abs re foret erectio unius vel plurium Seminariorum et Collegiorum religiosorum in qualibet natione, speciali cura et vigilantia ipsius S. Congr. de Seminariis (respective S. Congr. Religiosorum) prosequenda;

b) cum satis constet interdum vel saepe in aliquibus Dioecesibus certos limites vel etiam prohibitionem ab Episcopis hodie fieri *Religiosis Ordinibus* in perquirendis colligendisque sacris Vocationibus propriis Institutis, idque evidenter recta intentione crebriores vocationes suis comparandi *Seminariis dioecesanis;* cum tamen satis quoque patet, experientia teste, tali inconsulta methodo potius adimi vocationes tum religiosis Ordinibus tum Clero dioecesano: Conciliaris norma satis opportuna desideratur de liberrima facultate cunctis tribuenda, nemine obstante, dioecesano pariter ac regulari Clero ad vocationes ecclesiasticas enixius et ubique perquirendas, colligendas, seligendas quibuslibet Institutis sacris, religiosis vel dioecesanis.

Nemo enim non videt, aliter procedendo vel limites permittendo, praeter fidelium scandalum, deperdi Ecclesiaeque auferri etiam exsistentes

vocationes. Omnibus quoque satis liquet, libero libentique promoto a quacumque persona et instituto (religioso vel dioecesano) opere collectionis vocationum, una simul promoveri cognitionem, interesse, attractionem plurium fidelium, puerorum vel iuvenum eorumque cognatorum, ad Ecclesiae vitam et necessitates, ad Sacerdotii catholici et religiosae vitae idealia; quae omnia bona impediuntur limitato iure vel obstaculis positis, ut supra. Ac certo, tandem, parum videtur timendum tali libertate concessa, vel ampliore opera collectiva Religiosorum, defuturas vocationes Seminariis dioecesanis.

45. *De vita communi inter Clerum dioecesanum fovenda.*

Bene perspectis vitae communis, instar fere Religiosorum, commodis imprimis spiritualibus et ministerialibus, sed pluribus in casibus etiam oeconomicis: studium aliquod Conciliare suscipiendum foret vel norma decernenda de praefata communi vita, in quantum possibile, statuenda vel fovenda inter dioecesanos Sacerdotes tum Ecclesiae latinae, tum quoque orientalis (si res spectat) relate ad Clericos caelibes.

46. *De pari dignitate et missione sacerdotali utriusque Cleri, dioecesani atque regularis.*

Opportuna videtur Conciliaris quaedam confirmatio et aequiparatio iuridica communis originis divinae, dignitatis ac missionis utriusque Cleri, dioecesani ac regularis, etiam quod spectat, servatis servandis, ad officiorum, graduum munerumque sacrorum in Ecclesia distributionem seu assignationem, iuxta praecipua documenta pontificia et recentiora doctrinalia Pii XII (enc. *De Sacerdotio cath.*).

Quod quidem opportune fiat, ad praecavendas aequivocationes et errores, immo saepe et indignas luctas et practicas difficultates vitae et ministerii sacri inter eosdem vere germanos fratres in sacerdotio.

*47. *Conciliaris confirmatio Exemptionis Religiosorum.*

Plena quidem confirmatio vigentis temperatae Exemptionis Religiosorum, ex iustis rationibus spiritualibus, historicis ac iuridicis, quibus eadem Exemptio, iam inde a pluribus ac praesertim septem saeculis, compluribus disceptatis et optimo iure sancita est atque a Summis Ecclesiae Pontificibus strenue iugiter vindicata. Cuius rationem et legitimitatem ipse Pius XII Religiosos alloquens d. 8 dec. 1950 praeoccupavit.

Omnibus notus est serpens quidem indignusque spiritus anti-regularis, seu contra iura, libertatem, exemptiones, quandoque contra vel optima Religiosorum Ordinum opera et intentiones, qui in coetibus et interdum Institutis ac Seminariis Cleri dioecesani viget ac fovetur.

E contra, omnibus quoque patet multiplex Religiosorum *opera et collaboratio,* immo vera servitii ratio, quae ab ipsis praestatur Episcopis

ac Clero dioecesano, *praeter et extra* laboriosum amplumque ministerium ab eisdem Religiosis exercitum, item officia divina celebrata, sacram liberamque praedicationem susceptam in propriis ecclesiis, et praeter singularem Ecclesiaeque universae providam curam et saecularia merita in amplissimo campo Missionum catholicarum. Quae quidem opera nonnisi Exemptionis gratia et iure fieri potuerunt ac bene possunt.

Insuper, perpensis religiosae vitae in communi normis arctioribusque suis vinculis formationis, pietatis ac studii, ipsa *Religiosorum forma vitae* — ab Ecclesia iugiter agnita, laudata et concupita tamquam perfectionis status, in ipsa Ecclesia singularis — praefatam authonomiam exigere videtur, non tantum circa internam suae vitae rationem sartam servandam, sed etiam relate ad ipsum apostolatum iuxta regularis disciplinae normas, sub immediata suorum Superiorum dependentia recte et fructuose gerendum.

Historice tandem liquet Religiosorum Exemptionem fuisse per saecula verum *institutum Papale* et supremi ipsius Pontificatus in Ecclesiae robur. Qua scil. opera et promptissima voluntate et praestatione Religiosorum, utpote dioecesanis seu localibus curis minus adstrictorum, RR. Pontifices (quibus Regulares vi oboedientiae voti obligantur, can. 499, § 1) universalem suam iurisdictionem facilius exercuerunt, errores profligaverunt, documenta sua diffuderunt populis, specifica opera et missiones prosequuti sunt, cum variis coetibus et civilibus potestatibus ecclesiastica negotia tractarunt: bene iugiter fidentibus ipsis RR. Pontificibus, nec spe deceptis, eorundem Religiosorum animo et gestis, fidelibus ac sinceris, gratuitis, expeditissimis, nulli terreno commodo vel spei servientibus.

Quibus consideratis, ad quaelibet incommoda et concertationes inter fratres vitanda, atque ad plura potius saecularis huius Religiosorum instituti seu iuris emolumenta in Ecclesia prosequenda — pro continuato scil. servitio et auxilio Cleri dioecesani et pro inderogabili eorundem Religiosorum complemento additis suis propriis apostolatus catholici et praecipue missionarii operibus; pro sarta tectaque servanda propriae eorum regularis vitae et disciplinae ratione; et pro experto tandem continuandoque servitio directo ipsi Romano Pontificatui: *provida Religiosorum Exemptio conciliari decreto salubriter confirmetur ac vindicetur,* addita mutuae utriusque Cleri et statuti eorum ordinis vitae et apostolatus existimationis et reverentiae agnitione. Cf. *Vota* nn. 14 et 15.

48. *De recta iustitiae administratione.*

Nonobstante, quinimmo plane agnita generali prudentia et sanctitate vitae superiorum Antistitum in Ecclesia relate ad gubernium eorumque in subditum sibi Clerum caritatem, non raro ex parte Sacerdotum sive

dioecesium sive Ordinum religiosorum recriminationes audiuntur ob iniustas quasdam provisiones, decisiones et respectus eorundem Antistitum seu Superiorum Maiorum qui, vel ex incautis informationibus vel acri animo naturali, in subditos procedunt.

Quandoque simul, hisce in adiunctis, nulla datur subditis efficax via vel exponendi suas rationes vel communis iustitiae normas sibi vindicandi: quod saepe uno praetextu servandi ordinem seu contegendi ius faciemque externam Auctoritatis contingit ex parte sacrarum Congregationum; idque fit etiamsi ipsa Romana Curia verum ius subditorum recurrentium perspiciat, quod nec facile accidit ob privilegiatam Antistitum conditionem et credibilitatem. Hinc procedunt interdum vel intimae animorum luctae et dolores, vel etiam inoboedientiae et apertae rebelliones (quae in sacramento Poenitentiae saepe innotescunt). Idem, vel facilius, accidere videtur inter religiosas Moniales.

Interdum quoque apertae legum vel religiosarum Constitutionum violationes, in littera et in spiritu, a Superioribus ecclesiasticis fiunt, audaci quadam legum interpretatione vel ementita seu astuta agendi ratione, quam subditi ex pluribus factis et indiciis bene cognoscunt: quae omnia vix subditi denuntiare audent, vel etiam exactis probationibus in foro externo comprobare possunt, cum ampla parentur Superioribus media ad suos actus iustificandos seu ementiendos.

Ad haec praecavenda, quae saepe innotescunt ex dioecesani Cleri et religiosorum Ordinum experientia, in quibus forma regiminis democratica saepe altiore protectionismo vel malis artibus obnubilatur seu evacuatur, satis opportuna videbitur quaedam Conciliaris consideratio et provisio, vel supremi cuiusdam instituti iuridici constitutio, quo, salva quidem qualibet iusta hierarchiae ecclesiasticae dignitate et auctoritate et servato quolibet merito oboedientiae et spiritus sacrificii subditorum in bonum commune, rectior tamen et vigilantior simul verae iustitiae ecclesiasticae administratio vel vindicatio, ubi obtinet, vigeat ac firmetur.

Quae, iterum, cum omnimoda sacraque reverentia erga optimos quosque Ecclesiae Antistites et sancta Romanae Curiae instituta sint dicta.

49. *De honesta et aequa Cleri dioecesani sustentatione.*

Omnibus liquet honestam Cleri, praesertim dioecesani, sustentationem singulis quibusque temporibus considerandam, dimetiendam et aequandam esse. Ipsi hodiernae societatis viri, adversariique imprimis Ecclesiae, distinctionem quandam invexerunt inter Clerum ditiorem et Clerum pauperiorem, inqualibet fere natione.

Pretium igitur operis foret Conciliaris quaedam rei consideratio de honestiore et communi hodierni Cleri sustentatione, de nova Beneficiorum ecclesiasticorum mensura, forsan de iusta quoque rectaque di-

stributione superflui beneficialis inter Sacerdotes pauperes et infirmos, de accuratius cavenda beneficiorum vel officiorum cumulatione, de instituto quodam Praevidentiae ecclesiasticae pro variis nationibus vel regionibus constituendo, etc.

50. *De clausula « cum iure successionis » in quibusdam nominationibus abolenda, vel temperanda.*

In nominatione apostolica plurium Episcoporum saepe adhibetur benevola clausula et formula concessionis: « cum iure successionis »; qui favor interdum vel saepe datur etiam iunioribus Cooperatoribus in prima eorum nominatione. Hi quidem Cooperatores interdum, ut tales, assignantur ipsis Episcopis aetate et viribus bene adhuc valentibus in sui regiminis exercitio.

Haec sane privilegiata nominatio Coadiutorum, dum his ipsis bene accepta et grata, Superioribus suis, quorum auxilio deputantur, saepe ingrata est et quandoque obiective incommoda, in seipsa et ob festinam liberamque consociati Coadiutoris agendi rationem. Apostolica Sedes, equidem, prudentes persequitur fines et causas in hac traditionali via sequenda. At simul non levia incommoda suis in locis saepe audiuntur ac sequuntur. Ex natura quoque sua formula illa « iubilationem » quandam sonat pro senioribus Episcopis.

Quaeritur: an talis formula nominationis sit adeo benefica, utilis vel necessaria, quae connexa incommoda superet? An forsan aeque bene possit rarius adhiberi, et perpensa vel statuta certa quadam aetate seniorum Episcoporum? An melius eadem clausula vitetur pro Coadiutoribus in prima eorum nominatione, et serius tantum, post expertam eius indolem et regiminis merita, attribuatur? An vere utilis videatur illa privilegiata nominatio, cum econtra opportuno tempore, etiamsi non ita ab initio provisus vel praevisus, benemeritus Cooperator suo adiuto Antistiti bene succedere queat et valeat novo actu et promotione S. Sedis?

51. *De possibili reductione Capituli Canonicorum et speciali Consilio Episcoporum.*

Certis in locis, pro imminuto eorum momento, videtur opportuna reductio numeri membrorum Capituli Canonicalis et eorum bonorum applicatio utilioribus usibus vel necessitatibus dioecesium.

Considerata quoque frequenti et iniustificata adversione Capituli suo Episcopo dioecesano, et simul convenientia ex parte ipsius Episcopi saepe cum aliis consiliariis opportunioribus agendi in variis negotiis: congrua forsan perpendi potest utilitas vel possibilitas aliter constituendi, quam hucusque, Consilium Episcopi. Testes rei et iudices in Concilio ipsi expertissimi Patres Conciliares!

52. *De libera erectione Domorum religiosarum in qualibet Dioecesi.*

Considerata indole internationali Ordinum et Congregationum religiosarum, perspectoque simul bono spirituali et sociali quod Ecclesiae provenit ex eorundem activitate, satis congrua videbitur liberior facultas concedenda ipsis Religiosis vel commendatio Ordinaris locorum facienda de non impedienda, ut saepe obtinet, erectione Domorum religiosarum in sua propria dioecesi, sed potius de promovenda et fere opponenda domo quadam Regularium cuilibet Communistarum vel aliorum haereticorum cellulae seu centro.

53. *De externa veste quorundam Regularium vel Sororum religiosarum quadamtenus reformanda.*

Bene nota est quaestio de habitu religioso seu veste externa quorundam Religiosorum vel maxime Sororum regularium, satis hodie mira etiam ecclesiasticis viris apparente vel utcumque in hodiernae vitae formis, cursibus et occursibus, itinerandi usibus et locomotionis curribus satis ceteris onerosa et quodammodo ingurgitante (ingombrante).

Opportuna saltem videtur, nisi generalius quaestio de habitu ecclesiastico agatur, reformatio ac reductio quaedam talis vestis externae Religiosorum ad graviorem, breviorem et usitatiorem hodierni temporis formam (foggia), examinato quoque eiusdem vestis colore.

54. *De Sacerdotibus apostatis eorumque conditione.*

Pernota ac dolorosa est quaestio de Sacerdotibus apostatis utriusque Cleri, regularis ac dioecesani, deque eorum numero et conditione in qualibet regione et natione. Quare provisio quaedam Conciliaris pro eorum tranquillitate conscientiae, item et pro materiali seu oeconomica sustentatione, satis foret opportuna et pia. Hinc proponitur:

a) faciliorem omnino providere reditum in sinum Ecclesiae eorum Apostatarum, qui ratione inoboedientiae defecerunt, at honeste et pie vixerunt;

b) item, faciliorem parare viam, post congruam sane poenitentiam, eis qui attemptaverunt matrimonium sic dictum civile, sed bene tandem contriti apparent;

c) pariter, mitiorem instaurare disciplinam circa Apostatas qui, matrimonio inito et familia procreata, post plures annos reconciliari cupiunt Ecclesiae. Volentibus enim tunc fraterno more vivere, ut provideant filiorum educationi, facilius concedenda foret plena absolutio; pro simplicibus enim fidelibus in analogis casibus confessarius ipse facile providet.

Pluribus his Apostatis, ad praecavenda peiora eorumque maxime adhaesionem acatholicis sectis, potius quam impedire, oportet faciliores

reddere quaslibet occupationes professionales in saeculo et interdum etiam certas provisiones oeconomicas pro honesta eorum sustentatione prospicere.

* 55. « *Indicis Librorum Prohibitorum* » *revisio.*

Fit interdum unius alteriusve libri ex noto « Indice » expunctio, dum plura adhuc in eodem retinentur opera, satis hodie obsoleta et minoris ponderis.

Inter haec, non pauca sunt catholicorum quoque theologorum, non spernendi nominis, opera, quae vel absolute vel saepe tantum « donec corrigantur » (quae nemo amplius corriget) condemnata sunt ob causas plerumque hodie minus notas vel validas (agitur interdum etiam de spiritu eorum polemico, ut quidam autumant studiosi, suo tempore minus opportuno. Cf. v. g. opera eximi theologi piissimique viri Angeli Vulpes, m. 1647).

Nonne opportuna censeatur generalis quaedam revisio et expurgatio huius « Indicis », praesertim quoad theologica opera catholicorum (evidenti maxime haeresis nota non inusta), praevio quoque invecto examine, si placeat vel si opus sit, votorum Censorum qui condemnationem suo tempore iustificarunt? Haec quidem provisio ita proponitur, quin sacrosancta illius Ecclesiae iuris et libri « Indicis » existentia et opportunitas hodiernis quoque temporibus ambigatur. Cf. *Votum* n. 16.

56. *De apostolatu Cleri inter operarios.*

Etsi iuste reprobata institutione Sacerdotum-Operariorum sanctisque repetitis normis de propria Sacerdotum vocatione et missione in Ecclesia, iuverit forsan accuratius instituere studium et edere normas de recta et intensiore opera apostolatus inter varias operariorum classes, pro efficaciore eorum cura, evangelizatione et recuperatione Christo. Conciliaris provisio etiam sub forma renovatae commendationis huius sancti apostolatus opportuna foret, methodis mediisque relictis prudenti Ordinariorum locorum zelo.

In nationibus communisticae ditionis Clerus ipse regularis et saecularis de facto labori manuali addicitur, ceteris operariis plane aequatus. An congruae normae pro eorum actuali vita et relationibus cum operariis, in casu habeantur, vel utiliores parari possint?

57. *De conditione iuridica et apostolatu Laicorum in Ecclesia.*

Congrua videtur quaedam Conciliaris consideratio et confirmatio principiorum catholicorum, a Magisterio ordinario iam saepe edictorum, de hoc argumento, ac praesertim:

a) de propria conditione iuridica Laicorum in Ecclesia, et de eorum participatione ad regale sacerdotium christianum;

b) de pretiosa et urgenti eorum activitate et cooperatione apostolatui hierarchico Ecclesiae, etsi ipsius Hierarchiae semper subordinata et coordinata;

c) de intensiore eorum participatione ad apostolatum in Missionibus catholicis, munere Catechistarum, cooperatorum, medicorum, scriptorum et pervulgatorum catholicae doctrinae (pubblicisti), etc.;

d) de possibili quorundam Laicorum cooptatione in inferioribus saltem Ordinibus clericalibus, ad meliorem etiam directionem apostolatus ceterorum Laicorum seu fidelium;

e) peculiaria de *Actione Catholica* principia et normae: in re religiosa et sociali, et in re politica;

f) de ampliore promovenda ephemeridum catholicorum, scriptoriae editorialisque artis (*Stampa Cattolica*) diffusione in omni natione et activitatis campo, ad sanctam veritatis evulgationem, ad errores convellendos, ad publicam christiane efformandam ducendamque opinionem.

58. *De participatione Catholicorum ad vitam et actuositatem publicam, seu politicam, oeconomicam et socialem.*

Desideratur confirmatio Conciliaris optimorum principiorum de hoc argumento: de conscientiosa nempe obligatione catholicorum ad universam christianam rei publicae administrationem; de Sectarum politicarum (Partiti) discriminatione et recta eisdem participatione; de christiani Syndacalismi constitutione, iuribus et officiis; de ampliore quorumlibet Catholicorum interventu et influxu publico, oeconomico, sociali; deque eorum spiritu unionis et publicae solidaritatis, quae dicitur, in vita et actione sua politica ac sociali.

59. *De Laicismo, Materialismo et Atheismo communistico condemnandis.*

Post plurima facta et experta capitalium horum errorum, ad uno integro saeculo christianam vel civilem simul vitam universamque christiane agendi rationem ubique pervertentium, item post plura opposita Magisterii ecclesiastici documenta: satis foret opportuna et congrua, nisi et necessaria, aperta Conciliaris condemnatio triplicis praefati erroris.

Qua condemnatione opportune vindicentur: ampla iura Ecclesiae eiusque universalis missionis supernaturalis in omni civili societate, pro aperta praedicatione Evangelicae veritatis in universo mundo, quolibet aevo; item spiritualis et supernaturalis dignitatis hominum praeeminentia essentialis in quolibet praesenti ac futuro progressu materiali vel scientifico humanitatis; Dei tandem, Religionis et conscientiarum iurium existentia, providentia et primatus in omnibus, universali regi iudicique venturo Christo, super omnes homines et nationes.

60. *De apostolatu Missionario eiusque hodiernis methodis et mediis.*

Congrua foret Conciliaris quoque confirmatio perpetui iuris extensionisque Ecclesiae in apostolatu missionario, atque iugis eius momenti et necessitatis; item declaratio et commendatio optimarum methodorum et mediorum, quae hodie perspiciantur ac vigent, in eodem apostolatu prosequendo fovendoque, enixius exquisita conscientiae missionariae omnium catholicorum eorumque subsidiorum cooperatione.

Quae omnia, principia doctrinalia et normae practicae, ex frequentibus recentioribusque Magisterii ordinarii documentis comparari possunt.

61. *Modernismi, sub qualibet sua vetere vel renascente forma, condemnatio, et maiorum Doctorum Ecclesiae studia commendanda.*

Etsi superata acriore Modernismi historici crisi, ineunte hoc saeculo vigente, at perspecta simul doctrina erroribusque vel tendentiis in Piana Enc. *Humani Generis* d. 12 aug. 1950 denuntiatis ac reprobatis, congrua videri potest Conciliaris recapitulatio immutabilis essentialisque dogmatis catholici in suo tenore, iuribus veritatis et conceptuali expressione: reprobatis quidem erroneis « novae theologiae » conatibus vel assertis, bene vero concessis indicatisque salutaris scientifici in Theologia progressus viis sanctisque normis et maiorum Doctorum Ecclesiae et Scholasticorum virorum exemplis.

Qua in re, confirmatis meritis et valore *magnae Scholasticae* ac praesertim Communis scholarum Doctoris S. Thomae de Aquino, clarius quoque documentum efferri possit, quod plures desiderant, de integro merito ac valore, fructuosoque iugiter studio complurium aliorum Ecclesiae Doctorum et Scholasticorum principum, veluti imprimis SS. Augustini et Bonaventurae, item b. Ioannis Scoti, S. Bellarmini, Suarez et consimilium, Philosophiae et Theologiae catholicae eminentiorum cultorum, quolibet saeculo florentium, qui, etsi paulo minoris nominis, in peculiaribus tamen disciplinis vel in diversis scientiae sacrae provinciis quandoque eximio genio ac meritis excelluerunt.

62. *Clericorum institutio scientifica, et Studiorum sacrorum promotio.*

Non abs re reputatur Conciliaris quaedam inculcatio et provisio pro studiis sacris:

a) id imprimis pro intensiore et plane adaequata ad nostra tempora *humanistica* et culturali Clericorum institutione, studiis praesertim inferioribus ubique ordinatis congruisque titulis habilitationis auctis, si obtinet;

b) in studiis item superioribus *Philosophiae et Theologiae,* melior

quaedam singularum ac plurium hodiernarum disciplinarum coordinatio desideratur ad essentialia capita dogmatis, moralis et pastoralis melius et utiliore synthesi percipienda, et pro vitae usibus ab alumnis iugiter retinenda.

Passim in manualibus scholasticis et in exercitio magisterii docentium necessitas quaedam apparet melius coordinandi tractationes, repetitiones vitandi (v. g. in tractatibus Theodiceae et de Deo Uno; in Apologetica ac Dogmatica Fundamentali et Introductione Biblica; in Patrologia, Historia ecclesiastica et Dogmatica speciali [ubi v. g. de antiquis haeresibus, de Conciliis eorumque decretis, etc.]; in re Morali et Iuridica: de Sacramentis, etc.), integram tandem institutionem theologicam aptius ordinandi ad necessitates hodiernas pastorales ex una parte, pro maiore praesertim alumnorum numero, et ad scientifici studii et inquisitionis progressum ex altera parte.

Qua in re, generalis ac recens institutio quinti Cursus Theologici seu Pastoralis, pro utriusque Cleri dioecesani et regularis alumnis, plura providere potest; sed non superflua forsan censeatur institutio quaedam Commissionis studiorum ad integrum problema considerandum conclusionesque suas in re proferendas. (Cf. supra, n. 16, d);

c) ad studiorum tandem sacrorum cultum progressumque vere scientificum enixius ubique promovendum ex parte utriusque Cleri in qualibet Ecclesiae provincia, cum saepe hodie ex apostolatus necessitatibus non rara nec levia suadeantur vel imponantur onera ipsis Professoribus et studiosis Facultatum ecclesiasticarum, ut nempe onerosa sua studia temporisque otia simul cum pastorali ministerio dividant:

valde videtur conveniens vel necessarium, ut Concilium integram praefatorum studiosorum facultatem, libertatem et operam (quorum studia per se totum vere occupant hominem) commendet aperteque tueatur in commune honorificumque totius Ecclesiae decus, quod multiplicatis eorum laboris scientifici fructibus publice et ubique valde elucebit, cum praegrandi ipsius scientiae sacrae progressu et emolumento. Alios enim Deus providit Ecclesiae suae pastores, alios praedicatores, alios doctores et scriptores. In quorum numero non minores sunt ipsi Archivistae, Bibliothecarii aliique solitarii studiosi, scientiarum quoque profanarum et quarumlibet bonarum artium cultores.

63. *De generali Officio Statistico in Ecclesia instituendo.*

Licet profecto habeantur apud varias Curiae Romanae et periphericas ditiones peculiaria officia documentaria et statistica, pro progressu rerum hodierno et utilitate centralis organizationis, videtur opportuna institutio alicuius Officii generalis Statisticae de vita et activitate uni-

versae Ecclesiae: cuius constitutionis et munerum assignatio, documentationis media aliaque id genus, bene a peritioribus enucleari poterunt.

64. *De propriis institutis vel collegiis Catechistarum laicorum.*

Pro largiore instructione fidelium in ipsis regionibus catholicis, et ad devincendam et evacuandam divulgationem doctrinarum Protestantium aliorumque acatholicorum, opportuna videtur promotio vel constitutio nucleorum, seu etiam specialium « Institutorum Saecularium » formationi Catechistarum addictorum. Qui Catechistae, sive membra eorundem Institutorum sive alii generosi laici, propriam habeant missionem docendi instruendique fideles, specialibus collationibus vel visitatione domorum et familiarum sub Hierarchiae ductu.

Uti res obtinet in Missionibus externis, cogitari quoque possit de vera permanentique assumptione Catechistarum laicorum in nationibus catholicis, qui, pro nobilissima hac sua professione et missione, Ecclesiae cura honeste sustententur.

65. *Pro publica tuenda moralitate.*

Pro efficaciore publicae moralitatis tuitione, contra plura hodiernae immoralitatis organa et media (artem editorialem, spectacula, Cinema, indecentes vestis formas et mores), opportuna videtur practica institutio coetuum vel organizationum, qui, cito informare et efformare valeant opinionem publicam et congrua habeant media et vires ac civiles potestates coadiuvandas et coëgendas in honesta redintegratione morum. Subsidia pecuniaria ad rem inter catholicos ipsos colligenda et impendenda.

Romae, die 30 aprilis 1960.

P. Laurentius di Fonzo, O. F. M. Conv.

TRACTATIONES ET VOTA ADNEXA [1]

VOTUM N. 1

NOVA ASSERTIO IDENTITATIS CONCEPTUS VERAE ECCLESIAE CHRISTI, SEU CATHOLICAE, ET CORPORIS CHRISTI MYSTICI, ETSI CUM VARIIS GRADIBUS PERTINENTIAE HOMINUM AD EANDEM ECCLESIAM

(A. Blasucci)

Huius veritatis definitio dogmatica exposcitur.

Ipsa coeterum doctrina de Corpore Christi Mystico iam in schemate Patribus Concilii Vaticani I proposita fuit (cf. *Coll. Lacensis,* VII, 567 ss.), ac solemniter declarata a Pio XII in suis Litt. Enc. *Mystici Corporis* (29 iunii 1943).

Quod vero theologos spectat veritas haec de identitate latitudinis Ecclesiae Catholicae et Corporis Mystici ante praefatas Litt. Enc. non ab omnibus admissa fuit, immo longe communior opinio aliter sentiebat. Sed postquam eaedem Litt. Encyclicae in lucem prodiere, fere omnes theologi mutavere propriam sententiam circa hanc quaestionem, paucis tantum exceptis, qui improbati sunt in Litt. Encyclicis *Humani Generis* Pii XII (12 aug. 1950), eo quod adhuc censerent « se non devinciri doctrina paucis ante annis in Encyclicis nostris Litteris (*Mystici Corporis Christi*) exposita, ac fontibus revelationis innixa, quae quidem docet Corpus Christi mysticum et Ecclesiam Catholicam Romanam unum idemque esse » (*A.A.S.,* 42, 1950, 571).

Inter auctores qui identitatem inter Ecclesiam Catholicam et Corpus Christi Mysticum tenent, digni sunt qui recenseantur: S. Tromp, qui in opere *Corpus Christi quod est Ecclesia,* iam ante Litt. Enc. *Mystici Corporis,* asserebat: « Contendimus... Corpus illud [seu Corpus Mysticum] sensu stricto non esse nisi Ecclesiam Sanctam Catholicam Romanam » (Romae 1937, p. 155); T. Zappelena, firmissime retinens meta-

---

[1] Adnexa sunt etiam duo opuscula edita: A. Poppi, *La « Morale di situazione », esposizione e critica,* Roma 1957; G. Eldarov, *La posizione subordinata del Vescovo nella gerarchia ecclesiastica cattolica,* in *Miscellanea Francescana,* 1958, pp. 513-536.

phoram « Corporis » in Epistolis S. Pauli pro Ecclesia visibili, hierarchica, catholica stricte usurpari (cf. *De Ecclesia,* vol. II, Romae 1954, pp. 331-597); C. Journet eandem affirmans doctrinam clarissimis verbis (cf. *L'Eglise du Verbe Incarné,* vol. II, Paris 1951); E. Mura, qui aperte fatetur se mutavisse sententiam circa hanc quaestionem (cf. *La Dottrina del Corpo Mistico,* in *Problemi e Orientamenti di Teologia Dogmatica,* vol. II, Milano 1957, pp. 373-405).

Doctrina haec in pluribus locis Epistolarum S. Pauli continetur, immo expresse ab eodem Apostolo asseritur identitas inter Corpus Christi et Ecclesiam in Ep. ad *Col.* 1, 24: « Adimpleo ea quae desunt passionum Christi... pro Corpore eius quod est Ecclesia ».

Conditiones enim a S. Paulo recensitae, ut quis membrum Corporis Christi dicatur, eaedem sunt quae ut quis membrum Ecclesiae fieri possit, requiruntur nempe: vera professio fidei, susceptio Baptismi et subiectio Hierarchiae Ecclesiasticae.

Momentum doctrinale propositionis de identitate inter Ecclesiam Catholicam et Corpus Christi Mysticum liquido fluit ex ipsa tractatione veritatis, quae ampliori explanatione auctoritative hac occasione exhibetur, dum via panditur ad profundiores investigationes theologicas circa totum mysterium Ecclesiae, praecipue sub aspectu interiori, necnon ad eiusdem maiorem eamque perutilem cognitionem apud fideles diffundendam.

Momentum vero practicum et quam maxime actuale eiusdem veritatis definiendae summopere istis nostris temporibus extollitur, sive intuitu auspicatae unionis Ecclesiarum cum Romana, ubi unius Ecclesiae veluti unius Corporis Christi institutio et necessitas proclamanda est, sive sub aspectu apologetico respectu protestantium, qui unice aspectum invisibilem Ecclesiae effert.[1]

VOTUM N. 2

DE EPISCOPI PERSONA, POTESTATE ET FUNCTIONE ECCLESIASTICA, PLENIUS ET CLARIUS PROPONENDA

(G. Eldarov)

Ratio tractationis huiusmodi capitis de Episcopo in proximo Concilio Oecumenico desumitur:

a) ex necessitate complendi schema Concilii Vaticani de Ecclesia

[1] Pro bibliographia cf. E. MURA, *La dottrina del Corpo Mistico,* in *Problemi e Orientamenti di Teologia Dogmatica,* vol. II, Milano 1957, pp. 396-405.

Christi, quod uti notum est quoad hanc partem de Episcopo deficiens inventum est a nonnullis Patribus (cf. *Mansi* 51, cc. 738, 837, 868-9, 916-18, ...);

b) ex utilitate et spe unionistica, cum doctrina catholica de Episcopo bene intellecta et opportune proposita talis sit quae possit animos dissidentium orientalium et complurium anglicanorum ad Ecclesiam catholicam facile trahere, ii enim sua systemata ecclesiastica uti *episcopalia* extollunt;

c) ex ipso statu infirmo enucleationis et systemationis doctrinae in ambitu ecclesiologiae catholicae, est enim doctrina plerumque *fragmentaria* (raro existit complexive proposita, de Ordine episcopali agitur inter sacramenta, de Iurisdictione episcopali hinc inde in tractatu apologetico de Ecclesia), *fluida* (praesertim si comparetur cum maiori firmitate dogmatica doctrinae de Romano Pontifice, ex. gr. quoad partes Episcopi in Magisterio infallibili), *neglecta* (momentum Episcopatus in Iurisdictione universali), *obscura* (ambitus successionis apostolicae, ordo et connexio inter potestatem Ordinis et potestatem Iurisdictionis, relatio ad Romanum Pontificem in exercitio Iurisdictionis localis et universalis).

Ad haec vel devitanda et corrigenda vel obtinenda proponitur sequens Schema in quo et praecipua puncta tractanda notantur et conatus (saggio) systemationis universae doctrinae ecclesiologicae de Episcopatu describitur. Eadem haec problemata et data magna ex parte inveniuntur, alio utique ordine et contextu, in brevi studio adiecto subsignati Auctoris, *La Posizione subordinata del Vescovo nella Gerarchia ecclesiastica cattolica* in: *Miscellanea Francescana* 58 (1958) 513-36.

I. In genere, de successione et hereditate apostolica Episcopi

1. Perspicua definitio tradatur Apostolatus *transmissibilis* et Apostolatus *non-transmissibilis,* ita ut appareat quid revera apostolici habeat Episcopus.

2. Collatio instituatur eorum quae ex Apostolatu transmissibili transeunt in Romanum Pontificem et eorum quae transeunt in Episcopum, atque differentiae notentur et explicentur.

II. De Episcopo sub aspectu sacramentali

1. Firmetur doctrina de plenitudine sacerdotali et sacramentali Episcopatus, ita ut praesertim appareat superioritas Episcopi respectu Presbyteri, quae videtur iam in discrimen poni in (hypo)thesi hinc inde agitata de plenitudine sacerdotali ipsius etiam presbyteri.

2. Extollatur momentum istius plenitudinis respectu potestatis Iurisdictionis eiusdem Episcopi, etsi per hoc deprimi videatur thesis *mediationistarum*.

III. De episcopo sub aspectu iurisdictionali

1. De potestate Episcopi locali in subditos suae ecclesiae particularis, exstat problema eandem simul et salvandi et componendi cum potestate ipsius Romani Pontificis sic dicta *episcopali* in eosdem subditos. Nam, si in Ecclesia iam penitus devicti sunt qui negabant potestatem ordinariam et proprie episcopalem Romani Pontificis in universum gregem fidelium, iam incipiunt audiri qui talem in dubium revocant (saltem hypothetice et pro futura evolutione regiminis ecclesiastici) quoad Episcopos in suos cuiusque greges, eam totam uni Romano Pontifici tribuentes.

2. Enucleatione et sollemni confirmatione indiget quaestio de parte Episcopi in Iurisdictione universali, quae est utique propria Papae, sed ab eodem ex ipsa constitutione Ecclesiae necessario aliis successoribus Apostolorum seu Episcopis communicanda, et hoc quidem sive quoad gubernium Ecclesiae sive quoad Magisterium, et ordinarium (Episcoporum per orbem dispersorum: eorum consensus est infallibilis) et extraordinarium (Episcoporum in Concilio Oecumenico: sunt veri iudices et doctores in rebus fidei et morum).

IV. De connexione utriusque aspectus (sacramentalis et iurisdictionalis) in episcopo.

1. Extollatur momentum consecrationis episcopalis uti radix et fons subsequentis potestatis Iurisdictionis in subiecto consecrato.

2. Notetur vero e converso imminutio Episcopatus in subiecto mero titulo episcopali ornato sine ambitu *locali* Iurisdictionis.

3. Determinetur ordo harum potestatum, extollendo praesertim superioritatem officii sacramentalis Episcopi cui omnes aliae functiones ecclesiasticae ordinantur veluti ad finem, vel ad medium fini supernaturali Ecclesiae proximius (gratia in praesenti oeconomia tantum per sacramenta re vel voto habita obtinetur, dein salus, beatitudo).

V. De functione et efficientia ecclesiastica episcopatus

1. Prae mente habeatur pars et momentum Episcopi in efficienda Ecclesia locali dioecesana, quae tandem exsurgit ex pleno exercitio potestatis episcopalis in loco, plena et autosufficiens in ordine sacramentali (propter Episcopum in eadem praesentem et agentem), etsi incompleta

et dependens in ordine iurisdictionali (cum Episcopus non habeat plenitudinem iurisdictionis). Quam pressius urgenda est etiam ad Episcopatum bene intelligendum et proponendum quaestio de *Ecclesia locali,* quae est naturalis contextus Episcopatus, at fere deest de ea tractatio in nostra ecclesiologia, ita ut haec potius appareat ecclesiologia Ecclesiae universalis tantum, at et Ecclesia localis habet solidas bases theologicas et specificas functiones ecclesiasticas.

2. Notetur etiam pars Episcopi in efficiendam Ecclesiam universalem, quae determinatur ex ambitu pleni exercitii potestatis Iurisdictionis existentis in Romano Pontifice, sed a quo fratribus Episcopis necessario communicatur, unde praesentia et actio Episcopi in gubernio et in magisterio infallibili Ecclesiae.

VOTUM N. 3

TOTUS ORDO SUPERNATURALIS ABSOLUTE TRANSCENDIT EXIGENTIAS CUIUSLIBET NATURAE CREATAE ET CREABILIS

(A. Blasucci)

Haec propositio, quae est cardo doctrinae catholicae circa elevationem hominis ad ordinem supernaturalem, hoc modo de fide definienda a Patribus Concilii Vaticani I proposita fuit: « Si quis dixerit, sanctitatem et iustitiam, in qua homo ante lapsum constitutus erat, non fuisse supernaturalem, sed eiusmodi ad quam recte vivendo per insitas naturae facultates pertingere potuisset A. S. » (*Collectio Lacensis,* t. 7, col. 566).

Gratia sanctificans dici debet elementum formaliter constituens ordinem supernaturalem, siquidem per ipsam homo fit formaliter consors naturae divinae, filius et amicus Dei.

Fieri consors naturae divinae idem est ac participare formaliter vitam ipsius Dei intimam seu illum cognoscere et diligere eodem modo, etsi non eodem gradu et intensitate, sicut ipse cognoscit et diligit seipsum.

Iamvero desideratur definitio dogmatica absolutae transcendentiae et gratuitatis gratiae seu participationis formalis vitae divinae homini factae.

Supernaturale dicitur per oppositionem et relationem ad naturale. Naturale venit a natura et tot modis dicitur quot modis ipsa natura dicitur.

Dabimus tantum definitionem naturae et tou naturalis sensu metaphysico.

Natura idem est ac principium motus in quolibet ente insitum.

Hoc modo non re sed ratione tantum ab essentia distinguitur: essentia quaelibet dicitur natura prout est primum seu remotum principium operationis.[1] Naturale dicitur id quod alicui naturae competit.

Aliquid vero alicui potest competere *constitutive* seu entitative, *consecutive* et *exigitive* sive *physice* sive *moraliter*.

Constitutive seu entitative aliquid competit alicui, si ad eius essentiam vel naturam pertinet, sicut anima et corpus in hominis constitutione concurrunt; *consecutive* vero pertinet ad naturam id quod necessario ex ipsa iam constituta consequitur, sicut sunt proprietates et facultates quae a natura dimanant, *exigitive* tandem si ad naturam pertinent illa omnia quae necessaria sunt ad finem ipsi proportionatum consequendum, sicut v. g. naturalis Dei concursus ad quamlibet operationem exercendam, influxus aliarum causarum sine quo ipsa agere non potest etc.

In tota nostra quaestione sermo est de natura intellectuali, quae sola potest esse particeps ordinis supernaturalis *sensu formali.*

Vires naturae intellectualis aliae sunt *activae,* aliae *cognoscitivae,* aliae *exigitivae;* quidquid natura intellectualis huiusmodi viribus potest agere, cognoscere vel exigere, supposito Dei generali concursu, non supernaturale sed naturale est dicendum.

Si respicitur *potentia passiva,* illud exigitive ad ipsam pertinere dicendum est, quod ex ea vel in ea quaelibet natura creata vel creabilis suis viribus potest producere.

Sunt autem quaedam quae in natura creata a solo Deo produci possunt; in hoc casu potentia passiva illius naturae dicitur *oboedientialis.*

Haec in qualibet natura creata est ponenda sed praesertim in intellectuali natura cui Deus seipsum potest formaliter communicare.

Fundamentum huius communicabilitatis divinae est reponendum in structura metaphysica naturae intellectualis cuius facultates — intellectus et voluntas — habent pro obiecto ens in tota sua latitudine infinita prout est universale verum et universale bonum.

Universale verum et universale bonum identificantur cum ipso Ente infinito ideoque homo, ratione suae constitutionis, habet immediatum ordinem ad Deum: « Natura autem rationalis, in quantum cognoscit universalem boni et entis rationem, habet immediatum ordinem ad universale essendi principium ».

Natura intellectualis est aperta ipsi infinito cognoscendo et amando.

Hoc vero non potest suis solis viribus attingere. Contemplari divinam

---

[1] « Tamen nomen naturae hoc modo sumptae videtur significare essentiam rei secundum quod habet ordinem ad propriam operationem, cum nulla res propria operatione destituatur » (S. THOMAS, *De Ente et Essentia,* c. 1).

essentiam est connaturale soli intellectui divino propter identitatem realem inter utrumque. Ex quo consequitur non esse connaturale cuilibet alii intellectui divinam essentiam contemplari.

Si hoc non est possibile, affirmandum est cognitionem (et consequentem amorem) Dei in sua ipsius essentia cogniti transcendere vires et exigentias cuiuslibet intellectus creati vel creabilis.

Capacitas attingendi Deum intuitive est insita ipsi intellectuali naturae ratione eius structurae metaphysicae, sed *absolute* hoc non potest ab ipsa exigi cum desit proportio entitativa inter ens finitum et ens infinitum.

Cognitio igitur Dei intuitiva dicenda est simpliciter *supernaturalis.*

Conceptus exactus tou esse supernaturalis est: *negative:* id quod est absolute indebitum naturae cum nec constitutive, nec consecutive, nec exigitive, nec meritorie ad illam pertineat; *positive:* est perfectio quaedam ordinis accidentalis, quae non ab intra ex natura evolvitur sed ad naturam accedit ab extrinseco ex parte Dei, qui per communicationem huiusmodi, extollit creaturam ad ordinem qui transcendit totum ambitum naturae creatae et creabilis illam elevando ad ordinem stricte divinum seu ad Deum secundum se spectatum prout intuitive videtur et amore beatifico correspondente diligitur.

To supernaturale ergo praesupponit capacitatem ontologicam receptionis seu elevationis in natura intellectuali, sed minime potest ab ea exigi cum ipsa etiam sine illo possit esse.

Conceptus tou entis supernaturalis pessumdatus est a lutheranis, a baianis, a iansenistis, a Synodo Pistoriensi, a quibusdam Augustinensibus, a philosophis methodi immanentiae, a Modernistis et etiam a quibusdam viris catholicis (cf. DE LUBAC, *Surnaturel*).

Lutherani tenebant dona iustitiae originalis homini esse debita titulo *essentiae;* baiani vero *debito exigentiae,* iansenistae *debito decentiae;* Quesnellus et Synodus Pistoriensis Iansenium secuti sunt. *Augustinenses* (Noris, Berti, Bellelli) tenebant hominem non potuisse creari sine destinatione ad visionem Dei intuitivam.

Philosophi methodi immanentiae tenent homini inesse desiderium innatum ad ordinem supernaturalem ideoque dari exigentiam strictam ad illum. Hic conceptus etiam apud *Modernistas* fuit communis.

Hisce ultimis temporibus quidam *theologi catholici* (De Lubac) autumati sunt hominem creari non potuisse independenter ab elevatione ad ordinem supernaturalem et ad visionem Dei intuitivam.

Momentum huius quaestionis.

Contra hos omnes errores et depravationes conceptus entis supernaturalis desideratur *definitio dogmatica* absolutae transcendentiae ordinis

supernaturalis respectu exigentiae cuiuslibet naturae creatae vel creabilis.

Fideles omnes, theologis non exceptis, ex hac definitione uberrimos fructus spirituales percipere poterunt meditantes infinitam Dei liberalitatem quae in nostra ad ordinem supernaturalem elevatione manifestata est.

Haec definitio semper et pro semper plures errores et confusiones vitabit, quae inter ipsos theologos catholicos saepe oriuntur et quae sunt causa scandali, perversionis et defectionis a fide et ab obedientia infallibili Ecclesiae Magisterio debita.

Praeterea haec definitio retundet impetus adversariorum Ecclesiae qui semper conantur vel negare ipsum ordinem supernaturalem vel illum reducere ad complementum logicum, necessarium et naturale ipsius naturae creatae pervertentes essentialem distinctionem inter duos ordines (naturalem et supernaturalem) vigentem.

Nostra aetate *Laicismus* vel negat omnino vel in dubium revocat exsistentiam ordinis supernaturalis eiusque influxum in vitam hominis privatam et publicam.

Magisterium Ecclesiae.

Saepe Magisterium Ecclesiae damnavit errores eorum qui conceptum ordinis supernaturalis pervertere conati sunt.

Magisterium Ecclesiae damnavit plures Baii propositiones: 9, 23 sq., 26 et 78; *DB.* 1009, 1021, 1023, sq., 1026.

Praesertim vero damnavit prop. 21 iuxta quam « humanae naturae sublimatio et exaltatio in consortium divinae naturae debita fuit integritati primae condicionis et proinde naturalis dicenda est et non supernaturalis » (*DB.* 1021).

Error Quesnelli, prop. 35 damnata est in Const. dogmatica *Unigenitus;* DB. 1385.

Doctrina Synodi Pistoriensis damnata fuit uti *erronea* ideoque teneri debet uti *theologice certum* statum iustitiae originalis secundum omnia dona quae in se complectebatur, fuisse indebitum naturae humanae, etiam innocenti, ac proinde supernaturalem.

Est insuper theologice certum gratiam sanctificantem esse indebitam naturae humanae ideoque simpliciter supernaturalem; est doctrina catholica eam indebitam esse naturae angelicae; doctrina vero longe communior esse indebitam cuilibet naturae creatae vel creabili. (Cf. *DB.* 1003 et 1928 ubi respective Pius V damnavit 3 Baii propositionem et Leo XIII 38 prop. rosminianam).

Pius IX in ep. *Gravissimas inter* 11 dec. 1862 docet rationem humanam solis suis viribus innixam demonstrare non posse « dogmata... quae supernaturalem hominis elevationem ac supernaturale eius cum Deo

commercium respiciunt... Et sane cum haec dogmata *sint supra* naturam, idcirco naturali ratione ac naturalibus principiis attingi non possunt... Quod si haec *isti temere* asseverare audeant, sciant se certe non a quorumlibet doctorum opinione, sed a *communi* et numquam immutata Ecclesiae doctrina recedere » (*DD.* 1671).

In eadem ep. Summus Pontifex docet per fidem « revelari mysteria, quae non solam humanam philosophiam, verum etiam angelicam naturalem intelligentiam transcendunt » (*DB.* 1673).

Ex quo documento consequitur absolutam ordinis supernaturalis transcendentiam: verum sequitur ens: si realitas quaedam est supra intelligentiam sive humanam sive angelicam debet esse *entitative* supra naturam sive humanam sive angelicam.

Pius X in Litt. Enc. *Pascendi* reprehendit illos catholicos qui methodum immanentiae pro apologesi utuntur; « idque adeo incauti faciunt, ut in natura humana non *capacitatem* solum et convenientiam videantur admittere ad ordinem supernaturalem, quod quidem apologetae catholici opportunis adhibitis temperationibus demonstrarunt semper, sed germanam verique nominis exigentiam » (*DB.* 2103).

Litt. Enc. *Pascendi* damnant typum quemdam immanentiae scilicet absolutae vel exclusivae; sed problema de relatione inter naturam et supernaturam integrum manet.

Pius XII tandem in Litt. Enc. *Humani Generis* 1950 claris verbis asserit distinctionem inter ordinem naturalem et supernaturalem et reprehendit illos theologos qui « veram *gratuitatem* ordinis supernaturalis corrumpunt, cum autument Deum entia intellectu praedita condere non posse quin eadem ad beatificam visionem ordinet et vocet ».

Ex hoc documento consequitur quaestionem illam de *possibilitate naturae purae* non esse amplius libere disputatam.

Ex quo ulterius infertur omnimodam transcendentiam et gratuitatem ordinis supernaturalis.[1]

---

[1] Pro bibliographia: J. V. BAINVEL, *Nature et surnaturel,* Parigi 1904; H. LUGEARD, *La Théologie Scholastique et la transcendence du surnaturel,* Parigi 1908; D. PALMIERI, *De Ordine supernaturali,* Prato 1920; H. DE LUBAC, *Surnaturel,* Parigi 1948; G. DE BROGLIE, *De fine ultimo humanae vitae,* Parigi 1948; A. MICHEL, *Surnaturel in DTC,* XIV, coll. 2849-59; A. VERRIÈLE, *Il soprannaturale in noi e il peccato originale,* Milano 1955 (ristampa).

VOTUM N. 4

DE RELATIONE INTER NATURALEM ET SUPERNATURALEM ORDINEM

(A. Pompei)

Non obstantibus acti temporis ecclesiasticis nonnullis documentis de distinctione inter naturalem et supernaturalem ordinem (cf. propositiones damnatas 34, 36, 37, 38 Baii, et 39 atque 41 Quesnellii, necnon 23 Pistoriensium), non desunt tamen nostris quoque temporibus qui recta utique intentione, taliter de supernaturali ordine loquuntur, quasi agatur de conditione sine qua humana anima in vero indigentiae statu reperiatur utpote cuius nonnullis exigentiis atque aspirationibus, ut aiunt, non satisfieret.

I. Etsi, in optima hypothesi, huiusmodi locutiones secundum intentionem suorum auctorum intelligi habent neque pro stricta quadam exigentia, qua ordo supernaturalis ut quid ad modum proprie dicti debiti naturae sit, neque a fortiori ut effectus alicuius causae principalis creatae sive moralis (ad modum meriti) sive quomodocumque physicae, neque pro tali entis supernaturalis conceptu, secundum quem ens supernaturale non sit quaedam perfectio qua ipsum esse substantiale divinum animae analogice et accidentaliter per participationem insit; etsi tales modi dicendi illorum auctorum non sint abstrahendi a suo contextu qui, semper in optima hypothesi, consistit in non spernendo problemate de modo seu vinculo quo supernaturalitas adveniat naturae, quin dicere cogantur illam supernaturalitatem quid pure et omnino ornamentale esse in ipsa structura animae hominis iustificati, nullatenus vero ut quid tum ei gratis datum atque prorsus indebitum ex una parte, tum pariter aliquatenus intrans ipsam spheram entitativam animae ex altera parte: non obstantibus, dico, his bonis intentionibus, et quamquam huiusmodi doctrinae servant sive absolutum entis supernaturalis conceptum sive strictam eiusdem gratuitatem, tamen grave ibi latet periculum confundendi vel non bene distinguendi utrumque ordinem, et, per consequens, minuendi entitativam intrinsecam magnitudinem entis supernaturalis, necnon nimis extollendi gratiae pro quolibet bono opere necessitatem.

Ut liquido patet, auctores isti putant propositum problema non satis solvi per eas quae, post modernisticae doctrinae de immanentia damnationem (Enc. *Pascendi,* DB 2103), a theologis adducuntur explicationes circa relationes naturalis et supernaturalis ordinis: dicentibus istis theologis, etsi nullam dari relationem exigentiae, tamen hunc ordinem esse

multiplici ex capite complementum et perfectionem illius; respondent illi hanc solutionem nihil probare, si bene perpendantur argumenta quibus probatur ista complementarietas ordinis supernaturalis respectu naturae.

Quae cum ita sint, bene persentitur, ni fallor, *necessitas alicuius interventus Magisterii,* qui, dum ex una parte renovet doctrinam de clara distinctione inter utrumque ordinem, ex altera tamen parte non ignoret illas exigentias ob quas in hodierna problematica catholica modi illi loquendi, minus conformes traditionali doctrinae, orti sunt recenter.

II. Si bene rem intellexi, inter eos qui de his tandem aliquando disputant, alii, ex una parte, dicunt se vitare velle modernae confusionis duorum ordinum periculum (et, per consequens, etiam minimum periculum alicuius naturalismi, fideismi, immanentismi ...), alii, ex altera parte, in conceptu naturae in se bene completae et plene intelligibilis independenter a gratia consideratae, vident periculum separandi duos ordines, ut deinde problema religiosum (de inveniendo scil. puncto insertionis alicuius realitatis supernaturalis in natura bene constituta et iam suis perfecte regulata legibus) insolubile evadat. Quare Concilii studium, salva meliori sententia, in hoc deberet intendere, ut:

1) antiquas doctrinas et modos dicendi, qui in supra relatis damnationibus errorum continentur, renovet;

2) his documentis formulas saltem duas negativas, et saltem reprobativas « possibilium » errorum, noviter adiungat: in quibus praebeatur simpliciter (nulla addita ratione circa modum quo id explicari debeat) tamquam doctrina traditionalis illa quae opponitur *tum* tendentiae quae ambos ordines ita inter se connectit ut inde ratio indebiti supernaturalitatis respectu naturae non satis servetur, *tum* pariter tendentiae quae nimis urget separationem illorum ordinum, usque ad illud punctum criticum quod, proh dolor!, contemplamus in praxi sive individuali sive sociali moderna (etiam quorundam christianorum) tota laicismo imbuta, eo quod natura taliter ab istis concepta assignari difficiliter possit aliquod munus fidei, atque ea quae, saltem in abstracto, fere ut infinite distantia proponuntur iterum coniungere;

3) ne autem falsae interpretationi obnoxia sit expositio doctrinae traditionalis, ut excludentis nimiam separationem inter naturalem et supernaturalem ordinem, explicite revocet Concilium absolutam praeviae supernaturalis Dei revelationis necessitatem, ad hoc ut quis possit de qualicumque necessitate aut exigentia aut convenientia, aut tendentia etc. naturae relate ad supernaturalem ordinem loqui.

VOTUM N. 5

ASSERTIO SEU DEFINITIO DOGMATICA MONOGENISMI

(A. Blasucci)

Haec quaestio, quae intime connectitur cum aliis veritatibus fundamentalibus religionis christianae, a Patribus Concilii Vaticani I disertis verbis pertractata et tamquam veritas fidei definienda in praeparato schemate fuit proposita.

Status Quaestionis

Totum hominum genus potest considerari sub aspectu *unitatis* specificae et sub aspectu *unitatis* originis. Primo modo quaeritur utrum omnes homines conveniant in notis essentialibus necne; secundo modo quaeritur utrum omnes homines procedant via naturali generationis ab uno parente Adamo.

In praesenti agitur de unitate originis totius generis humani ab uno parente Adamo.

Haec assertio appellatur *Monogenismus.*

Monogenismo opponitur polygenismus, qui defendit totum genus humanum non ab uno sed a pluribus parentibus via naturali generationis procedere.

Polygenismus defenditur a praeadamitis et a coadamitis.

Ex praeadamitis quidam tenent alios homines et exstitisse et mortuos fuisse antequam Adam fieret; alii vero asserunt non omnes homines, qui ante Adamum creati sunt, mortuos fuisse ideoque totum genus humanum via naturali generationis procedere partim ab Adamo et partim ab illis hominibus qui ante ipsum fuerunt creati.

Praeadamismus primo modo propositus non contradicit Revelationi Divinae nec Ecclesiae Magisterio.

Quaestio enim agit de toto actuali genere humano, non autem de aliis hominibus qui forte ante Adamum exstiterint et morte consumpti fuerint. De istis nihil dicitur in Fontibus Divinae Revelationis.

Praeadamismus reiciendus et condemnandus est ille qui secundo modo propositus est.

Coadamitae tenent praeter Adamum alios homines plus minusve primordiales exstitisse ex quibus omnibus tamquam a pluribus stipitibus seu parentibus totum genus actuale humanum procedit.

Polygenismus defenditur a pluribus scientiarum naturalium cultoribus et a quibusdam viris catholicis sive scientiae theologicae sive aliarum scientiarum peritis.

Momentum quaestionis

Momentum actuale definitionis *Monogenismi* pluribus rationibus illustrari potest sive ab ordine supernaturali sive ab ordine naturali petitis.

a) *Ab ordine supernaturali.* Haec veritas intime connectitur: cum dogmate de universalitate peccati originalis quod in illa fundatur; cum dogmate de universali redemptione a Christo Domino nostro in sacrificio Crucis peracta et cum dogmate de hominum universali resurrectione.

b) *Ab ordine naturali.* Haec veritas ipsam unitatem specificam generis humani corroborat, vi cuius omnes homines vere fratres dicendi sunt utpote eandem naturam habentes et ab uno eodemque principio procedentes; inter ipsos charitatem et fraternitatem alit quae in ordine supernaturali consummatur in illa mysteriosa sed reali unitate hominum cum Christo Deo et homine (Corpus Mysticum).

Tandem haec veritas delet theoriam marxisticam illam quam luctam classium appellant, perniciosissimam ordini pacifico qui inter universas gentes regnare debet.

Fundamenta definitionis dogmaticae monogenismi

Quoniam veritas de fide definienda, contineri debet in Fontibus divinae Revelationis (S. Scriptura et Divina Traditione) afferendi sunt textus ex quibus veritas monogenismi demonstratur. Ut autem res clarius et tutius devincatur sunt etiam considerandae decisiones Magisterii Ecclesiae sive extraordinarii sive ordinarii quae intime connectuntur cum veritate monogenismi.

1. Decisiones Magisterii Ecclesiae extraordinarii.

Concilium Tridentinum in decreto *de peccato originali* sess. V, c. 1-4 veritatem monogenismi adeo continue supponit ut, hac reiecta, et aliae veritates dogmaticae negandae sint.

In can. 1 Conc. loquitur de transgressione mandati Dei commissa ab Adam, quem *primum hominem* appellat. Si Adam dicitur primus homo, clare asseritur non exstitisse alios homines plus minusve ipsi *coaevos* ideoque insinuatur coeteros omnes ab ipso procedere.

Quod in I can. insinuatur clare asseritur in secundo. Conc. enim definit Adae praevaricationem non sibi soli sed etiam eius *propagini* nocuisse; per peccatum inoboedientiae Adam transfundisse in omne genus humanum non tantum mortem et poenas corporis, sed etiam ipsum peccatum quod mors est animae.

Ergo Adam est caput propaginis humanae et quidem totius cum in ipsam seu « in omne genus humanum » peccatum eiusque sequelas

transfunderit. Hoc vero nullo modo explicari posset si omne genus humanum non procederet ab Adam tanquam ab uno parente via naturali generationis.

In can. 3 Conc. dicit peccatum Adae esse *origine unum* et propagatione, non imitatione transfusum omnibus inesse *unicuique proprium*. Ex hac assertione quaedam magni momenti consequuntur: *a*) peccatum originale non resultat ex pluribus peccatis a pluribus parentibus commissis, sed est peccatum unius hominis, scilicet Adae, qui fuit ergo primus homo (can. 1). Si peccatum originale fuisset a pluribus commissum, falso diceretur esse *origine* unum, cum peccata a singulis hominimus facta non sint unum sed plura (peccata) ideoque origine *sunt multa; b*) peccatum quod origine unum est non *imitatione* sed *propagatione* transfunditur. Quid vero *propagatione* intelligatur dicitur ab eodem Concilio in can. 4 ubi anathemate ferit eos qui parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negent ac si nihil ex Adam trahant originalis peccati. Ratio ob quam Conc. asserit etiam parvulos esse baptizandos est « ut in eis *regeneratione mundetur,* quod *generatione contraxerunt* » (D 791).

Proinde peccatum transfundi propagatione idem est ac transfundi generatione. Si ergo hoc peccatum, quod ab uno homine seu Adam fuit commissum, in omne genus humanum *generatione* transfunditur, consequitur omnes homines ab uno parente Adam via naturali generationis procedere.

Mens Concilii haec est: Adam est primus homo a Deo creatus et in paradiso constitutus ubi, praeceptum divinum transgressus, amisit iustitiam et sanctitatem et in mortem et alias poenas incurrit. Adam, utpote primus homo, est caput totius humanae propaginis in quam transfundit ipsum peccatum et omnes eius sequelas. Hoc peccatum habet tamquam auctorem solum Adam et transfunditur in omnes homines non imitatione sed propagatione seu generatione naturali. Ergo Adam est unicum principium et caput ex quo ceteri homines procedunt. Istae veritates sunt ita inter se connexae, ut si una negetur et aliae negandae sint. Monogenismus dici debet veritas ad fidem catholicam pertinens.

Quae a Conc. Tridentino dicta sunt, iterum inculcata fuere a Pio XII in Litteris Encyclicis *Humani generis*. Nostra aetate etiam quidam viri catholici defendebant polygenismum quem uti opinionem coniecturalem probabiliorem habebant. Hanc vero SS. Pontifex his verbis reiecit: « Cum vero de alia coniecturali opinione agitur, videlicet de polygenismo, quem vocant, tum Ecclesiae filii eiusmodi libertate minime fruuntur. Non enim christifideles eam sententiam amplecti possunt, quam qui retinent, asseverant vel post Adam hisce in terris veros homines exstitisse,

qui non ab eodem prouti omnium protoparente, naturali generatione originem duxerint, vel Adam significare multitudinem quamdam protoparentum; cum nequaquam appareat quomodo huius modi sententia componi queat cum iis quae fontes revelatae veritatis et acta Magisterii Ecclesiae proponunt de peccato originali, quod procedit ex peccato vere commisso ab uno Adamo, quodque generatione in omnes transfusum, inest unicuique proprium »[1]

2. *Textus S. Scripturae.* Adamum esse primum hominem et protoparentem ceterorum patet ex pluribus textibus S. Scripturae. In primis capitibus Geneseos sermo est de uno eodemque homine qui parens omnium ceterorum hominum dicitur.

Gen. 2, 5: « Et homo non erat qui operaretur terram ». « Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terrae et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae et factus est homo in animam viventem » (v. 7). « Non est bonum esse hominem solum; faciamus ei adiutorium simile sibi » (v. 18). In *Gen.* 1, 26 sq. sermo pariter est de creatione viri et mulieris.

Si isti essent alii ac Adam et Eva de quibus est sermo in *Gen.* 2, iam antequam formaretur Adam, exstitissent homines qui operarentur terram; fuisset quoque adiutorium simile Adamo.

Gen. 3, 20: « Et vocavit Adam nomen uxoris suae Eva, eo quod mater esset cunctorum viventium ». Iamvero in adversariorum hypothesi Eva non esset mater cunctorum viventium.

Cf. *Gen.* 2, 19 cum *Gen.* 1, 26 sq. et clare apparet identitas inter unum eundemque hominem qui a Deo constitutus est tamquam dominus, et quidem unicus, animalium totiusque universi.

Sap. 10, 1: « Haec (sapientia) illum qui primus formatus est a Deo pater orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodivit ».

Act. 17, 22 sqq.: « Stans autem Paulus in medio Areopagi, ait: Viri athenienses ... Deus qui fecit mundum et omnia quae in eo sunt. ... Fecitque *ex uno* omne genus hominum inhabitare super universum faciem terrae ».

Ergo apertis verbis declaratur *unitas originis* totius generis humani eiusque propagatio super totam terram.

At Apostolus clarissimis verbis eamdem doctrinam tradit in sua Epistola *ad Romanos,* 5, 12 sqq.

« Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit et per peccatum mors; et ita in omnes homines mors pertransiit in quo omnes peccaverunt (v. 12).

---

[1] *A.A.S.* 42 (1950).

« Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius (Christum) iustitiam in omnes homines in iustificationem vitae » (18).

Habetur perfectus parallelismus inter Adam, caput totius humanae propaginis, quam suo inoboedientiae peccato foedavit et Christum qui illam sua oboedientia a peccato redemit. Nunc sicut Christus est singulariter unus homo qui totam humanam propaginem liberavit a servitute peccati, ita et Adam est singulariter unus homo qui totam suam propaginem peccato foedavit.

Praeterea totus contextus huius loci paulini clare significat *unum* tantum peccavisse tamquam ceteros omnes repraesentantem. Non tantum *unus* peccavit sed omnes eius consequentias patiuntur. Unus homo opponitur ceteris omnibus ideoque omnes dependent ab *illo uno.* Si omnes dependent ab illo uno, nullus est qui ab eodem non dependeat. Si omnes peccaverunt et omnes moriuntur per peccatum Adae, eo ipso excluditur exsistentia hominum qui non peccaverunt in mundo et in genere humano.

Non possunt consequenter exsistere alii homines anteriores, coevi vel posteriores generis humani actualis qui non sint peccato Adae connexi.

Peccatum Adae quoniam fuit ianua per quam in mundum ingressum est, eo ipso excluduntur alia peccata quae ante illud in mundum sint ingressa.

Ergo clarissime ex textu paulino eruitur Adam esse primus omnium hominum parens ex cuius peccato illi fuerunt maculati.

Apostolus eamdem doctrinam docet in *I Cor.* 13, 21 sqq. ubi loquitur de universali hominum morte et resurrectione: « Sicut omnes in Adam moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur » (v. 22).

Ex Patribus

Patres hanc veritatem uti evidentem habent cum clare doceatur in S. Scriptura.

S. Irenaeus: *Adv. haer.* 1. 3, c. 23, n. 2; MG 7, 961: « Hic est autem Adam, si oportet verum dicere, primiformis ille homo, de quo Scriptura ait dixisse Dominum: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram; *nos autem omnes ex ipso;* et quoniam sumus ex ipso, propterea quoque ipsius hereditavimus appellationem ».

S. Augustinus: *in Ioh.* tr. 9, n. 10; ML 35, 1463: « In ipso exordio Adam et Eva parentes omnium gentium erant, non tantummodo iudaeorum ».

« Verum in re adeo clara opus non est ut plura testimonia Patrum commemoremus. Satis ergo sit notare, dogma de propagatione totius generis humani ab uno Adamo, assertum esse a Patribus etiam simul cum dogmate de propagatione peccati originalis; maxime in controversia cum pelagianis, qui illius peccati exsistentiam infitiati fuerunt » (B. BERAZA, *De Deo Creante et Elevante,* p. 453, n. 900).

EX RATIONE THEOLOGICA

Doctrina de peccato originali ad hoc reduci potest: quilibet homo ex hoc ipso quod ab Adamo donis supernaturalibus spoliato via naturali generationis procedit, nascitur et ipse cum eodem peccato quod transmitti potest quia est peccatum naturae.

Si ita est, nullo modo videtur ea conciliari posse cum polygenismo. Iuxta hanc opinionem peccatum originale esset summa seu complexus peccatorum quae a diversis progenitoribus saeculorum decursu commissa fuere. Quia vero hi progenitores non simul sed successive in terra apparuerunt, dicendum est plura saecula transegisse donec peccatum originale ab illis committeretur. Iamvero his saeculis labentibus potuerunt nasci plures homines sine peccato originali. Hoc est directe contrarium doctrinae de universalitate eiusdem peccati prout a Concilio Tridentino fuit definitum in sess. V, can. 2. Ergo polygenismus *mutat substantialiter* dogma de universalitate peccati originalis.

His consideratis hoc modo proponi posse videtur *schema definitionis* dogmaticae: « Si quis negaverit totum genus humanum ab uno protoparente Adam procedere, A. S. ».[1]

VOTUM N. 6

DE ERRORIBUS A FALSO MYSTICISMO DERIVANTIBUS

(P. Migliore)

Doctrinam quae a creaturarum et finitorum quorumcumque essentia Dei naturam et personas absolutissime discernit, ad fundamentalia catholica dogmata spectare, nemo est qui ignoret.

Ex qua absoluta discretione, ex omnimoda quoque necessaria perfectione, et essentiali immutabilitate Dei; atque, alia ex parte, ex limi-

---

[1] Pro bibliographia cf. B. BERAZA, *De Deo Creante et Elevante,* Bilbao 1924; F. CEUPPENS, *Quaestiones selectae ex historia primaeva,* 2 ed., Roma 1948; B. MARIANI, *Il Poligenismo e S. Paolo,* in *Euntes Docete* 4 (1951), 121-46; P. DE AMBROGGI, *La Storia Primordiale biblica,* in *Scuola Cattolica* 79 (1951), 245-56 (con bibl.).

tatione essentiali, intrinseca potentialitate entis cuiuscumque creati ac finiti, nec Dei ad finita degradatio, nec creaturae ad essentiam divinam transformatio, imo nec ulla veri nominis in unitate, vel essentiali unius eiusdemque participatione naturae, communio, ullo pacto rationabiliter cogitari posse, omnibus compertum est.

Ad haec doctrinae capita tutanda, quae vel ipsa revelatione expressa, vel cum revelatione intime connexa, indeficiens in veritate Ecclesiae sensus, Patrum testimonium, Doctorum consensio adamussim professa sunt, Magisterium quoque Ecclesiasticum contra cuiusque generis haereticorum attentatus per temporum adiuncta vigilare numquam destitit.

Etenim ab antiquissimis temporibus non defuerunt, qui principia caeterum ipsi rationi apprime respondentia labefactare conarentur. In memoriam revocare sufficiat, quae Priscillianistae et Manichaei (DENZINGER 31 et 235) circa animae humanae atque angelorum originem; vel quae, licet de sola Christi persona, Monophysitae asseruerint.

Nec putandum veterum ista fuisse exclusiva, vel imperitis philosophandi conaminibus abscribenda, cum ipso saeculo aureo Scholasticae Magistrum Eckardum (cf. DENZ. 510), et successivis temporibus, sub influxu recentiorum philosophicorum systematum, non raro tendentiis pantheisticis sollicitari animos compertum sit, ut Romanos Pontifices ad noviter insurgentes errores compescendos intervenire oportuerit (cf. PIUS IX, *Syllab.,* prop. 1; DENZ. 1701).

Si nunc animum intendimus ad causas perquirendas, unde perniciosa haec tendentia suas radices desumat, dolendum sane erit non semper motiva mere philosophica in illam influere, cum quandoque, nec rarissime quidem, occasio ex rebus strictissime theologicis seu dogmaticis depromatur.

Etenim ubi quis aestu speculandi immoderate allectus, atque paulisper transcendentiae mysteriorum oblitus in ipsam veritatis mysteriosae essentiam introspicere ratione naturali praesumit, facile ad errores dilabitur, et inutili conatu implicitus veritatem intra limites humanae intelligentiae coarctandi deprehenditur.

Ergo praeter problema, necessarias naturales relationes Deum inter et creaturas, entium principiatorum et rerum omnium Principium, respiciens, ineffabilia quoque mysteria *Divini consortii,* ad quod anima regenerata et supernaturaliter elevata per gratiam Dei attollitur, et *Corporis Christi mystici* in campum trahuntur.

Hac nimirum ratione, S. Pont. Pius XII, in Enc. *Mystici Corporis* de falso *mysticismo* conqueritur, « qui limites removere conatus inter creatas res earumque Creatorem, Sacras Litteras adulterat » (*A.A.S.,* 35 [1943] 197).

Mirandum quidem tot Magisterii supremi monita et actus non satis haberi a novitatum quibusdam amatoribus, nec eos a repugnantibus doctrinis adhuc inducendis omnino compesci, licet iidem dicta sua caute et astute contegere, nec generatim per scripta publici iuris vulgare, sed proponere inter discipulos et scrictioris ambitus asseclas consueverint, atque ita incautos in suas sententias attrahere, eorumque conscientiae obiectiones specie veritatis mysteriosae mulcere, ac tandem Patrum, Doctorum, S. Scripturae et ipsius supremi Magisterii documenta in suas sententias subtiliter detorquendo palliare.

Doctrina itaque, quae iuxta expressionem *II Pet.,* 1, 4, ex *Divino consortio* nominatur, hasce quandoque nacta est expositiones:

1) quasi in vita praesenti, vel in futura, in unitatem divinae naturae homines sint transformandi;

2) ita quidem, ut naturae evadat perfectissima unitas, permanente sola personarum — Divinarum atque humanarum — reali distinctione;

3) vel saltem ita, ut activitas humana, in vita beatifica, in Divinam sit absumenda ac praeterea Beati per actum et virtutem divinam formalissime, et intelligant et ament;

4) alii vero huiusce animae elevatae cum Deo unionis exemplar in unione hypostatica humanitatem inter et personam Verbi invenire putant;

5) unitas quoque cum Christo et in Christo per *Corpus mysticum,* quandoque ex Christi Divinitate ita repetitur, tamquam scilicet ex unitate in Divina essentia et operatione instauranda;

6) alii denique hanc unionem mysticam ita intellexerunt, ut inde unum physicum — licet pneumaticum — Christi corpus resultaret, cuius scilicet homines incorporati physica membra essent habenda, ac propterea ut ipsa persona Christi physica adoranda (Cf. *La Civiltà Cattolica,* 91 [1940] IV, 391; *L'Osservatore Romano,* 13 nov. 1940, circa opus damnatum a Congr. S. Off. 30-31 ott. 1940, *A.A.S.* 32 [1940], 502).

Addas praeterea formulas ambiguas in quibusdam personarum coetibus mysticismo imbutis vulgo adhibitas, quae aures quoque theologico sermoni et idiomati assuetas offendunt, quaeque theorias propositis affines facile produnt.

Nunc autem ad damna praecavenda, quae ex horum vel similium errorum insinuatione et divulgatione timeri possunt; in ortodoxae fidei tutelam; in omnium credentium utilitatem, ac praesertim theologorum in fidei dogmatibus enucleandis et illustrandis incumbentium, definitivam propositionem doctrinae ab infallibili Ecclesiae Magisterio, valde esse profuturam aestimandum est, quantumvis propositio in forma fiat nega-

tiva, qua scilicet praecipua capita proscribantur, in quae inclinare aberrantes experientia compertum est, vel quae certo certius a rectae doctrinae tramite deviare constat.

Haec ergo, ex habitudine — licet indirecta vel negativa — cum praefatis dogmatibus *Divini consortii,* et *Mystici Christi Corporis,* sollemniter pronuntianda desiderantur:

1) nullam omnino creaturam, nec in vita praesenti nec in futura, ad unam cum Deo essentiam constituendam ullo pacto devenire posse;

2) nullius creaturae actum et operationem, nec in praesenti vita nec in futura, in divinam operationem vel actum esse absumenda, vel cum divinis identificanda;

3) unionem hypostaticam divinam inter humanamque naturam, ad unam Iesu Christi personam spectare;

4) unionem Corporis Christi Mystici non ita esse intelligendam, quasi per eam una physica substantia vel operatio quacumque ratione resultaret.

Res tandem hac vel simili formula a Concilio proponi potest:

praeter ea quae de unione hypostatica naturarum et operationum in Christo, tamquam mysterium singulare saeculis absconditum inviolabiliter tenuit ac tenet S. Mater Ecclesia, neque in praesenti vita neque in futura, neque in naturali neque in supernaturali ordine, ullam attigisse vel umquam attingere creaturam ad unitatem per se et substantialem, in essendo vel in operando, cum Deo et Christo eius.

Vel, in forma canonis:

si quis dixerit creaturas unam cum divina esse substantiam; vel homines seu creaturas rationales, et irrationales quascumque, in vita praesenti vel futura, unam cum Deo essentiam, vel creatam operationem unam cum divina posse constituere; vel tandem, in Christo aut per Christum ad unitatem substantialem cum ipso vel cum Divinis Personis posse deveniri, A. S.

VOTUM N. 7

DE HUMANA LIBERTATE ET DE MORALI OBLIGATIONE

(A. Pompei)

Sunt inter philosophos et moralistas catholicos qui, ne ignorare forsan novitates videantur, vel ob sinceram etiam suasionem, nimis doctrinis minus consonis, nisi et eversivis Moralis catholicae traditionalis de moralis obligationis fundamento, indulgent, in quibusdam non tantum de illius obligationis natura sed de ipsa eius exsistentia dubium movetur.

Aiunt enim libertatem per obligationem minui vel destrui, ideoque

actionis moralitatem tueri non posse nisi agens plena agat spontaneitate, a qualibet obligatione, libera.

Etsi *Christiani auctores* satagunt ex una parte demonstrare hanc theoriam omnino christianam esse, quatenus ita moralis actio evaderet purus amoris caritativi actus ipsi Dei amori similis, et ex altera parte non acceptant, generaliter, necessaria praesupposita et extremas consequentias illius doctrinae (negationem scil. ipsius exsistentiae tum obligationis tum ipsius Dei, utpote qui, si exsisteret, necessario fons obligationis esset), videtur tamen Concilium silere non posse de hac doctrina quae tam intime cum atheismo connectitur, cum ab atheismo logice praescindere non possit.

Catholici igitur, immo quicumque Dei personalis exsistentiam profitentur, ridiculi evadunt quando insudant in concilianda doctrina de Dei exsistentia cum huiusmodi moralibus conceptionibus essentialiter atheisticis, idque, ut aiunt, non negando sed praescindendo ab exsistentia obligationis. Quo enim pacto ab obligatione praescindere possint, quin eo ipso a Dei exsistentia praescindant, intelligere vix aliquis potest.

Quia autem tota haec doctrina moralis ex eo procedit apud *non catholicos,* quod voluntatem non concipiunt ut liberam nisi sit ipsa creatrix valorum moralium, idque non tantum per liberam electionem, quatenus electio voluntaria esset ratio valoris moralis (quod aliquomodo verum est), sed etiam quia illa electio, necessaria ut adsit valor, non est tamen ratio ipsius actus voluntatis eligentis: aliis verbis, voluntas neque obligatur ad eligendum praecise ex eo quod electio necessaria est ut valor habeatur moralis, secus non esset libera et, per consequens, neque esset valor. Nihil igitur, sive in caelis sive in terris, dari potest quod sit ratio seu fundamentum actus libertatis sic conceptae, quia tale fundamentum negaret ipsam libertatem.

Cum vero obligatio sit fundamentum electionis voluntariae, seu ratio ob quam voluntas statuit aliquid faciendum, ideo non potest aliquis praescindere ab obligatione quin eo ipso pariter ab eius tum remota tum proxima fonte praescindat: quo fit, ut ille qui in libera seu in morali activitate peragenda ab obligatione praescindit, praescindere etiam debeat ab ipso Deo, quatenus est finis ultimus respectu cuius actio dicitur bona vel mala moraliter (est scilicet valor), ideoque facienda vel non facienda, seu obligatoria vel non obligatoria.

Non immerito igitur deberet *Concilium* Ecclesiae mentem declarare hac in re. Salvo semper meliore iudicio, mihi videtur *sequenti declarationi,* adhuc tamen ultro perficiendae et perfectius exprimendae, esse subscribendum:

Errant qui moralem sine obligatione, eo praeciso sensu propugnant,

quo acatholici nonnulli tenent obligatione morali tolli libertatem voluntatis, utpote cuius activitati electivae praesupponi non possit ulla obiectiva ratio, qua et spontaneitas libertatis corrumperetur, et valor moralis, de cuius ratione est praecise illa absoluta spontaneitas liberae electionis, destrueretur: haec enim doctrina, prout a suis fautoribus proponitur, est tum ordinis moralis obiectivi, tum ipsius Dei exsistentiae eversiva.

Caveant igitur catholici auctores, ne quando volunt, recta ducti intentione, ad spiritualem perfectionem christifideles inflammare, monentes eos ne propriam activitatem moralem restringant simpliciter ad id ad quod lege, sive supernaturali sive naturali quacumque, obligantur, id concipiant vel etiam exponant, vel quasi actionis moralitas obligationem excludere deberet, vel saltem quatenus eadem moralitas non servaretur nisi ab obligatione praescinderet tamquam a ratione quae determinaret voluntatem ad actum eligendi quid sit faciendum.

VOTUM N. 8

DESIDERATA REVISIO AC REDUCTIO GRAVIORIS OBLIGATIONIS MORALIS VARIIS LEGIBUS MERE POSITIVIS ECCLESIASTICIS INHAERENTIS

(L. Simeone)

Proponitur quod quaedam leges seu etiam praecepta quae sub mortali obligant ob solam positivam legislationem, non obligent sub peccato mortali sed exclusive ad subeundam poenam.

Sermo hic venit de iis legibus quae ideo sub gravi obligant quia a sola voluntate legislatoris id statuitur. Praeterea, secundaria ratione, de iis etiam legibus quae, quamvis fundentur in lege naturae aut divino-positiva, ad grave peccatum obligant tantum in circumstantiis a solo legislatore positive determinatis.

Exempla horum plura habentur in legibus ecclesiasticis, ut de aliis taceatur. Ita v. g.: ingressus et egressus e clausura papali stricte dicta; chori celebratio; editio librorum absque praevia censura vel absque *imprimatur* Ordinarii; observantia ieiunii naturalis pro Eucharistia conficienda aut recipienda; ieiunium et abstinentia feria sexta aliisque diebus statutis; delatio habitus et tonsurae pro clericis; confessio mulierum in confessionali peragenda; adhibitio patronorum in baptismate; inhibitio negotiandi clericis facta; celebratio Missae extinctis candelis; accensio lampadae coram Sanctissimo; tempus seu hora celebrationis missarum; absolutio ex parte sacerdotis incompetentis ab aliquibus peculiaribus reservatis; prohibitio venationis; et similia.

Praeterea quaedam alia quae rationem suae gravis obligationis, ut praefertur, accipiunt a positiva tantum determinatione. Ita v. g.: quod Missa interdum aut etiam semel in hebdomada audiatur necessario die dominico seu festivo; quod confessio et communio semel in anno facienda, fieri necessario debeat tempore paschali; quod nullus prorsus liber prohibitus ex sola lege positiva legi debeat; quod Missa pro populo a curam animarum habentibus debeat celebrari; quod omittere vel unam parvam horam canonicam sit grave peccatum; et similia.

In favorem praefatae propositionis plura habentur, inter quae sequentia hic referuntur.

1. Hodie generaliter hac dicta ratione in similibus agitur. Sic v. g. quae in Regulis seu Constitutionibus singularium Religionum habentur non obligant nisi ad poenam. Praxis ipsa Sacrarum Congregationum haec est in approbandis novis aut renovatis Constitutionibus diversarum Religionum. Pleraeque harum vero id explicite habent, quod nempe ad solam poenam obligant.

2. Tractu temporis, sola positiva dispositione quaedam ita mutantur quod quae antea etiam gravissima habebantur et ideo sub peccati mortalis poena obligabant, dein ad veniale tantum vel ad nullum omnino peccatum obligaverunt. Habeatur ante oculos rigorosissimum exemplum de ieiunio naturali servando pro celebratione Missae vel sacrae Communionis recipiendae ut hucusque statutum erat. Hodie tota haec disciplina levissima, relative, facta est. Iamvero fideles difficillime prorsus se suadent poena aeterna dignos fuisse qui illa tam rigida statuta violarunt, hodie vero illa abolita fuisse.

3. Natura poenae aeternae seu inferni, prae omnibus horribilis, requirit ut illa potius reservetur iis gravibus praeceptis violatis quae ipso iure divino, naturali vel positivo, servanda sunt. Etenim, hac poena in sua intima natura considerata, fere inintelligibile apparet v. g. quod ad poenam inferni damnentur clerici qui vel unam horam canonicam, etiam voluntarie, omiserunt celebrare; vel fidelis qui, item etiam voluntarie, carnem die veneris manducavit; aut monialis quae ad breve tempus e clausura egrediatur seu fidelis qui in eamdem ingrediatur; item fidelis qui communionem etiam sua culpa recepit uno alterove die, vel etiam serius, post expletum tempus paschale; vel Superior religiosus qui chorum absque ulla causa celebrandum non curavit, etc. Non est nempe cur recordemur infernum esse rem tam seriam quod vix concipi potest tali facilitate a Deo dispensari.

4. Confirmatur ex eo quod fideles, et forte quidam etiam ecclesiastici, meditantes hanc facilitatem inducendi inferni poenam, ipsam fidem

in ipsum sensim sine sensu amittant. Quod certe aliqua ratione vitaretur si leges praefatae abolerentur vel saltem minuerentur.

VOTUM N. 9

SIMPLIFICATIO AC REDUCTIO INST. POENALIS ECCLESIAE

(L. Simeone)

Proponitur revisio integralis libri V Codicis I. C., ita ut idem ad pauca tantum essentialiora reducatur et simpliciori forma redigatur.

In favorem huius propositionis sequentia adducuntur.

1. Nemo fere hodie habetur qui vere et bene callet iis omnibus quae in libro V Codicis continentur. Neque id tribui tantum potest defectui sufficientis studii iuris poenalis. Praeterea continua, atque hic inde opposita et extensissima iurisprudentia circa eundem librum et ea quae in eodem continentur, induxit et inducit maximas confusiones, incertitudines theoreticas et practicas, et etiam non raro graves errores.

2. In confessionibus audiendis et explendis anxietates quam maximae saepe oriuntur tum pro poenitentibus tum pro ipsis confessariis. Haec obtinent v. g. in iis quae respiciunt necessarios recursus ad alias personas, ut Ordinarios locorum aut ipsam Apostolicam Sedem; quae odiosissimam pro fidelibus confessionem reddunt, praesertim si consideretur haec verificari generatim cum iis qui minus dispositi censeri debent aut gravioribus iam implexi.

3. Non est demonstrandum multa hodie obsoleta dici debere, sive quod spectat fideles sive quod religiosos aut clericos saeculares. Quod v. g. spectat fideles, inutilia apparent ea omnia quae referuntur sive interdictis personalibus sive localibus, et in genere omnes reservationes de quibus non amplius curant et onus aliquod soli confessario addunt.

Ideo proponitur quod v. g. 1) poenae medicinales reducantur soli excommunicationi; quod 2) excommunicatio ipsa reservetur, si id utile adhuc censebitur, unica ratione seu modo Apostolicae Sedi, atque, ut patet, pro paucissimis omnino casibus; quod 3) reservatio peccatorum, si adhuc urgenda videatur, ad maximum simplificetur, ita ut semper ac poenitens confessarium petit ab hoc statim seu prima ipsa vice et quidem definitive absolvi possit; quod 4) reservationes ratione censurae et ratione peccati, excommunicationes ferendae et latae sententiae, poenae ab homine et a iure, similiave, iterum ad simpliciorem prorsus formam reducantur, et quaedam ex his institutis penitus aboleantur; quod 5) aliqua severitas reservetur, cum casus erit, clericis et religiosis qui graviter delinquunt.

VOTUM N. 10

UNIFORMITAS IURIS ET DISCIPLINAE CIRCA PUNCTA QUAEDAM MAIORIS MOMENTI (de diebus Festis et de Ieiuniis) IN ECCLESIA LATINA ET IN ECCLESIIS ORIENTALIBUS UNITIS INDUCENDA

(D. Faltin)

I. Status quaestionum

Valde opportunum videtur, ut in universa Ecclesia catholica saltem circa praecipua iuris et disciplinae praecepta maioris momenti, quae nempe respiciunt ordinem publicum, veluti dies festos de praecepto, legem ieiunii et abstinentiae et impedimenta matrimonialia, maior uniformitas habeatur.

Non raro enim accidit, prouti ex schematibus Codificationis Orientalis apparet, quod acatholici, ex diversitate disciplinae praesertim ordinis publici, quae viget inter Ecclesiam occidentalem et Ecclesiam orientalem, argumenta desumentes, contra unitatem et catholicitatem Ecclesiae pugnant.

Hic autem non agitur de illis iam notis quaestionibus theologico-speculativis, quas acatholici contra Ecclesiam movent, sed de obiectionibus theologico-practicis seu iuris et disciplinae.

II. Quoad dies festos de praecepto

a) Festum ecclesiasticum in genere, quod nunc feriae sive diei communi opponitur, est dies qui speciali modo ab Ecclesia cultui divino est dedicatus. Festa Ecclesiae, sensu stricto dicuntur illi dies sanctae laetitiae et specialis cultus divini quibus *ex praecepto ecclesiastico* universus populus fidelis iubetur vacare a laboribus servilibus et assistere saltem sacrificio Missae.[1]

b) *Festa dicuntur*:

1) *communia,* quae in universa Ecclesia celebrantur, et *particularia* quae *tantum* in particulari territorio vel a certis personis servantur;

2) *mobilia* et *immobilia;* haec celebrantur singulis annis die fixo,

---

[1] Cf. can. 1248; can. 16, 29 et 49 Conc. Laodicensis (a. 343-381, in Hefele, *Historia Conciliorum,* t. I, p. 762; Schmalzgrueber, *Ius Ecclesiasticum universum,* lib. II, t. 9, n. 2).

illa autem diem fixum celebrationis non habent, sed dependentem a festo paschatis;[2]

3) ordinaria, quae ex sacrorum canonum dispositione singulis annis statutis diebus sunt celebranda, et extraordinaria sive repentina, quae extra consuetum ordinem anni ecclesiastici sive a iure sive competente Superiore ecclesiastico sunt praescripta.

c) Utrique Ecclesiae inde iam a temporibus Apostolorum communis fuit celebratio diei dominicae, sive diei solis.[3]

Cui Festo principali singulis hebdomadis celebrando paulatim alia accesserunt unoquoque *anno* statutis diebus sive mobilibus sive immobilibus peragenda, inter quae praesertim eminent festum nativitatis D. N., epiphania, pascha, pentecostes.[4]

Quorum festorum catalogi saltem inde a saec. VII ab Episcopis vel Conciliis particularibus concinnari coepti sunt.[5] Nam primis illis temporibus Romani Pontifices nondum sua potestate usi sunt ad instituenda et praescribenda festa in universa Ecclesia. Multo minus institutio alicuius festi etiam particularis fuit causa quaedam maior soli Romano Pontifici reservata. Hinc potestas Episcoporum vel Conciliorum particularium ad festa instituenda vel approbanda, forte ex pia consuetudine in ipsorum territoriis de facto iam inducta, sine ulla dubitatione fuit admissa.[6]

Cum versus finem medii aevi numerus festorum sive ex iure communi [7] sive ex statutis particularibus [8] valde auctus esset etiam abusus in eorum celebratione orti sunt.

---

[2] Cf. EUSEBIUS, *Historia Eccl.,* l. V, cap. 2, in HEFELE, *op. cit.,* t. I, p. 86. – *N.B.*: De varia disciplina celebrandi diem paschatis in antiqua Ecclesia controversiae ortae sunt. Nostra aetate auctores disputant de immutando die festi paschalis, ita ut incidat in dominicam mediam inter 4-11 aprilis unoquoque anno.

[3] Cf. *Apocal.* I, 10; *Act. Apost.,* XX, 7; S. IGNATIUS: *Epist. ad episcopum Magnensem* c. 9; c. 20 Conc. Nicaeni (a. 325) = c. 13 D. III De consecr.

[4] Cf. KRAUS, *Real Enziklopädie,* v. *Festa,* ubi de origine historica singulorum festorum disserit; BENEDICTUS XIV, Const. *Nihil,* d. 12 aug. 1742, Const. *Ab eo,* d. 5 nov. 1745, Const. *Nullo modo,* d. 14 nov. 1748; PIUS VI, Const. *Auctorem fidei,* d. 28 aug. 1794.

[5] Cf. C. 1 Conc. Tolet. X (a. 656); Statuta synodalia S. Bonifacii cap. 36; Synod. Aquisgranen. (a. 809) Capitular. II, cap. 19; c. 1, D. III de consecr.

[6] Cf. c. 27 Conc. Aurel. I (a. 511) et c. 2, 3, Conc. Gerund. (a. 517) de rogationibus; c. 3 Conc. Tarraconen. (a. 1239).

[7] Romani quoque Pontifices medio aevo usi sunt iure suo instituendi nova festa: v. g. Urbanus IV 1264 festum Corporis Christi instituit; cf. etiam cap. unicum de relig. II, 16 in Clem.

[8] Cf. c. 3 Conc. Tarraconen. (a. 1239) de festis S. Theclae, S. Francisci Assisiensis, S. Dominici, S. Antonii Patavini; Conc. Magfeld. prov. Cantuar. (a. 1362).

Concilium Tridentinum numerum festorum nec pro suprema sua auctoritate definivit nec imminuit neque Episcopis antiquam potestatem instituendi nova festa subduxit.[9]

Tandem Urbanus VIII, Const. *Universa* d. 13 sept. 1642 catalogum reformatum festorum promulgavit, in quo enumerantur festa, quae *de praecepto ex iuris communis sanctionibus unice* essent servanda.[10] Qui catalogus postea nonnisi leviter a Rom. Pontificibus immutatus fuit.[11] Deinde S. Pius X morem gerens exigentiis nostri temporis et consulere volens unitati disciplinae quod ad numerum festorum in universa ecclesia catholica attinet, disciplinam de diebus festis moderavit,[12] praeter dies dominicos tantum octo dies festos retinendo, quibus in *C.I.C.* accesserunt duo ex suppressis illa Constitutione.

d) Dies festi in iure vigenti:

1) *in C.I.C.*: Quae dicta sunt de diebus dominicis pertinent etiam ad alios dies festos, quae in disciplina *C.I.C.* servati sunt, videlicet festa Nativitatis, Cricumcisionis, Epiphaniae, Ascensionis et Sanctissimi Corporis Christi (festa Domini); item Immaculatae Conceptionis et Assumptionis Almae Genitricis Dei Mariae (in honorem B. V.); praeterea S. Ioseph Sponsi B. V.; beatorum Apostolorum Petri et Pauli et omnium Sanctorum.[13]

At, inter Ecclesiam latini ritus et Ecclesiam orientalium rituum, nulla habetur uniformitas nec quoad numerum festorum de praecepto neque quoad tempus celebrationis eorum festorum quae in utraque Ecclesia celebrantur, prouti ex allato schemate codificationis orientalis apparet.

---

[9] Cf. Conc. Trident., Sess. XXV de regul. cap. 12 et decret. de invocatione Sanctorum et Sess. XXV de diebus festis.

[10] Cf. *S.C.R.*, decret., d. 18 apr. 1643; BENEDICTUS XIV, *Doctrina de Serv. Dei beatificatione*, l. IV, part. 2, cap. 16; PIUS VI, Const. *Auctorem fidei*, d. 28 aug. 1794, prop. 74.

[11] Cf. CLEMENTIS XI, Const. *Commissi*, d. 6 dec. 1708, de restaurato festo Immaculatae Conceptionis B. M. V. in universa Ecclesia.

[12] Cf. S. PII X, Const. *Supremi disciplinae*, d. 2 iul. 1911, in *A.A.S.*, III, 305.

[13] Cf. can. 1247; item cf. MARTINUS V, Const. *Ineffabile*, d. 26 maii 1429, § 1; EUGENIUS IV, Const. *Excellentissimum*, d. 26 maii 1433; S. PIUS V, Const. *Cum primum*, d. 1 apr. 1566, § 7; URBANUS VIII, Const. *Universa*, d. 13 sept. 1642, § 2; CLEMENS XI, Const. *Commissi Nobis*, d. 6 dec. 1708; LEO XIII, litt. ap. *Quod paucis*, d. 28 ian. 1890; litt. ap. *Etsi apud nobilissimam*, d. 3 iun. 1890; litt. ap. *Quod erat maxime*, d. 3 mart. 1891; S. PIUS X, motu prop. *Supremi disciplinae*, d. 2 iul. 1911, n. 1; *S.R.C.*, S. Ioseph, d. 8 maii 1621; decr. gen., d. 13 sept. 1692;

2) SCHEMA *de diebus festis de praecepto in Ecclesia orientali servandis*:

§ 1. Dies festi de praecepto, in universa Ecclesia Orientali servandi sunt: omnes et singuli dies dominici, festa Nativitatis D. N. I. Christi, Epiphaniae, Ascensionis, Dormitionis Almae Genitricis Dei Mariae, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum.

§ 2. Sequentes vero dies festi ubi iure particulari vigent servandi sunt: festum Circumcisionis D. N. I. Christi, Ingressus Domini in templum, feria VI in Parasceve, feria II post dominicam Resurrectionis, et feria II post dominicam Pentecostis, festum Sanctissimi Corporis Christi, Transfigurationis, Exaltationis SS.mae Crucis, Immaculatae Conceptionis, Nativitatis et Annunciationis SS.mae Dei Genitricis Mariae, Sancti Iosephi eius Sponsi, Omnium denique Sanctorum. Item alii dies festi servandi ex probati Concilii vel probatae consuetudinis praescripto.

Igitur, festa Circumcisionis Domini, Sanctissimi Corporis Christi, Immaculatae Conceptionis B. M. V., S. Ioseph Sponsi B. M. et Omnium Sanctorum non in tota Ecclesia orientali sunt de praecepto, sed tantum ab aliquibus Communitatibus Orientalibus (v. g. Malabaresi) celebrantur. Praeterea festum Nativitatis Domini et dies Paschae in Ecclesia latina celebrantur secundum Kalendarium Gregorianum, in Ecclesia orientali autem secundum Kalendarium Iulianum.

At, plures Delegati Codificationis orientalis petierunt, prouti ex schematibus eiusdem Codificationis constat, ut omnia festa de praecepto in universa Ecclesia catholica sint communia. Revera, haec diversitas inter utramque Ecclesiam, latinam scilicet et orientalem, sive quoad numerum sive quoad tempus celebrationis festorum de praecepto, nocet unitati et catholicitati Ecclesiae, uti v. g. in America ubi permulti Protestantes habentur, et perturbat ordinem publicum praesertim in illis territoriis et regionibus, in quibus catholici diversi ritus insimul commorantur. Quapropter necesse est, ut in Concilio Oecumenico Vaticano II hac in re ad maiorem uniformitatem tandem aliquando deveniatur.

e) Item, propter easdem rationes desideratur, ut dies festi paschalis in utraque Ecclesia immutetur, ita ut incidat inter 4-11 apr., ex quo fiat festum immobile, et die fixo unoquoque anno celebretur.

Cetera omnia festa, quae non pertinent ad festa ordinaria seu canonis, ubi iure particulari vigent, serventur.

f) Ad maiorem uniformitatem obtinendam in universa Ecclesia catholica, etiam experientia Commissionis Codificationis *C.I.C.O.* prae oculis habenda est. In Congressu VI enim Commissionis orientalis pro Concilio Oecumenico Vaticano I nonnulli Hierarchae Orientales petierunt, ut data venia, locus et tempus adsignaretur, ut in eiusdem Concilii sche-

matibus disciplinaribus ius novum includatur quod toti Ecclesiae orientali applicari posset.

Tunc temporis vero, talis erat condicio legislationis canonisticae orientalis, ut non sine magna difficultate atque incertitudine cognosci posset quaenam leges et quantum Ecclesias orientales obligarent.

Revera Commissio pro codificatione iuris orientalis, quae a Pio Papa XI, anno 1929 [14] constituta fuit, in condendo *C.I.C.O.* non paucas neque parvi momenti difficultates experta est. Etenim multiplicitas rituum in se ipsa praecipuam efformabat difficultatem. Ritus enim differunt inter se liturgicis praescriptis necnon disciplinaribus normis; imo inter diversas communitates ethnicas ad eundem ritum pertinentes, puta apud Melchitas et Ruthenos,[15] nonnulla disciplinaria discrimina conspiciebantur.

Aliam difficultatem efficiebat principium a Commissione Codificationis Orientalis statutum de servandis videlicet traditionibus et moribus Orientalium, qui utpote diversi, obstare poterant quominus disciplina in tota Ecclesia Orientali communis efformari posset.

Attamen, his aliisque pluribus difficultatibus non obstantibus innumera sunt beneficia Codificationis orientalis, pro singulis ecclesiis orientalium rituum:

1) sive quod attinet ad disciplinam ipsam, quia in praecedenti legislatione orientali legum claritas et in his applicandis, puta quoad dies festos de praecepto, quoad dies et legem ieiunii et abstinentiae, quoad impedimenta matrimonialia, quoad S. Liturgiae celebrationem et S. Synaxis receptionem necnon quoad sacramentum Confessionis etc. certitudinis nota summopere desiderabatur;

2) sive quod respicit ordinem publicum mutuasque Relationes inter Communitates orientales diversi ritus: ceciderunt enim sublimia moenia quae fideles ab invicem ob ritus diversitatem separabant. Hodie mutuus amor inter orientales regnat in bonum et gloriam catholici nominis.

Hodie Ecclesia Catholica, praesertim in fideles plurium rituum in eodem territorio existunt, experitur necessitatem colligendi vires ad institutionem et educationem catholicae iuventutis, ad uniformem efficiendam actionem Ecclesiae in societatem civilem ad praeservandos fideles ab errore et vitiis et ut fideles corroborentur in fide. Quae omnia, obtineri possunt per maiorem uniformitatem praecipuorum punctorum iuris et disciplinae, praesertim si communi studio et consensu fiant, quod optime intimiori unioni utriusque Ecclesiae iuvabit.

---

14. Cf. *A.A.S.*, 21 (1929) 669.
15. Cf. E. Herman, in *Orientalia Christiana,* t. 32 (1933) 103.

III. QUOAD LEGEM IEIUNII ET ABSTINENTIAE

1. Ecclesia quamadmodum dies festos specialiter cultui divino dedicavit a populo christiano in sancta laetitia [16] transigendos, ita alios dies singulari modo deputavit *ad orationem cum poenitentia unitam,* sive, ut dici solet in formulis ecclesiasticis, ieiunio consecravit.[17]

2. Ieiunium secundum generalem significationem est abstinentia a cibis sive quoad qualitatem sive quoad quantitatem.

Ieiunium ecclesiasticum, quod instituitur secundum formam ab Ecclesia praescriptam, sensu stricto acceptum, quod etiam appellatur ieiunium plenum sive ex disciplina vigente simpliciter « ieiunium », consistebat *essentialiter* in unica comestione plena per diem, quae tamen collatiunculam vespertinam et matutinam non excluderet et citra dispensationem per se coniungebatur cum *abstinentia a carnibus,* immo saltem in quibusdam ieiuniis etiam ab ovis et lacticiniis.[18]

A quo ieiunio pleno distinguebatur *ieiunium semiplenum,* quod erat *mera* abstinentia a carnibus et lacticiniis, sed sine onere unicae tantum comestionis plenae, atque ex usu loquendi vocabatur simpliciter « abstinentia ».[19]

3. Quae in disciplina ieiunii cum quamplurima potius consuetudine quam expressa lege essent statuta, atque multa penderent a particularibus conditionibus temporum et locorum, potissimum inter particulares quoque regiones eiusdem ritus non levis introducta est diversitas, unde iam saec. II graves controversiae ortae sunt v. g. de ieiunio ante festum paschale,[20] vel die sabbati praesertim tempore quadragesimae.[21]

Ieiunium antepaschale antiquitate et dignitate principem occupat locum. Eius enim vestigia iam saec. II et III reperiuntur atque a Concilio Nicaeno (a. 325) [22] vel ipsa « *quadragesima* » expresse commemoratur tanquam praxis in Ecclesia statuto tempore recepta.[23] Quae

---

[16] Cf. *Deut.* XVI, 15; Conc. Pragense (a. 1860), in *Collect. Lac.;* t. V, col. 469.

[17] Cf. *Matth.* XVII, 20; Nationalis Synodus Albana (a. 1703), in *Collect. Lac.,* t. I, col. 294; Conc. Prov. Colecen. (a. 1863) in *Collect. Lac.,* t. V, col. 717.

[18] Cf. Conc. Trid., Sess. XXV, decr. de delectu ciborum et de ieiuniis; cap. 2, 3, X, de observ. ieiunii.

[19] *Ibidem.*

[20] Cf. EUSEBIUS, *Hist. eccl.,* l. V, cap. 23, 24, in HEFELE, t. I, p. 94, nota 1, p. 99; FUNK, in *Acta theol.* Tubing., t. 75, p. 179.

[21] Cf. can. 66 Apostolorum, in HEFELE, *loc. cit.,* p. 166, nota 3.

[22] Cf. Conc. Nicaenum (a. 325) c. 5 = c. 3, D. 18.

[23] Cf. TERTULLIANUS, *De oratione,* cap. 18; *De ieiunio,* cap. 12, 13, 14; ORIGENES, in *Homilia X in Levit.*; HIERONYMUS, in *Epist. 41, ad Marcellam.*

uniformitas in substantiali observatione antepaschalis ieiunii inde ab antiquissimo tempore usque ad nostram aetatem tum quoad initium et finem, tum quoad formam et continuationem ieiunii magnam adiunctam habuit varietatem disciplinae.[24]

Praeter ieiunium quadragesimale ante festum paschale, *Ecclesia orientalis* observat tres alias quadragesimas; Ecclesia Latina quoque antiquitus ex iuris praescripto ieiunavit per unam quadragesimam ante festum Nativitatis D. N. et per alteram ante festum S. Ioannis Baptistae.[25]

Antiquissimum quoque in Ecclesia Romana est ieiunium Quatuor temporum, cuius mentionem iam faciunt S. Hieronymus et S. Leo Papa I.[26]

Ieiunia in vigiliis, ut ipsum nomen insinuat, pridie principalium festorum celebrabantur. Quibus ex ieiuniis complura certe iam antiquissimis temporibus fuerunt recepta velut ieiunium ante Pascha, ante festum Pentecostes et Nativitatem D. N. I. Christi.[27]

Diebus veri ieiunii antiquitus adnumeratae fuerunt feria quarta et sexta uniuscuiusque hebdomadae.[28] Quam praxim usque ad nostram aetatem sequitur Ecclesia orientalis.[29]

In Ecclesia occidentali pro diversitate regionum ieiunium quoque ob sepulturam dominicam praescriptum fuit die sabbati,[30] a quo ieiunio observando Ecclesia orientalis generatim vel in ipsa quadragesima excepto sabbato sancto semper aliena fuit.[31]

Paulatim vero in Ecclesia latina ea introducta est disciplina, ut feria sexta nonnisi abstinentia a carnibus fuerit servanda,[32] quoad eandem abstinentiam in sabbatis per annum consuetudo uniuscuiusque regionis debuit observari.[33] Quae abstinentia sabbatina inde ex medio aevo non iam in solam memoriam dominicae sepulturae, sed po-

---

[24] Cf. BENEDICTUS XIV, *De Synodo dioecesana,* l. XI, cap. 3, n. 3; cap. 5, n. 1; cf. etiam FERRARES, in « *Razon y Fe* », t. 44, p. 518; t. 46, p. 240.

[25] Cf. c. 7. 6. D. 76; Cap. 2 X. de observ. ieiunii.

[26] Cf. *Ibidem.*

[27] Cf. EUSEBIUS, *Histor. eccl.,* l. V, cap. 23, 24; c. 89 Conc. Trull. (a. 691); Statuta synodalia S. Bonifacii, cap. 35.

[28] Cf. c. 69 Apostolorum; c. 11, 16 D. III de consecratione.

[29] Cf. Synod. Sciarfense Syrorum (a. 1888) p. 58, 60-61, et Synod. Provinciale Ruthenorum (a. 1891) p. 162 cum moderatione antiqui rigoris.

[30] Cf. Conc. Trullanum, *De ieiunio,* cap. 14; BENEDICTUS XIV, *De Synodo Dioecesana,* l. XI, cap. 5, n. 1, 2, 3.

[31] Cf. c. 66 Apostolorum; BENEDICTUS XIV, *l. c.,* n. 1, 2.

[32] Cf. NICOLAUS M. in *resp. ad consult. Bulgarorum,* c. 4, 5 (a. 866); cap. 3 X *de observ.* III, 46.

[33] Cf. FERRERES, in « *Razon y Fe* », t. 46, p. 515.

tissimum a clericis propter reverentiam B. M. V. fuit recepta. Inde orta est illa differentia inter « ieiunium » et « abstinentiam », quae nunc iam diu in Ecclesia occidentali et orientali ex communi modo loquendi retinetur et legibus quoque fuit sancita.[34]

4. *Disciplina vigens*:

A) *In C.I.C.*:

Can. 1250. Abstinentiae lex vetat carne iureque ex carne vesci, non autem ovis, lacticiniis et quibuslibet condimentis etiam ex adipe animalium.

Can. 1251. § 1. Lex ieiunii praescribit ut nonnisi unica per diem comestio fiat; sed non vetat aliquid cibi mane et vespere sumere, servata tamen circa ciborum quantitatem et qualitatem probata locorum consuetudine.

§ 2. Nec vetitum est carnes ac pisces in eadem refectione permiscere, nec serotinam refectionem cum prandio permutare.

Can. 1252. § 1. Lex solius abstinentiae servanda est singulis sextis feriis.

§ 2. Lex abstinentiae simul et ieiunii servanda est feria quarta Cinerum, feriis sextis et sabbatis Quadragesimae et feriis Quatuor Temporum, pervigiliis Pentecostes, Deiparae in caelum assumptae. Omnium Sanctorum et Nativitatis Domini.[35]

§ 3. Lex solius ieiunii servanda est reliquis omnibus Quadragesimae diebus.

§ 4. Diebus dominicis vel festis de praecepto lex abstinentiae, vel abstinentiae et ieiunii, vel ieiunii tantum cessat, excepto festo tempore Quadragesimae nec pervigilia anticipantur; item cessat Sabbato Sancto post meridiem.

Quoad tempus:

a) Dies ieiunii et abstinentiae nunc sunt: feria IV Cinerum; feria VI Hebdomadae Sanctae; pervigilia Immaculatae Conceptionis B. M. V. et Nativitatis Domini.

b) Dies solius ieiunii. Servandum est reliquis omnibus diebus Quadragesimae.

c) Dies solius abstinentiae sunt singulae feriae sextae totius anni.

---

[34] Cf. Synod. Sciarfense (a. 1888) p. 57; S. C. Inquisitionis, d. 28 febr. 1760.

[35] Cf. c. 1-6, D. LXXVI; c. 6-9, D. III, *de cons.*; c. 16, D. V, *de cons.*; c. 3, X, *de observatione ieiuniorum,* III, 46; S. Pius X, M. P., *Supremi disciplinae,* d. 2 iul. 1911, n. V.

d) Cessat lex (sub a, b, c) in diebus dominicis et in festis de praecepto, excepto festo tempore Quadragesimae (sc. in festo S. Ioseph 19 martii).[36]

Tempus quo simplex abstinentia a carnibus est servanda, sunt omnes feriae sextae per annum etiam ieiunio non consecratae et praeterea diebus quibus simul cum ieiunio praescribitur abstinentia. In ecclesia vero orientali etiam in sabbatis solummodo permittitur xerophagia sive « aridus cibus ».[37]

Austerior illa abstinentia vel xerophagia diebus dominicis (et sabbatis et festo Annunt. B. V. M. in Ecclesia orientali) quadragesimae praescripta et expressa lege universali nondum sublata, per indulta apostolica non solum permissis ovis et lacticiniis reducta est ad ordinariam abstinentiam a carnibus, sed etiam ipse esus carnium iisdem diebus nunc passim indulgetur.[38]

B) *In C.I.C.O.*: *Ex schemate Codicis Iuris Canonici Orientalis.*

a) Abstinentiae lex vetat carne, ovis vel lacticiniis vesci, salvo iure particulari quod vetet esum piscium vel permittat usum ovorum et lacticiniorum.

b) Lex ieiunii prohibet quominus ante meridiem ad modum cibi aliquid sumatur, servata, quod attinet ad reliquam partem diei, legitima cuiusque ritus et loci consuetudine circa ciborum quantitatem et qualitatem.

c) § 1. Lex solius abstinentiae in universa Ecclesia Orientali servanda est:

1° Singulis feriis quartis et sextis, iis exceptis quas indicant leges liturgiae vel legitimae consuetudines;

2° Singulis diebus sabbatis et dominicis Magnae Quadragesimae;

3° Singulis diebus sacri temporis praecedentis Nativitatem Domini, Dormitionem B. Mariae Virginis et festum Apostolorum Petri et Pauli.

§ 2. Lex solius abstinentiae servanda est, ubi viget, festo Exalta-

---

[36] Cf. Commiss. Cod. interpr.; in *A.A.S.*, XII, 573 et 24 nov. 1920, in *A.A.S.*, XII, 573.

[37] Cf. BENEDICTUS XIV, Const. *In suprema,* d. 22 aug. 1741 § 2; Synod. Sciarfensis (a. 1888), p. 59.

[38] Cf. Synod. provinc. Ruthen. (a. 1891), p. 163 sq., ubi relaxationem abstinentiae tempore quadragesimae extendit paucis exceptionibus factis ad carnes vel saltem ad ova et lacticinia, cum Synod. Sciarf. (a. 1888), p. 59 antiquae xerophagiae addat solummodo pisces et vinum similesque potiones parce sumptas.

tionis SS.mae Crucis et Decollationis Sancti Ioannis Baptistae, aliisque diebus ex probati Concilii praescripto vel legitima consuetudine.

d) § 1. Lex ieiunii et abstinentiae in universa Ecclesia Orientali servanda est diebus Quadragesimae Magnae, exceptis sabbatis et dominicis, Sabbato autem Sancto, nisi aliud ferat ius particulare, eadem lex servanda est.

§ 2. Lex ieiunii et abstinentiae servanda est ubi viget:

1° Pervigiliis Nativitatis D. N. I. Christi et Epiphaniae;

2° Diebus Rogationis Ninivitarum;

3° Diebus ex probati Concilii praescripto vel legitima consuetudine.

e) Diebus dominicis et festis de praescripto lex abstinentiae vel abstinentiae et ieiunii cessat, excepto festo Exaltationis SS.mae Crucis, nisi aliter ferat ius particulare, et excepto, ad abstinentiam quod attinet, tempore Magnae Quadragesimae.

f) In familiis mixti ritus facultas fit ut omnes unius eiusdemque ritus praescripta in ieiuniis et abstinentiis servent.

5. Haec diversitas disciplinae ieiunii et abstinentiae inter utramque Ecclesiam, sive quoad tempus et dies, sive quoad formam et modum tum in ordine publico, praesertim si in eodem territorio praeter catholicos latinos et orientales etiam acatholici commorantur, tum in ordine privato seu in familiis mixti ritus dissociationem animorum inter fideles provocat atque auget.

Quapropter, attentis rationibus et condicionibus vitae, facilitate et frequentia necessitudinum, quas totius orbis terrarum populi et nationes ob nostrae aetatis expeditissimum commeatum inter se nectunt, peropportunum videtur, ut tam complexa hodierna seu vigens disciplina ieiunii et abstinentiae non solum ad simpliciorum formam redigatur, sed ut in hac materia in universa Ecclesia catholica etiam maior uniformitas habeatur.

Haec tamen omnia, quae maiorem unitatem inter utramque Ecclesiam, orientalem scilicet et occidentalem, promovere valent, fraterne prudenterque cum libera discussione, consensione et acceptatione Patrum in futuro Concilio Oecumenico Vaticano II disceptari et statui debent.

IV. Quoad impedimenta matrimonialia et proscriptionem actionis accusandi matrimonium ob vim et metum.

I) *Quoad impedimenta*: Impedimentum matrimonii in genere est circumstantia, propter quam ex iure divino vel humano valida aut licita contractus matrimonialis celebratio prohibetur. Qua ex definitione ge-

nerali rite explicata facile iam patet, quid sit impedimentum canonicum matrimonii. Quamvis enim omnes homines subiiciantur impedimentis iuris divini sive naturalis sive positivi, tamen soli fideles, non infideles, directe obstringuntur impedimentis iuris ecclesiastici.

De his ultimis praecise seu ecclesiasticis impedimentis in praesenti propositione agitur. Idcirco, omittentes divisiones impedimentorum de quibus in cann. 1031, 1037, 1971 § 1 n. 2, aliisque locis *C.I.C.* sancitur, haec nostra animadversio respicit tantum impedimenta dirimentia gradus minoris, quae sunt:

1. *Iuxta C.I.C.*: a) consanguinitas in tertio gradu lineae collateralis; b) affinitas in secundo gradu lineae collateralis; c) publica honestas in secundo gradu; d) cognatio spiritualis; e) crimen ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii etiam per civilem tantum actum (can. 1042 § 2).

2. *Iuxta C.I.C.O.*: a) consanguinitas in sexto gradu lineae obliquae; b) affinitas de qua in can. 67 § 1, n. 1, in quarto gradu lineae obliquae; et illa de qua in eodem canone § 1, nn. 2, 3, in quovis gradu; c) publica honestas in secundo gradu; d) cognatio spiritualis; e) tutela et cognatio legalis de quibus in can. 71; f) crimen ex adulterio cum promissione vel *attentatione matrimonii* etiam per civilem tantum actum.[39]

Cum enim ad solam supremam auctoritatem ecclesiasticam pertineat impedimenta ecclesiastica quaelibet pro baptizatis statuere per modum legis sive universalis sive particularis et consequenter iisdem iam statutis derogare aut eadem abrogare vel immutare, desideratur, ut Patres in futuro Concilio Oecumenico Vaticano II provideant:

a) ut computatio impedimentorum quoad gradum affinitatis et consanguinitatis inter utramque ecclesiam imprimis facilior reddatur, ita ut causae matrimoniales sive S. C. pro Ecclesia orientali definiendae propositae sive S. R. Rotae demandatae expeditiori modo et via tractari possint; praeterea

b) ut saltem aliqua impedimenta minoris gradus, veluti consanguinitas, affinitas, publica honestas et cognatio spiritualis non inter impedimenta dirimentia, sed tantum inter impedimenta impedientia matrimonium computentur. Quia in vigenti disciplina Ecclesiae sive occidentalis sive orientalis permulta alia habentur impedimenta et recte quidem, quae matrimonium dirimunt, quo praescripta iuris communis de impedimentis in genere sat implexa esse videtur.

---

[39] Cf. Pius XII, Motu Prop. *Crebrae allatae sunt,* d. 22 febr. 1949, in *A.A.S.,* 1949, n. 3, can. 31.

Delegati vero orientales pro Codificatione iuris orientalis, prouti ex pluribus schematibus eiusdem codificationis clare apparet, petierunt, ut disciplina matrimonii, ad impedimenta matrimonialia quod attinet, in universa Ecclesia catholica omnino uniformis reddatur. Et iam initio, cum ad Codicem conficiendum prima conferrentur studia, Petrus S. R. E. Presbyter Cardinalis Gasparri, Consilii Praeses Codici canonico Orientalis Ecclesiae praeparando, ob oculos habitis facilitate et frequentia necessitudinum, quas orbis terrarum populi et nationes ob nostrae aetatis expeditissimum commeatum inter se nectunt, litteris die 25 septembris 1930 datis, sacros Orientalis Ecclesiae Pastores consulebat, ab iisdem petens an in expletionem optatorum multis e locis Apostolicae Sedi explicatorum expedire videretur, ut, quoad fieri posset, ecclesiastica disciplina ad matrimonialia impedimenta et ad formam ineundi nuptialis foederis pertinens unius tenoris redderetur; idque poscebatur, quia ob memoratam eundi et remeandi facilitatem crebriores habebantur inter homines mixti ritus nuptiae necnon eo proposito, ut incertitudines de matrimoniorum validitate, eorum sanctitati nocentes, penitus auferrentur.

II) *Quoad proscriptionem actionis accusandi matrimonium ob vim et metum*: Item ad matrimonium quod attinet, videndum est an aliquando et in quibusnam casibus possibile sit proscribere actionem accusandi matrimonium quando nempe illud a coniugibus de nullitate, ob gravem vim et metum iniuste et ab extrinseco incussum, accusatur, ita ut exacto semestre vel anno a celebratione matrimonii non amplius accusari possit de nullitate.

Non raro enim accidit, quod coniuges, exorta in ipsos aliqua lite vel dissensu animorum ob quamcumque causam, recurrunt ad accusationem sui matrimonii etiam post decem vel quindecim annos allegantes, eorum matrimonium ex vi et metu contractum fuisse.

At, si coniuges per plures annos secum cohabitaverint, etsi eorum matrimonium forte ab una saltem parte ex vi et metu contractum fuerit, quae pars idem matrimonium ratum habuit, quomodo recurrere potest ad accusationem sui matrimonii de nullitate ob vim et metum?

Sane, in his casibus saepe agitur potius de vero dolo quam de vera causa matrimonii nullitatis.

Haec omnia quae scripsi, salvo meliori iudicio, sapientissimo studio et examini eorum quibus interest, omni qua par est reverentia, humili animo submitto.

VOTUM N. 11

DE ECCLESIIS ORIENTALIBUS UNITIS IN SUA NATIVA INDOLE SERVANDIS

(G. Eldarov)

Ex peculiari momento ecclesiologico, apologetico et unionistico Ecclesiarum orientalium cum Sede Apostolica in commune existentium, consulenda videtur de ipsis specialis et adaequata consideratio in actionibus et documentis proximi Concilii Oecumenici. Ad hoc Auctor huius voti sequentia proponit, eadem desumens ex ampliori studio ecclesiastico-unionistico de Ecclesiis Ritus Orientalis a se exarato (*Chiese Cattoliche di Rito Orientale,* Apud Pontificium Institutum Orientalium Studiorum 1958, pp. XXXIV-278) et partim typis edito (in ephem. *Miscellanea Franciscana,* v. 58, 1958, pp. 155-194; 513-536).

Ecclesiae catholicae ritus orientalis specialem formam existentiae ecclesiasticae praeseferunt in ambitu communionis catholicae, cum gaudeant characteribus liturgicis, canonicis, sed et theologicis et culturalibus propriis (saltem iure et potentialiter, ex intentione ipsius Sedis Apostolicae in pluribus documentis expressa), easdem notabiliter ad invicem et respectu Ecclesiae occidentalis discriminantibus. Quo haud parum tribuunt illi spendori catholicitatis Ecclesiae quem ipse Leo XIII extollebat (Litt. Apostol. *Orientalium dignitas* in: *A.S.S.,* 27, 1894-5, p. 258), necnon et modum appetibilem unionis christianis dissidentibus praebent.

Haec omnia tamen hodie (magis autem decenniis praeteritis) fere ubique ruere cernuntur in Ecclesiis orientalibus unitis, ope praesertim sic dicti « uniatismi » easdem afficientis, in eo consistentis, quod characteres et elementa liturgica, canonica, culturalia a genuina indole et traditione orientali aliena in patrimonium orientale inconsulto immittuntur, dum nativa orientalitas comprimitur. Quod ita quandoque progressum est, ut formula unionistica in huiusmodi Ecclesiis orientalibus apparens iam pluribus unionistis catholicis minus apta videatur, dissidentibus autem prorsus odiosa. Et, utcumque, talis conditio ecclesiastica haud parum obnubilat illum praecitatum splendorem catholicitatis, atque ipsam peculiarem dignitatem ecclesiasticam communitatum orientalium deprimit.

Proponitur proinde ut communi studio et consilio a Patribus et peritis tota res Ecclesiarum orientalium unitarum undequaque consideretur, et quidem non tantum sub aspectu liturgico et canonico, sed et culturali, theologico, ecclesiologico (an detur et quae sit profundior ratio theologica specialis conditionis Ecclesiarum ritus orientalis in am-

bitu Ecclesiae catholicae), atque viae et modi inveniantur et indicentur (si et quousque expediat) ad formas orientales genuinas servandas vel recuperandas. Quin tamen, e converso, naturalis fluxus bonorum ex una in aliam partem eiusdem Ecclesiae catholicae arte vel vi impediatur, cum eum ipsa *communio* ecclesiastica secumferat, bona singulorum — sive sint fideles, sive communitates — omnibus tradens. Ita potius aptentur Ecclesiae unitae ut possint elementa aliena modo sibi proprio in suam compaginem ecclesiasticam *orientali ratione* assimilata integrare.

VOTUM N. 12

DE CULTU MARTYRUM IGNOTORUM REVISENDO

(I. Gagov)

Neminem latet quantam cultus martyrum eorumque reliquiarum obtinuerit gratiam apud Ecclesiam antiquam. Hoc verum est pro Ecclesia universa, sed magis valet pro Roma, quae sive numero, sive praestantia suorum martyrum ceteras una excellit civitates in orbe.

Ob hanc rationem, data pace Ecclesiae post Constantinum, ceterae Ecclesiae orbis christiani, quae martyres non habuerant, recursum fecerunt ad Romam exquirendi obtinendique causa reliquias martyrum, quas apud se deferrent et excolerent.

Munifica Mater Roma, centena apophoreta ex suis ubique concessit et donavit. Reliqua autem corpora martyrum quae adhuc remanserant, curavit ut ex coemeteriis suburbanis intra moenia in ecclesias urbanas transferrentur ne eorum cultus minueretur. Quotquot enim remanserant corpora martyrum notorum, post varias translationes suorum praedecessorum, Paschalis Papa I, die 20 iulii anni 817 curavit ut in urbem collocarentur. Die illa Paschalis I, 2.300 corpora martyrum transtulit in urbem.[1]

Nullum corpus martyris noti remansisse post illam solemnem translationem Paschalis I in coemeteriis suburbanis constat ex explicita declaratione Gregorii Papae IV facta anno 827: « Quoniam cuncta sanctorum corpora praedecessores nostri nobiscum communiter detulerunt ».[2]

Post hoc et propter hoc coemeteria christiana neglecta fuere et fere oblita usque ad saec. XVI.

---

[1] A. MAI, *Scriptorum veterum nova collectio,* Romae, V, 1831, p. 348 sq.

[2] Cf. V. DE BUICK, *De phialis rubricatis quibus martyrum romanorum sepulcra dignosci dicuntur,* Bruxelles 1855, p. 49.

Tantum saeculis XVI et sequentibus, post novam explorationem coemeteriorum factam praesertim ab Antonio Bosio (1576-1629) et successoribus eius, denuo reviviscit quaestio de *martyribus* « *ignotis* » qui in coemeteriis romanis adhuc requiescebant.

Hic Bosius, quamquam generatim sat deligens in effossionibus quas fecerat in coemeteriis, novam et prorsus ignotam antiquis methodum instauravit in recognoscendis corporibus martyrum. Cum enim non haberentur corpora martyrum notorum, ipse reputavit *palmam,* quae super plurima sepulcra aspiciebatur sculpta vel depicta, signum esse certum martyrii illius super cuius sepulcrum aderat. Ideo miram revera instauravit theoriam, iuxta quam omne sepulcrum *palma* signatum continebat reliquias « ignoti » alicuius martyris. Theoriam in praxim deducens, cepit illico pro reliquiis distribuere variis principibus et ecclesiis, corpora supra quorum loculos palmam invenisset.[3]

Successores Bosii non minus fecisse constat ex plurimis documentis. Anno enim 1644 missa fuerunt ad Coloniam Agrippinam 50 corpora « martyrum ignotorum » quia eorum sepulcra inventa fuere signata *palmis.*[4]

Anno 1672 ex coemeteriis Calepodii, Priscillae et Praetextati effossa fuerunt et distributa per varias regiones orbis 136 corpora « martyrum ignotorum », quorum sepulcra obsignata erant *palma.*[5]

Ipse Boldetti (1663-1749) ex parte sua, qui fuit administrator et curator coemeteriorum romanorum per 30 annos, nil aliud fecit nisi imitari praedecessores suos et distribuere reliquias « ignotorum sanctorum » omnibus quotquot eas expetebant. Hoc modo tanquam authenticas reliquias plura centena corpora in mundum universum transmisit. Boldetti enim existimans *palmam* uti signum certissimum, indubium specificumque martyrii[6] « attesochè la palma abbastanza suppliva alla mancanza di tutti quei segni (iscrizione, ampolla di sangue, ecc...), come prova incontestabile da farsi conoscere per veri martiri »,[7] evacuavit fere coemeteria corporibus suis et orbem christianum ditavit reliquiis « sanctorum ignotorum » hoc uno nisus signo quia eorum sepulcra invenerat *palmis signata.*[8]

Talis modus agendi Boldetti plures coevos in suspicionem induxit

---

[3] ARINGHI P., *Roma subterranea novissima* etc., I, Romae 1651, p. 583.

[4] BOLDETTI M. A., *Osservazioni sopra i cimiteri de' santi martiri ed antichi cristiani di Roma, aggiuntavi la serie di tutti quelli che in vare parti del mondo si trovano,* 2 in fol. Roma 1720, p. 246.

[5] *Ib.,* p. 248.

[6] *Ib.,* p. 283.

[7] *Ib.,* pp. 235-7.

[8] *Ib.,* passim.

ne falsae distribuerentur reliquiae pro authenticis. Et quoniam methodus sequebatur etiam extra Romam, in Sardinia v. gratia,[9] plures viri docti et pii insurrexerunt querendi causa ut finis poneretur modo agendi Boldetti vel asseclarum eius.[10]

Hi viri obiectiones suas, super quas suspicionem fundabant, ex quatuor praesertim sequentibus punctis et considerationibus trahebant:

1) palmae inveniuntur depictae etiam super sepulcra paucorum mensium aetate infantium;

2) palmae visuntur super sepulcra super quae sculpta erant etiam litterae DM (dis manibus). Mirum, ne scandalosum omnino fuisset, christianos super sepulcro veri martyris inscripsisse dedicationem dis manibus, cum scirent eum mortuum fuisse praecise quia noluerat induci falsos deos colere;[11]

3) palmae inveniuntur saepissime etiam super sepulcra certe post-constantiniana;[12]

4) palmae inveniuntur etiam aliquando super sepulcra quae fideles adhuc viventes sibi parabant ut post mortem ibi sepelirentur.[13]

His freti argumentis, indubie contrariis *palmae* uti signo specifico martyrii, verbo et scriptis satagerunt ut cessaretur ab usu distribuendi reliquias cultui destinatas, quae extrahebantur e sepulcris coemeteriorum romanorum vel aliarum civitatum, *palma* obsignatis.

Quaestio per longum tempus protracta alterna cum fortuna, definita fuit a Benedicto Papa XIV, qui in suo libro: *De beatificatione et canonizatione sanctorum,* decrevit *palmam nullum habere valorem ut signum certum martyrii.*

Ita quaestio iuridice definita fuit, sed practice nihil factum est postea ut amoverentur a cultu publico reliquiae « sanctorum ignotorum », quae sub variis denominationibus, puta Victoris, Victorini, Felicis, Liberati, Adeodati, etc...[14] in pluribus ecclesiis orbis christiani adhuc coluntur

---

[9] *Ib.,* p. 246.

[10] Inter hos adnumerandi sunt praecipue: D. J. Mabillon, *Eusebii Romani ad Theophilum Gallum epistola de cultu sanctorum ignotorum,* in 12, Parisiis 1698; Fabretti R., *Inscriptionum antiquarum quae in aedibus paternis asservantur, explicatio et additamentum,* in fol., Romae 1699; Muratori L. A., *Novus thesaurus veterum inscriptionum in praecipuis earumdem collectionibus hactenus praetermissarum, collectore L. A. Muratorio,* 6 in fol., Mediolani 1739-42; Papenbroeck, P. Lo Scacco, sacrista et praefectus cappellae Pontificiae etc.

[11] A. Lupi, *Dissertatio ad nuper inventum Severae martyris epitaphium,* in 4°, Panormi 1735, p. 105.

[12] *Ib.,* p. 98 sq.

[13] Cf. Boldetti, *o. c.,* p. 257.

[14] *Ib.,* 242 sq.

post dotationes habitas a variis curatoribus coemeteriorum praesertim romanorum inde a saec. XVI.

Qualicumque alia consideratione praetermissa *de ceteris reliquiis evidenter suspectis,* quae visuntur in variis ecclesiis orbis christiani, puta lac, velum et cetera huiusmodi B. Virginis Mariae ceterorumque sanctorum, praesertim antiquorum, petitio fit ut in proximo Concilio Oecumenico quaestio profundius examinetur et sequens decretum promulgetur: *In singulis provinciis ecclesiasticis vel in singulis Religionibus exemptis, commissiones instituantur virorum peritorum, cuius munus sit circa originem reliquiarum, quae in singulis ecclesiis asservantur inquirendi, certeque suspectas a veneratione fidelium abstrahendi.*

VOTUM N. 13

DE AMPLIFICANDO CULTU S. IOSEPH, SPONSI B. M. V.

(C. Stano)

Cultus in honorem S. Ioseph, Sponsi B. M. V., inde praesertim a sec. XV, providenti Dei dispositione, mirum in modum ad nostros usque dies in Ecclesia universa succrevit. Item theologicae investigationes de eodem Sancto Patriarcha magnum habuerunt incrementum.

Eius praecelsam dignitatem, eius arctissimas et singulares prorsus relationes tam cum Deipara Immaculata quam cum Filio Dei incarnato; item eius sanctitatis ac meritorum praerogativas, eius patrocinium tam in Ecclesiam universam quam in singulas christifidelium classes, eius salutifera exempla virtutum Doctores probatissimi ac theologicae Academiae, sacro praeeunte Ecclesiae Magisterio, praesertim post illustria documenta Summorum Pontificum Pii IX et Leonis XIII, copiose illustrarunt et pleniore demonstraverunt luce.

Plurimae ac solidissimae prodierunt scientificae elucubrationes ac theologicae commentationes, quae doctrinae elementa, ex Revelationis fontibus necnon Ecclesiae Magisterio deprompta, funditus enucleare atque inter christifideles latius evulgare satagunt, ita ut quaedam *Iosephina Summa* iam obtinetur, qua variae nobilesque quaestiones de ipso S. Patriarcha tuto ac perspicue iam expendi possint. Immo, de praecipuis huiusmodi argumentis mira videtur obtinuisse Theologorum consensio.

Hunc vero Iosephinae doctrinae progressum latior ac splendidior subsecuta est, in dies magis magisque succrescens, erga inclitum Patriarcham veneratio tam in universali Ecclesia quam in singulis nationibus

ac dioecesibus religiosisque familiis: quod quidem magnum attulit christianae societati emolumentum.

Haud pauca *vota ac desideria de cultu S. Ioseph amplificando* — quae tum a sacrorum Antistitibus tum a Theologis ceterisque christifidelibus ad Sedem Apostolicam delata sunt praesertim a medietate saec. XIX — feliciter iam adimpleta cernimus. Cuius rei testimonium sunt, inter alia, ipsius S. Ioseph proclamatio in Patronum universalis Ecclesiae (Pius Pp. IX, 8 dec. 1870); institutio festi eiusdem Patrocinii (a. 1847) eiusque subsequens extensio ad universam Ecclesiam; Litaniae in honorem S. Ioseph an. 1909 adprobatae; solemnitas tandem S. Ioseph Opificis a Pio Pp. XII recens instituta (a. 1955).

Quaedam tamen vota et desideria manent adimplenda.

Inter alia, enixe desideratur:

1) ut locus in *Canone Missae* ipsi Sancto Patriarchae assignetur: quod commode, uti videtur, fieri poterit (ex. gr. in oratione *Communicantes,* aut, quod facilius fortasse erit, in oratione *Libera nos, quaesumus, Domine*), semper dumtaxat post B. Virginem Mariam;

2) ut in honorem S. Ioseph *cultus protoduliae* decernatur: quia in re communis et concors iam adesse videtur Theologorum sententia, ambitu ac significatione huius cultus eiusque distinctione ab *hyperdulia,* quae unice Virgini Deiparae debetur, clare definitis;

3) consequenter desideratur ut *nomen S. Ioseph* in omnibus actibus ac textibus S. Liturgiae *primum obtineat locum* post B. Virginem Mariam, atque praeponatur tum omnibus aliis Sanctis V. et N. T., tum etiam Angelis, cum ratione praedestinationis et officii dignitatis (quam quidem congrue consequuntur gratiae et gloriae praerogativae) S. Ioseph, ut Theologi communiter sentiunt, omnes tam Sanctos quam etiam Angelos longe antecellat.

VOTUM N. 14

CONCILIARIS CONFIRMATIO PRIVILEGII EXEMPTIONIS RELIGIOSORUM

(I. Sirna)

Notio

Exemptio (ex-emere), est, iuridice, privilegium ab Ordinarii loci iurisdictione subtrahens praeterquam in casibus a iure expressis, easdem personas subiiciens tantum internis Superioribus et Romano Pontifici (cf. cc. 499; 500, 615; 616, etc.).

Necessitas nativa exemptionis

Constitutio divino-positiva Ecclesiae secumfert omnes fideles oportere esse subiectos non tantum Romano Pontifici, sed etiam Ordinario loci. Relate autem ad subiectionis extensionem Ordinario loci pro baptizatis surgit quaestio, quatenus Ordinarius loci agit intra limites suae dioecesis, dum *Religiones* (can. 488, 1°) iuxta universalitatem Ecclesiae impelluntur ad pluridioecesanitatem seu universalitatem in bonum Ecclesiae finis, statuti a Divino Fundatore.

Haec pluridioecesanitas Religionum natura sua exigit talem a potestate Ordinarii loci libertatem, sine qua impossibile vel saltem difficile aliquoties foret finem assequi Religionum. Difficile utique est determinare hoc proprium libertatis, quae difficultas duxit in praxi et doctrina ad tutandam subiectionem totalem, exclusa qualibet nativa libertate. Tunc auctoritates ecclesiasticae intervenere ad exemptiones concedendas a Superioribus sibimet inferioribus relate ad proprios subditos.

Sublata auctoritate Ordinarii loci quoad Religiosos ratione exemptionis, semper integra mansit potestas Romani Pontificis, cui Religiosi tenentur utpote suo supremo Moderatori subiici atque obtemperare vi etiam voti obedientiae (can. 499 § 1).

Notae historicae de exemptione

Initio etiam monasteria erant Ordinario loci subiecta, imo nonnulla monasteria ab Episcopo condita fuerunt.

Primae exemptiones personales ab Ordinario loci concessae fuerunt a Romanis Pontificibus personae morali monasterii in occidente, inter quas memorantur dispositiones S. Gregorii Magni (590-604). Dein, sub influxu iuris germanici, etiam exemptiones locales, quamvis earum subiectum passivum essent semper personae.

Primum tamen exemplum verae et propriae exemptionis, in genere, invenitur in charta libertatis a Papa Honorio I (625-638) monasterio Bobbiensi data anno 628, ubi ait: « Ideo omnem cuiuslibet Ecclesiae sacerdotem in praedicto monasterio ditionem qualibet auctoritate ne extendere omnino prohibemus. » (*Bull. taur.*, I, p. 178). Aliae exemptiones successere ut monasterii Luxoviensis (*ib.*, I, p. 183), Sancti Martini Turonensis (*ib.*, I, p. 208), etc. Anno 1090, omnia monasteria benedictina Vallis Umbrosae Congregationis exempta fuere.

Saec. XIII, inter privilegia Ordinum Mendicantium, causa quoque eorum apostolatus extra conventus, eminet exemptio ab Ordinario loci, unde habita est *exemptio mixta* personarum et locorum.

Nonnulla monasteria vel ecclesiae praeter exemptionem monachorum

vel cleri illius ecclesiae ab Ordinarii loci iurisdictione, obtinuerunt extensionem propriae exemptionis quoque in populum sui territorii. Unde habita est exemptio localis passiva *missus plena* seu *semiplena* quando populus excludebatur ab exemptione; *plena,* si populus intra monasterium vel ecclesiam exemptam haud subiciebatur iurisdictioni Ordinarii loci, unde eiusdem poenis; *activa* si Abbas vel Praelatus plenam iurisdictionem in populum quoque, quod maximum gradum tetigit in abbatiis et praelaturis nullius, obtinuit.

Tridentina Synodus exemptionem Regularium servavit post salebrosas discussiones (cf. Sforza Pallavicini, Lib. VII, cap. 4), quamvis in nonnullis submisit exemptos religiosos Ordinariis locorum. Unde haec periodus vacata est *exemptionis limitatae,* quae in posterum plus minus servata est.

In vigente disciplina canonica exstat aliquid speciale quoad privilegium exemptionis relate ad personas diu noctuque degentes in domo exempta causa famulatus aut educationis aut hospitii aut infirmae valetudinis (can. 514 § 1). Hae personae dum inveniuntur domi religiosae exemptae relate ad confessiones, praedicationem verbi Dei, vota, etc. participant aliquo modo beneficio privilegii exemptionis, nam valent sese confiteri apud confessarios vel audire praedicatores dumtaxat approbatos a Superiore religioso.

Contentio quoad religiosorum exemptionem

Luctatio contra exemptionem Religiosorum ex parte cleri praesertim dioecesani non est nova in historia ecclesiastica et orta est fere cum origine exemptionis, maxime quando haec concessa est ex causa violenta ut simonia, schismate Occidentis ob difficultatem deponendi episcopum indignum (E. Fogliasso, s. v., in *Enc. Catt.* V, 568).

Quaestio etsi acriter discussa et resoluta saec. XIII (cf. S. Thomas, *Contra impugnantes Dei cultum et religionem,* in opusc. 19), minime cessavit et usque hodie minime desunt acerrimi adversarii, aliquoties agentes quoque in seminariis, coetibus, etc. contra mentem Ecclesiae pluries declaratam in bonum totius Ecclesiae, Religiosorum exemptorum atque fidelium.

Necessitas igitur interveniendi auctoritative ex parte Ecclesiae ad privilegium tuendum in bonum omnium.

UTILITAS EXEMPTIONIS REGULARIUM AB ORDINARIORUM LOCORUM IURISDICTIONE.

Non tantum plures ecclesiastici, sed ipsimet Romani Pontifices non semel sollemniter huiusmodi utilitatem affirmarunt (A. Bondini, O. F. M. Conv., *De privilegio exemptionis,* Romae 1919, p. 10).

Ita e. g. Gregorius XVI, scribens die 15 ianuarii 1836 ad Archiep. Mechliniensem, habet: « Utilitas ecclesiasticis sanctionibus, longaque saeculorum plurium experientia, et vel *ipso haereticorum et incredulorum in illam odio comprobata est* ».

Similiter Leo XIII in Const. *Romanos Pontifices:* « *Quo melius* in religiosis ordinibus omnia essent inter se apta atque connexa, ac sodales singuli *pacato* et *aequabili* vitae cursu uterentur; denique ut esset *incremento* et *perfectioni religiosae conversationis* consultum », sustinet atque commendat hoc privilegium.

At pretium est referre quae Pius XII, die festo Immaculatae Conceptionis 1950 in fine congressus pro Statibus Perfectionis delegationibus Religiosorum Ordinum, Congregationum et Institutorum adstantibus omnibus de S. C. Rel., etiam quoad exemptionis privilegium, dignatus est docere. En: « ... sed et Religiosorum Ordinum exemptio neque principiis constitutionis divinitus Ecclesiae datae obsistit neque ullo modo repugnat legi, qua sacerdos Episcopo parere debet. Etenim ad normam iuris canonici religiosi exempti Episcopi loci potestati subsunt, prout episcopale munus perfungendum et animorum rite ordinanda curatio requirunt. Quod etiamsi praetermittamus in disceptationibus per postrema decennia super exemptione habitis *haud satis fortasse* animadversum est religiosos exemptos, etiam ex praescripto iuris canonici semper et ubique Romani Pontificis potestati, utpote supremo suo Moderatori subici, cui oboedire tenentur etiam vi voti oboedientiae (can. 499 § 1). Iamvero Summus Pontifex, ut in universam Ecclesiam, ita in unamquamque dioecesim et in singulos christifideles ordinariam et immediatam iurisdictionem habet. Ergo constat primariae a Deo latae legi qua clerici et laici Episcopi regimini subesse debent, etiam ad religiosos exemptos quod attinet satis superque obtemperatum esse ac denique Christi voluntati et statuto utriusque militiae pari respondere obsequio » (Pio XII, *Esortazione ai Religiosi,* in Discorsi e Radiomessaggi di Sua Santità Pio XII, vol. XII. Duodecimo anno di Pontificato 2 marzo 1950 - 1 marzo 1951, Tip. Pol. Vat, 1951, pp. 343-353; pars relata habetur in p. 345). Privilegium igitur exemptionis est optimum exemplum ordinariae et immediatae iurisdictionis in unamquamque dioecesim et in

singulos christifideles, eo magis quod religiosi vi voti obedientiae Romani Pontifici obedire tenentur utpote supremo suo Moderatori.

A. Vermeersch (*De Religiosis Institutis et Personis,* n. 364) ita omnes exemptionis utilitates proponit: « Per exemptionem consulitur:

1. *Unitati et disciplinae Ordinis religiosi,* cuius genuinum spiritum magis fovebunt proprii Superiores ad eius peculiarem indolem informati.

2. *Fini universaliori* quam est unius dioecesis bonum, ad quem Religiones consueverunt dirigi.

3. *Dignitati et decori Sedis Apostolicae,* cuius summum imperium et immediatam in omnes Christi fideles iurisdictionem religiosi exempti luculenter testantur, et, quod plurimum valet, in sua causa perpetuo confirmatam usu demonstrant. Et, si qua parte impugnetur, iidem sunt illius potestatis veluti nati assertores et defensores, per omnes sparsi regiones.

4. *Bono dioecesium.* Nam praeterquam quod liberat Episcopos a molesta sollicitudine et cura, privilegium stimulat fervorem ac zelum utriusque cleri, inducta inter utrumque quadam sancta aemulatione; quod in uno fortasse desideratur, facile ab altero suppletur; impedit quominus contagium erroris atque vitiorum facile *universum* clerum et subinde populum inficiat, atque maiorem copiam suppeditat ministrorum, qui sancte eorum animos excolant. Quod commodum opponit S. Thomas Guglielmo a S. Amore in opusc. 19, *Contra impugnantes Dei cultum et religionem,* c. 2.

5. *Bono communi* totius Ecclesiae, ad quod plurimum refert ut floreat status religiosus, S. Sedis auctoritas sancte servetur, singulae dioeceses spiritualibus bonis abundent; et cui maxime prodest haberi, praeter militiam veluti provincialem, copias quae in necessitates totius reipublicae magis immediate intendant » (cf. A. Bondini, *o. c.,* pp. 10-11).

Conclusio

Exemptio hodierna temperata igitur plene confirmetur ad finem universalem Ecclesiae, decus Sedis Apostolicae, bonum dioeceseon, bonum commune, unitatem et disciplinam Ordinum Religiosorum.[1]

---

[1] Bibliographia: A. Bondini, *De privilegio exemptionis,* Romae 1919; A. Gutierrez-Poxa, *De gradibus libertatis et subiectionis Religiosorum respectu Ordinarii loci,* in Commentarium pro Religiosis, 22 (1941) et 23 (1942); J. O'Brien, *The exemption of Religious in Church Law,* Milwaukee 1942; A. Scheuermann, *Die Exemption nach geltendem kirchlichen Recht, mit einem Uberblick über die geschichtliche Entwicklung,* Paderborn 1938; E. Fogliasso, *Esenzione,* in *Enciclopedia Cattolica,* vol. V, Romae 1950, pp. 567-572.

VOTUM N. 15

DE RELATIONE IURIDICA RELIGIONUM AD ORDINARIUM LOCI

(D. Faltin)

QUOAD EXEMPTIONEM RELIGIOSORUM NIHIL INNOVANDUM

I. STATUS QUAESTIONIS

Religiosi hodie saepe permultas et magnas difficultates experiuntur, praesertim quando agitur de erectione ecclesiae vel domus religiosae, de fovendis promovendisque vocationibus ad statum perfectionis, de institutionibus atque apostolatu religiosorum, de functionibus sacris in eorum ecclesiis peragendis et non in ultimo loco quod attinet ad ipsam autonomiam Religionum.

Hae difficultates saepe proveniunt ex erroneo conceptu circa exemptionem Religionum.

De facto: *a*) sunt aliqui, qui tenent, *exemptionem omnino abolendam* seu supprimendam esse, ita ut religiosi in rebus tam externis quam etiam internis unice iurisdictioni Ordinarii loci subiicerentur; *b*) alii vero desiderant, ut *exemptio* ad nostrorum temporum exigentiam *accomodetur* eo modo et sensu, ut in omnibus potestas cumulativa inter Ordinarium loci et Superiorem internum religionis habeatur.

II. QUOAD PRIMAM OPINIONEM

Theoria seu *opinio abolitionistica* circa privilegium exemptionis Religionum, tamquam repugnans sive traditioni Ecclesiae sive iuri vigenti constitutionali ecclesiastico, omnino reicienda est.

Ratio:

1. Ex historia constat, ipsos Romanos Pontifices decursu saeculorum religiosis privilegium exemptionis concedere voluisse atque elargisse. De cetero nemo est qui ignoret, quanti momenti privilegium exemptionis sit et quid significet pro unitate Ecclesiae in defendendo primatu Romani Pontificis, pro propagatione atque conservatione fidei in toto orbe terrarum, pro progressu in scientiis sacris, pro sanctificatione et salute animarum, etc...

Exemptio a Summis Pontificibus etiam recentiore tempore pluries sollemniter affirmata est. Utilitas exemptionis, ait Gregorius XVI « eccle-

siasticis sanctionibus, longaque saeculorum plurium experientia, et vel ipso haereticorum et incredulorum in illam odio comprobata est ».[1]

Leo Papa XIII, iustas eius causas, ex vitae religiosae rationibus depromptas, ita paucis complexus est: « Quo melius in religiosis Ordinibus omnia essent inter se apta atque connexa, ac sodales singuli pacato et aequabili vitae cursu uterentur; denique ut esset incremento et perfectioni religiosae conversationis consultum ».[2]

Igitur, per exemptionem consulitur:

a) *Unitati et disciplinae religiosae familiae* seu religiosi Ordinis, cuius genuinum spiritum magis percipiunt, compenetrant ipsumque fovebunt proprii Superiores ad eius peculiarem indolem informati, quam Ordinarii locorum.

b) *Fini universaliori* quam est unius dioecesis bonum, ad quem Religiones iam a momento suae fundationis solent dirigi.

c) *Dignitati ac decori Sedis Apostolicae,* cuius summum imperium et immediatam in omnes Christi fideles iurisdictionem religiosi luculenter testantur atque usu demonstrant. Et, si illa universalis ac suprema iurisdictio S. Sedis impugnetur, iidem sunt illius potestatis veluti nati assertores et defensores, per universi orbis regiones.

d) *Bono dioeceseon*: Nam, praeterquam quod liberat Episcopos a molesta sollicitudine et cura, privilegium istud stimulat fervorem ac zelum utriusque cleri, inducta inter utrumque sancta quadam aemulatione: quod in uno fortasse desideratur, facile ab altero suppletur; impedit quominus contagium erroris atque vitiorum facile universum clerum et subinde populum inficiat, atque maiorem copiam suppeditat ministrorum, quia sancta eorum animos excolunt.[3]

e) *Bono universae Ecclesiae,* ad quod plurimum refert ut floreat status religiosus, S. Sedis auctoritas sancte servetur, singulae dioeceses spiritualibus bonis abundent.[4]

2. Codex Iuris Canonici in libro II agit de clericis, de religiosis et de laicis. Quae divisio nititur can. 107: « Ex divina institutione sunt in Ecclesia clerici a laicis distincti, licet non omnes clerici sint divinae

---

[1] Ex litteris Archiep. Mechliniensis, d. 15 ian. 1836, in Statuta Mechliniensia, appendix 23.

[2] Cf. LEO XIII, Const. *Romanos Pontifices* d. 8 maii 1881, in GASPARRI, *Fontes C.I.C.,* vol. III, n. 582, p. 171; BENEDICTUS XIV, Epist. Decret. *Apostolicae Servitutis,* d. 25 febr. 1741, in GASPARRI, *Fontes C.I.C.,* vol. I, n. 306, p. 675.

[3] Cf. S. THOMAS in opusculo ad Gulielmum a S. Amore, *Contra impugnatores Dei cultum et religionem,* 19, c. 2.

[4] Cf. VERMEERSCH, *De Religiosis,* vol. I, Romae, 1907, p. 235.

institutionis; utrique autem possunt esse religiosi ». Codex ergo triplicem statum distinguit, scilicet: 1) statum clericorum; 2) statum religiosorum (can. 487) et 3) statum laicorum. Omnes hi tres status sunt « divinae institutionis in Ecclesia » (can. 107).

Quoad statum religiosorum, in can. 500 norma generalis de relatione iuridica religionum ad Ordinarium loci datur. Haec relatio, quae est diversa pro diversis religionibus (religiones exemptae et non exemptae, iuris pontificii vel iuris dioecesani) in aliis *C.I.C.* canonibus accuratius determinatur, de qua infra agetur.

Ad normam can. 335 per se etiam religiosi iurisdictioni Ordinarii loci subiecti sunt, sed Romanus Pontifex eos, ex hac potestate eximere potest et revera eximit, non tamen omnes religiones in eodem gradu.

In can. 500 distinguitur inter religiones quae exemptionis privilegio gaudent et alias religiones.

Pro Religionibus exemptis valet haec norma: Non subsunt iurisdictioni Ordinarii loci, nisi in casibus a iure expresse determinatis. Exceptio a iurisdictione Ordinarii loci pro eis est regula et subiectio sub iurisdictione Ordinarii loci probari debet.

Exemptio est subductio religionis a potestate Ordinarii loci et concessio similis auctoritatis Superiori interno religiosorum. Exemptio igitur duo essentialia elementa implicat, scilicet: 1) subductionem a potestate Ordinarii loci et 2) concessionem similis potestatis Superiori interno religiosorum.

Huiusmodi privilegio gaudent:

1. Ipso iure ad normam can. 615:

a) *Regulares viri,* i. e. omnes virorum Ordines, sive clericales sive laicales, quamquam ex natura rerum exemptio Ordinum laicalium est restrictior exemptione Ordinum clericalium.

b) *Moniales,* i. e. mulierum Ordines, non omnes autem, sed illi tantum, qui ex praescripto Constitutionum subsunt iurisdictioni Superiorum regularium.[5]

2. Congregationes, quibus hoc privilegium *speciali indulto* a Sede Apostolica concessum est. Dum ergo omnes virorum Ordines et supradictae mulieres sunt in possessione exemptionis et contrarium probari debet, aliae moniales et omnes Congregationes, etiam clericales, exemptionem probare debent. Si autem veram exemptionem a Sede Apostolica

---

[5] Cf. A. LARRAONA, in *CpR.,* 1925, p. 185, nota 89 et 91; 1927, p. 444, nota 485; 1937, p. 321, nota 444 et p. 325, nota 470; A. GUTIERREZ, in *CpR.,* 1942, p. 138.

obtinuerunt, ea fruuntur, quae in Codice determinata est, nisi aliud in concessione expresse statutum sit. Exemptio Congregationum generatim est eadem ac exemptio Ordinum, nisi aliud expresse pro Congregationibus in Codice determinatur (cf. v. g. can. 512 § 2).[6]

Religiones non exemptae subsunt iurisdictioni Ordinarii loci. Attamen etiam religiones non exemptae ratione ipsius status religiosi quadam exemptione a potestate Ordinarii loci ex ipso iuris praescripto gaudent, et quidem maiore exemptione religiones iuris pontificii quam religiones iuris dioecesani, ut praesertim in can. 618 aliisque locis Codicis determinatur.

Differentia vera et realis inter religiones exemptas et non exemptas, quod attinet ad earumdem iuridicam relationem cum Ordinario loci, consistere videretur in liberatione a potestate Ordinarii et concessione similis potestatis Superiori interno religionis exemptae et in subiectione iurisdictioni Episcopi religionis non exemptae. Sed revera illa differentia existit in maiore vel minore potestate quae conceditur Superioribus internis. Ratio, quia in praxi fere easdem essentiales obligationes habent religiones exemptae et non exemptae. Exemptas enim multoties canones limitant, ita ut accedant magis minusve ad non exemptas. Et non exemptae, ratione ipsius status religiosi, talia habent privilegia, ut accedant ad exemptas. Sunt revera multa negotia quae pertinent unice ad organizationem internam religionis, v. g. fere tota vita clericalis accedit ad negotia interna religionis.

Ergo, uti patet, omnes religiones, sint exemptae vel minus, aliquo modo gaudent quadam exemptione ab Ordinariis locorum: 1) religionibus exemptis Superior gaudet plenitudine potestatis quasi-episcopalis; 2) in non exemptis non habetur potestas nisi dominativa.

In utroque casu autem Ordinarius loci pro casibus in iure expresse determinatis (can. 500 et 615) est Superior *externus* tantum Religionum, in quas gaudet potestate iurisdictionis et non dominativa.[7]

Ratio huiusmodi subductionis religionum a potestate Ordinarii loci et concessionis similis potestatis provenit:

1. *Ex charactere iuridico condicionis vitae* seu stabilitatis et vinculo morali, quo religiosi suis Superioribus, vi votorum, ligantur.

Stabilitas ad essentiam cuiuslibet status vitae pertinent, ergo etiam ad essentiam status religiosi. Stabilitas status ita Religioni inhaeret, ut haec propria auctoritate ei renuntiare generatim non possit.

---

[6] Cf. A. Larraona, in *CpR.,* 1925, p. 184, nota 79.

[7] Cf. F. Maroto, in *CpR.,* 1921, p. 326; A. Larraona, in *CpR.,* 1923, p. 42; A. Gutierrez, in *CpR.,* 1942, p. 1144 et 1948, p. 156, nota 5.

Ista stabilitas provenit ex vinculo morali-iuridico, quod sua vice promanat ex legitima et valida professione votorum in religione seu societate publica, quae sine auctoritate publica propria existere nequit.

2. *Ex charactere universali* religio indiget aliqua potestate *unica,* nam si subditur Ordinariis locorum habentur « tot sententiae quot capita », *quo in casu actum esset de vita religiosa.*

Porro, Christus Dominus, fundans suam Ecclesiam, dedit ei non solum praecepta, sed etiam consilia. Quapropter consilia evangelica, ad qua observanda religiosi vi sui specialis status in conscientia obligatione tenentur,[8] sunt partes integrantes religionis christianae et tamquam elementa essentialia in statu religioso perfectionis consequendae.[9] Consequenter status religiosus « ex divina institutione in Ecclesia » (can. 107) ad essentiam ipsius pertinet.

Etenim:

a) paupertas ordinat usum omnium rerum istius mundi et fovet iustitiam;

b) ad oboedientiam reducuntur omnes virtutes quae regulant propriam vitam et fovet prudentiam et exigit fidem;

c) ad castitatem reducuntur omnes virtutes quae spectant profundam pietatem.

His tribus consiliis optime imitatur vita Christi, qui factus oboediens usque ad mortem, pauper cum esset omnia habens et dives, et sanctus cum sit homo.[10]

Cum status religiosus sit status iuridicus publicus in Ecclesia et medium perfectionis evangelicae, acquirendae tamquam proprii finis, dicendum est, eumdem statum esse de essentia iuris, ut ita dicam, constitutionalis (can. 500 et 107) Ecclesiae.

Sed, si privilegium exemptionis omnino aboletur et religiosi *qua tales* subiicientur *exclusivae potestati* Ordinarii loci, destruetur ipse status religiosus, qui autem est « divinae institutionis in Ecclesia ».[11]

3. *Ex charactere territoriali*: Cum enim iurisdictio Ordinarii loci sit territorialis, non potest omnes religiosos neque omnia negotia totius religionis, per diversas universi orbis regiones divulgatae, afficere. Secus haberetur incompatibilitas iurisdictionis inter Ordinarios locorum.

Sed in omni societate recte ordinata requiritur unitas regiminis.

---

[8] Cf. A. LARRAONA, in *CpR.,* 1921, p. 169 dicit: « obligatione tam morali quam iuridica »; A. GUTIERREZ, in *CpR.,* 1950, p. 68.

[9] Cf. S. THOMAS, II, II qu. 186, art. 6 et 7.

[10] Cf. S. THOMAS, II, II, qu. 186, art. 7.

[11] Cf. can. 107.

Insuper, auctoritas, qua regitur societas publica, ex sua natura indiget ut sit publica atque unica. At, si exemptio supprimeretur, necesse est, ad unitatem regiminis quod attinet, ut Episcopi, Ordinarii locorum, agerent vel collegialiter vel delegarent unum ex istis Ordinariis, in cuius territorio religio invenitur vel fundata est. Sed etiam hoc in casu oriuntur maxime difficultates atque incongruentiae permultae quae respiciunt praesertim ipsam unitatem et disciplinam Ordinis religiosi, quia nemo alius, neque Ordinarius loci, et melius potest percipere, compenetrare necnon fovere genuinum spiritum Ordinis, quam Superiores interni ad eius peculiarem indolem informati.

III. Quoad secundam opinionem

Propter easdem supra recensitas rationes neque *opinio de potestate cumulativa* sustineri potest, quia practice hoc idem significaret ac *impedire liberum exercitium potestatis Superioris interni, quatenus nempe locus daretur iuri praeventionis inter Ordinarium loci et Superiorem religionis,* quod ius in societate publica magnam, in genere, generat confusionem, lites in casu competentiae dubiae provocat, dissensiones atque dissociationem animorum causat. Quae omnia in societate recte riteque ordinata admitti nequeunt. Sane, societas biceps non solum regimini non prodest, sed in Ecclesia, societate hierarchice ordinata, neque desiderari potest.

De cetero, in iure vigenti Ordinariis locorum, amplissimae conceduntur facultates etiam in religiosos exemptos. Hoc luculenter probatur libro II Codicis ceterisque canonibus, in quibus de religiosis loquitur.

Sic v. g. vi can. 500 et 615 regulares viri Ordinario loci subiecti sunt in casibus in iure expresse determinatis.

Casus in iure expressi, quibus exemptio Ordinum virorum et Congregationum clericalium exemptarum potestate Ordinarii loci limitatur, nititur iuridice partim iurisdictione territoriali Ordinarii eiusque vigilantia super cultum divinum et curam animarum, quam religiosi in suo territorio exerceant, partim potestate ordinis Episcopi, partim potestate ordinaria vicaria Ordinarii loci vi concessionis a iure.[12]

In concreto hi casus, in quibus exemptio religiosorum potestate Ordinarii limitatur, respiciunt:

---

[12] Cf. Schenerman, *Die Exemptio nach geltenden Recht,* Paderborn 1938, p. 11; A. Larraona, in *CpR.,* 1927, p. 442, nota 478; P. Tocanel, *De facultate Ordinarii loci prohibendi divina officia in ecclesiis et oratoriis religiosorum,* Romae 1956.

1. *Erectionem domorum religiosorum et ecclesiarum.* Ad erigendam enim domum religiosam et convertendam in alios usus, ad aedificationem ecclesiae vel oratorii publici in determinato loco, ad aedificandas et aperiendas scholas, hospitia et similes aedes a domo religiosa separatas, necessaria est Ordinarii loci licentia (cf. can. 497, can. 1162 § 4). Et si agitur de Ordine laicali (vel de Monialibus) hi etiam ad habendam ecclesiam vel oratorium publicum indigent licentia Ordinarii loci (can. 497 § 2).

2. *Cultum divinum*: Si Ordinarius loci *peculiares leges* de cultu divino pro suo territorio tulerit, etiam religiosi omnes, exempti quoque, obligatione tenentur eas servandi, et Ordinarius loci potest eorum ecclesias in hunc finem visitare, exceptis oratoriis semipublicis (can. 1261 § 2).

Si autem agitur de Congregationibus clericalibus, etiam exemptis, Ordinarius loci vi can. 512 § 2, n. 2 earum ecclesias non tantum potest, sed etiam debet quinto quoque anno visitare, et quidem ecclesias, sacrarium, oratorium publicum, sedem ad Sacramentum poenitentiae designatam.

Vi can. 1265 § 1 ss. Eucharistia in ecclesia adnexa domui religiosorum exemptorum non solum potest sed etiam debet sub vigilantia Ordinarii loci custodiri. Hoc valet etiam pro oratorio publico, si domus religiosa ecclesiam non habet.

Insuper, necessaria est licentia Ordinarii loci ad expositionem publicam SS. Eucharistiae seu cum ostensorio extra octavam festi Corporis Christi (can. 1274 § 1); tempore supplicationis Quadraginta Horarum (can. 1275); SS. Eucharistiae asservatio tempore nocturno extra altare ab Ordinario loci probanda est (can. 1269 § 3).

Celebratio divinorum officiorum in ecclesiis religiosorum non debet catechisticae instructioni in ecclesia paroeciali nocumentum afferre, de quo iudicium ferre ad Ordinarium loci pertinent (can. 609 § 3; can. 1171).

Ad normam can. 1291 processioni die festo Corporis Christi etiam religiosae virorum familiae, etsi exemptae, interesse debent. Itemque aliis processionibus tum ordinariis seu consuetis tum extraordinariis (can. 1292), nisi pro omnibus his processionibus aliter ferat consuetudo, vel locorum circumstantiae, prudenti Episcopi iudicio, aliter exigant.

Religiosi etiam exempti nequeunt *extra* suas ecclesias et claustra processiones ducere sine Ordinarii loci licentia (can. 1293).

3. *Missae Sacrificium*: Etiam regulares debent orationes imperatas

in Missa recitare [13] et Episcopum in Canone nominare.[14] Item, ordinationes peculiares Ordinarii loci de admissione sacerdotum ecclesiae extraneorum ad Missam celebrandam etiam religiosi exempti servare debent (can. 804).

Ad Missam extra loca sacra celebrandam etiam religiosi exempti indigent licentia Ordinarii loci (can. 822 § 4).

Etiam religiosi exempti circa stipem manualem Missarum stare debent decreto Ordinarii loci aut dioecesis consuetudini (can. 831 § 3).[15]

Episcopi residentiales possunt intra suam dioecesim in ecclesiis religiosorum etiam exemptorum, pontificalia peragere (can. 337 § 1) et confirmationem administrare (can. 729).

Itemque Ordinarius loci ius habet concionandi in qualibet ecclesia in suo territorio, quamvis exempta (can. 1343 § 1) et indulgentias concedere (can. 349 § 2).

4. *Praedicatio et doctrina christiana*: *Praedicatio*: Clericis etiam exemptis facultatem dare concionandi populo in suo territorio spectat ad Ordinarium loci, etsi concio fit in ecclesia propria religiosorum (can. 1339 et can. 1340).

Ex alia parte Ordinarius loci religiosos etiam exemptos ad tradendam catecheticam populi institutionem et ad Evangelii aut alicuius partis doctrinae christianae explanationem faciendam obligare potest, praesertim in propriis ecclesiis, sine tamen regularis disciplinae detrimento (can. 1334 et 1345).[16]

Doctrina: Religiosi omnes etiam exempti, ad libros edendos et ad scribendum in diariis, foliis vel libellis periodicis non solum licentia Superioris sed etiam Ordinarii loci competentis indigent (can. 1385; can. 1386; cf. etiam can. 1390 et 1391).

Ordinarii locorum possunt scholas quaslibet, oratoria, recreatoria, patronatus, instituta ecclesiastica non collegialia cum religione coniuncta etc. in eis, quae ad religiosam et moralem institutionem spectant, visitare (can. 1382; can. 1491).

Conferentiis sic dictis pastoralibus religiosi sacerdotes licet exempti

---

[13] Cf. *S.R.C.*, Decretum, d. 31 iul. 1821, in GASPARRI, *Fontes C.I.C.*, vol. VIII, n. 5841, *Decr. auth.*, n. 2613.

[14] Cf. Decr. *S.C.R.*, d. 12 nov. 1605, in GASPARRI, *Fontes C.I.C.*, vol. VII, n. 5215.

[15] Cf. Commissionis Pont. Cod. interpr., d. 6 mart. 1927, in *A.A.S.*, 1927, p. 161.

[16] Cf. S. GOYENECHE, in *CpR.*, 1953, p. 400.

assistere debent, si curam animarum habent (can. 476 § 6)[17] et illi religiosi, qui facultatem audiendi confessiones ab Ordinario loci obtinuerunt, si collatio in eorum domibus ad normam can. 591 non habeatur (can. 131 § 3).

5. *Sacramentum poenitentiae*: Etiam religiosi exempti ad excipiendas confessiones saecularium indigent iurisdictione Ordinarii loci (can. 874 ss.).

6. *Munus parochi et rectoris ecclesiae*: Ad Ordinarium loci spectat, servato praescripto can. 459, ius concedendi institutionem religioso a Superiore praesentato, sive qua parocho sive qua vicario paroeciali, vel ius eum approbandi (can. 456; 471 § 2; can. 1425 § 2; can. 476 § 4). Amoveri potest tum a Superiore monito Ordinario loci, vel ab Ordinario loci monito Superiore (can. 454 § 5; can. 471 § 3; can. 477 § 1).

Rector ecclesiae in sensu can. 479 § 1, i. e. ecclesiae, quae non est vere religiosa, licet ecclesia pertineat ad religionem exemptam, nominatur quidem a Superiore, sed indiget approbatione Ordinarii loci (can. 480 § 2).

Religiosus ut parochus vel vicarius paroecialis subest immediatae iurisdictioni, visitationi et correctioni Ordinarii loci, eo modo ac parochi saeculares, regulari observantia unice excepta (can. 631; 465 § 4, coll. cum can. 471 § 4, can. 1349 § 2).

7. *Associatio fidelium*: Si erectio associationis vi privilegii apostolici religionem spectat, Superiores ad validitatem erectionis indigent consensu Ordinarii loci ad normam cann. 686 § 3 et 703 § 2, nisi aliud in ipso privilegio cautum sit.

8. *Potestas Ordinis*: Religiosi exempti a nullo Episcopo ordinari licite possunt sine litteris dimissorialibus proprii Superioris maioris. Quas litteras Superior religiosus autem mittere debet ad Episcopum dioecesis in qua sita est domus religiosa ad cuius familiam pertinet ordinandus (can. 965, exceptis quibusdam casibus in can. 966 expressis).

Quilibet ordinandus sive saecularis sive religiosus debet praevium examen subire in can. 996 determinatum. Pro recipiendo examine competens est Ordinarius loci (can. 996 § 1).

9. *Tributa*: Tributo pro Seminario dioecesano obnoxia est quaelibet domus religiosa, etsi exempta, nisi solis eleemosynis vivat aut in ea collegium discentium vel docentium ad communem bonum Ecclesiae

---

[17] Cf. Comm. Pont. Cod. interpr., d. 12 febr. 1935, in *A.A.S.*, 1935, p. 92; MAROTO, in *CpR.*, 1935, p. 215.

promovendum actu habeatur (can. 1356 § 1); itemque omnia beneficia, etiam regularia et paroeciae aut quasi-paroeciae (can. 1356 § 1).

Cathedraticum solvere debent omnes ecclesiae vel beneficia iurisdictioni Ordinarii loci subiecta (can. 1504) ergo etiam ecclesiae et beneficia saecularia, quibus religiosi, etsi exempti praesunt. Etiam ecclesiae religiosae Congregationum clericalium exemptarum ratione can. 512 § 3, n. 2 huic tributo subiectae esse videntur.

Ad subsidium caritativum extraordinarium de quo in can. 1504, obligati sunt omnes beneficiarii, sive saeculares sive religiosi, etiam exempti, si habent beneficia saecularia.

10. *Iudicia*: Ordinarius loci est iudex primae instantiae, si agatur de controversiis inter religiosas personas physicas vel morales diversae religionis, aut inter religiosos eiusdem religionis laicalis, etiam exemptae, aut inter religiosum et clericum saecularem vel laicum (can. 1579 § 3).

Ordinarius loci religiosos in omnibus, in quibus ei subsunt, punire potest (can. 619).

Praeterea interdictum locale Ordinarii loci in loco interdicto omnes etiam exempti, excluso speciali privilegio, servare debent ad normam can. 2269 § 3.

Religiosi cum in territorio dioecesis versantur, legibus quae ordini publico consulant vel actuum sollemnia determinant ad analogiam peregrinorum teneri videntur (can. 14 § 1, n. 2).

Quapropter, omnibus hisce relatis, rite perpensis, censemus, de praesenti, *relate ad privilegium exemptionis religiosorum, nihil prorsus innovandum esse.*

VOTUM N. 16

« INDICIS LIBRORUM PROHIBITORUM » REVISIO

(A. Macali)

Perantìquus et undequaque laudabilis usus S. R. Ecclesiae est ille, quo, suo iure et officio fruens, libros prohibet qui discrimen et praeiudicium integritati Fidei et morum adducunt, dispositiones servans quae hac de re praesertim canonibus 1395-1405 continentur. Sine dubio rationes inter omnes gravissimae, ob quas aliquis liber ut perniciosus et nocivus prohibetur sive ipso iure sive aliquo interventu positivo competentis Auctoritatis, sunt quae can. 1399 recensentur.

At praeter et infra rationes illas gravissimas, aliae exstant, quae certe minoris et longe tenuioris videntur esse momenti, vel eo ipso quod

rationes illas gravissimas omnino non attingunt, vel quia cum essent propriae alicuius transacti temporis aut momenti vel loci, illis particularibus adiunctis nunc obsoletis vel alicuius domesticae polemicae ardoribus sopitis vel omnino extinctis, vel etiam aliqua alia interveniente immutatione rerum, omne pondus pro tempore hoc nostro amisisse videntur.

Constat tamen quod decursu temporis, ob infirmiores istas rationes, magni et non spernendi nominis theologi necnon piissimi viri, peramantes Ecclesiae filii, mentionem et locum nacti sunt in « Indice » illo Librorum Prohibitorum, una cum Ecclesiae persecutoribus eiusque infensissimis inimicis ac detractoribus.

Censent quoque theologi, quod prohibitio alicuius libri non est per se censura theologica et decreta huiusmodi sunt mere disciplinaria, si prohibitio pure et per se consideratur et attenditur; quapropter fit interdum unius alteriusve libri seu operis ex « Indice » expunctio.

Rebus sic stantibus, nonne opportuna videtur *generalis quaedam revisio et expurgatio* huius « Indicis Librorum Prohibitorum », qua quidem revisione (salvo semper meliori iudicio, salvo praesertim integroque et inviolato manente fine principali et substantiali huius providi instituti) ab hoc ipso « Indice » nomina omnia praecipue catholicorum Theologorum, quae sine ullo praeiudicio fidei et morum praevioque, si placet, novo examine Votorum quae condemnationem suo tempore decreverunt, expungi tuto possunt? [1]

---

[1] Aliqua adiungimus scripta, quae de praefato « Indice » pertractant:

A. De Iorio, *Indice dei libri proibiti,* in *Enciclopedia Cattolica,* VI, Città del Vaticano (1951), 1825-9.

P. Hayoit, *La justification des lois de l'Index,* in *Rev. Dioc.* de Tournai 6 (1951), 232-5.

R. Burke, *What is the Index?* (Milwaukee, Bruce, 1952).

H. Wagnon-R. Naz, *Index,* in *Dict. Droit Can.,* VI (Paris 1953), 1318-30.

S. Alonso Moran, O. P., *De la previa censura de los libros y de su prohibición,* in *Rev. Esp. Der. Can.* 11 (1957) 67-102.

FACULTAS THEOLOGICA
CARMELITARUM DISCALCEATORUM

FACULTAS THEOLOGICA
COLLEGII INTERNATIONALIS
SS. TERESIAE A IESU ET IOANNIS A CRUCE
CARMELITARUM DISCALCEATORUM

Romae, 28 aprilis 1960

Excellentissime Domine,

Laetum nuntium Sanctissimi Domini nostri Ioannis Papae XXIII, feliciter regnantis, coadunandi Concilii Oecumenici Vaticani II, magna laetitia nos affecit, probe scientes Concilia Oecumenica maxime Ecclesiae Sanctae semper profuisse.

Accepta deinde epistola ex benevolentia Excellentissimae Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae, die 18 iulii 1959, grato animo et alacri corde, pro modulo nostro, iuxta placita inibi significata, vota quaedam, brevia sed validis argumentis fulcita, parare studuimus.

Haec autem fuit nostra agendi ratio, ut licet vota singuli professores praeparaverint, a commissionibus tamen revisa atque approbata fuerunt; idcirco eadem nomine commissionum nostrae Facultatis praesentamus.

In separatio folio adiecto elenchus votorum exhibetur.

Magnopere gaudebimus si hoc qualecumque munusculum, impar huius nostrae Facultatis devotionis in Ecclesiam argumentum, Tibi, Excellentissime Domine, ac Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae gratum erit neque prorsus inutile.

Interim, gratiis actis pro benevolentia erga nos exhibita, fervida vota precesque Deo fundimus, ut Spiritus Sancti gratia Excellentissimae Commissionis Antepraeparatoriae pergraves labores abunde foecundet.

Tibi, Excellentissime Domine, addictissimus, humillimus,
in Christo servus

Fr. PHILIPPUS A TRINITATE, O. C. D.
Praeses

DE ERRORIBUS HENRICI DUMÉRY DAMNANDIS

I - QUIDAM ERRORES HUIUS AUCTORIS INDICANTUR

Henricus Duméry magno gaudet influxu hodie in Gallia. En specimina quaedam sive errorum sive propositionum quae saltem ambiguitate non carent, e duobus operibus eius excerpta.

A) H. DUMÉRY, *Le problème de Dieu en philosophie de la religion* (Desclée de Brouwer, Paris 1957, pp. 143).

Cela n'a plus de sens et n'est pas recevable de faire « de la philosophie au service de la théologie, selon la mentalité du Moyen-Age » (p. 27). Il faut refuser « tout dualisme, ou risque de dualisme, entre foi et raison », et « préconiser le retour à d'autres problématiques » (*ibidem*).

On ne peut pas *dédoubler* Dieu « en Dieu de la foi et Dieu de la raison ». Dieu ne peut pas être « simultanément ou tour à tour lieu de mystère et objet de démonstration » (p. 28).

La raison ne peut pas « établir l'existence d'un être dont elle ignorerait les conditions auxquelles il peut être, s'il est » (*ibidem*).

« Sous prétexte de promotion rationnelle, d'épreuve démonstrative, on aboutit à une véritable déchéance chosiste » (p. 35).

Le Dieu des philosophes mène au panthéisme ou à une sorte de panlogisme (pp. 63-64).

La notion « d'un créateur qui fait advenir à l'acte les possibles qu'il recèle dans son essence » relève d'une métaphore anthropomorphique » (p. 45).

Il n'y a pas d'intelligibilité commune entre nous et Dieu. Il n'y a pas d'intelligibilité commune entre l'Un (Dieu) et l'ordre constitué au contact de l'Un, qui est l'intelligible. « L'intelligible est un ordre qui se constitue au contact de l'Un, mais à un niveau inférieur » (p. 105).

Qualifier Dieu *quoad se*, cela n'a aucun sens (p. 110).

Il faut « renoncer à toute théodicée de type explicatif » (p. 141).

B) H. DUMÉRY, *Philosophie de la religion* (Paris 1957, 2 vol., p. 305 et p. 299 [Abréviation: *PR.* I ou II]).

1. *De mytho et conscientia christiana*

« Le mythe n'est pas pour nous une fiction, une allégorie, un récit quelconque par lequel un pédagogue habile adapte à des enfants un enseignement spirituel. Non, le mythe est véridique, sérieux, concret; il est plus qu'une adaptation et il n'est pas une transposition; il est l'expression de la conscience totale aux prises avec le monde, avec soi, dans son premier et définitif élan vers les valeurs, y compris les plus hautes. Ainsi défini, le mythe est évidemment « dépuérilisé ». Ne serait-ce pas le signe qu'il est enfin respecté, non altéré ni méprisé? L'un des mérites de la sociologie contemporaine (je songe surtout à *Do Kamo* de LEENHARDT, à *Structures élémentaires de la parenté,* de Cl. LEVI-STRAUSS, Paris, P.U.F., 1949, sans oublier les travaux de C. DUMEZIL ou les fameux carnets posthumes de LEVY-BRUHL.) aura été de nous rapprendre le respect des enfances de l'esprit, non seulement en cherchant à faire éclore l'homme dans l'enfant, mais en montrat que l'enfant lui-même se comporte en homme dès l'âge de raison pratique, sans attendre l'âge de raison pure. Au reste, on ne peut céler que certains niveaux conscientiels n'atteindront jamais la dignité critique. Ils existent pourtant, et ne peuvent être expulsés; ce serait attenter à l'intégrité de la conscience » (*PR.* II, pp. 163-164).

« On accorde, ou on n'accorde pas, que la conscience est de structure projective. Si elle l'est, nul ne pourra faire qu'elle ne le soit pas; le premier devoir du philosophe est de le reconnaître. Certes, il est indéniable que la réflexion philosophique ajoute quelque chose à l'attitude spontanée: elle discerne le projectif comme projectif, et elle *sait* les raisons de son discernement. Dès lors, le philosophe, tout en subissant la condition projective de la conscience, la domine et la connaît. Il surmonte la mentalité projective; il s'établit au plan d'une mentalité proprement réflexive. Au contraire, l'homme religieux *spontané,* même si son attitude religieuse est authentique, non superstitieuse, continue à appartenir à la mentalité projective (...) Bien entendu, le secours d'une réflexion sur la foi, du point de vue de la foi, lui est précieux. Mais elle demeure, à l'intérieur de son engagement effectif, comme une confirmation de son attitude. Elle ne peut être assimilée à une démarche réflexive, au sens philosophique. La preuve en est qu'on peut faire, et qu'on fait, une théologie saine, puissamment syntétique, stimulante, sans opérer une discrimination technique

des niveaux de conscience, sans remettre en question le point de départ positif de toute théologie: Ecriture et tradition. On doit ainsi concéder que la religion spontanée reste liée à la mentalité projective. Ce n'est pas une disgrâce. Ou, si l'on y voit un statut péjoratif, c'est qu'on tient en médiocre estime la spiritualité vivante » (*PR.* II, p. 225).

« La religion, qui prend l'homme tel qu'il est et qui n'a pas pour le sauver, à se changer en métaphysique ou en critique, draine tant d'élémens, répond à tant de besoins différents. L'illusion serait de croire que la religion est tout d'une pièce, comme si l'homme était un être homogène, une chose. Parce que chacun de nous est, au contraire, être complexe et tourmenté, la religion sera elle-même, à l'image de l'humanité, une évolution orientée, mais disparate (...) La liberté de l'homme est créativité; elle n'est pas ratification; autrement, la subjectivité ne se choisit pas radicalement, elle ne se pose pas, soi par soi. Toutefois, il faut à un être dédoublé une source d'unité pure; à une existence qui se constitue en constituant son essence, il faut un principe de spontanéité absolue. C'est pourquoi, faisant droit tout ensemble à la dignité de l'esprit et à celle de l'Un, nous pensons avoir établi le véritable rapport de Dieu et de l'homme: Dieu est aséité; l'homme n'est qu'auto-position, *mais est auto-position* » (*PR.* I, p. 136).

« Le christianisme serait donc un mythe? Formule de scandale, formule polémique. Non, le christianisme n'est pas un mythe parmi d'autres. Il y a du mythique dans certaines couches de son schématisme, et ce n'est pas du tout la même chose. Le mythique, il ne peut l'exclure, parce qu'on n'exclut pas l'imaginatif sans mutiler l'homme. (Personne ne niera que Jésus lui-même a été " archétypé " à partir d'un certain moment. La typification et l'imitation de Jésus-Christ sont même les deux démarches essentielles de la foi chrétienne. Cf. notre étude, *La foi n'est pas un cri*). Il le conserve donc, il l'intègre, mais il s'en sert pour viser autre chose, ce qui est une manière de le juger en le dépassant. Le propre du mythe est d'ailleurs d'être un relais, un relais qui est à franchir, bien qu'il puisse se changer en occasion de régresser. Son but est de conduire aux valeurs; de celles-ci il projette l'expression sur l'objet, à seule fin de permettre au sujet de se réconquérir par ce détour. Rien de plus erroné que d'identifier la conscience mythique à la conscience prisonnière des mythes, c'est-à-dire à la conscience mythique qui trahit ses propres intentions. L'infidélité à soi n'est pas le triste privilège de la conscience mythique; elle est le risque couru par toute forme de conscience, qui refuse d'aller jusqu'au bout de son exigence. Dès lors, on ne voue pas le christianisme à l'inconsistance, à la confusion, par le fait qu'on signale, à l'entour de son minerai, une certaine gangue mythique.

On reconnaît seulement qu'il s'enracine dans l'ambiguïté humaine et qu'il s'efforce, à ses risques et périls, de la réduire » (*PR.* I, pp. 166-167).

2. *De indole et munere theologiae*

On peut faire et on fait « une théologie saine, puissamment synthétique, stimulante, sans opérer une discrimination technique des niveaux de conscience, sans remettre en question le point de départ positif de toute théologie: Ecriture et tradition. On doit ainsi concéder que la religion spontanée reste liée à la mentalité projective. Ce n'est pas une disgrâce. Ou, si l'on y voit un statut péjoratif, c'est qu'on tient en médiocre estime la spiritualité vivante » (*PR.* II, p. 225).

« (...) La réfléxion du théologien (qui) reçoit la positivité religieuse sans la remettre en question » (*PR.* II, p. 227, n. 1).

« Parce que la conscience religieuse ne procède pas selon la méthode réflexive, elle reste solidaire de la mentalité projective. Elle sait se servir des projections de la conscience; elle ne les " sait " pas tout court. Elle n'en est pas dupe, puisqu'elle connaît le moyen de dépasser l'apparence et de flétrir la superstition. Mais elle ignore comment, pourquoi, l'apparence joue un rôle dans la conscience. Cela, seul le philosophe peut le dire et le justifier. Le théologien, lui, se borne à codifier la pratique et ses normes. Il ne fait pas, en tant que tel, la critique des catégories ou des schèmes, l'analyse radicale et indépendante de la positivité religieuse » (*PR.* II, p. 241).

« La religion qui se situe à tous les niveaux de la conscience, aux plus hauts comme aux plus bas, n'assume pas pour son compte la fonction critique (celle du philosophe de la religion). Elle coïncide avec le mouvement de la conscience spontanée, qui s'exerce par et dans ses opérations, et donc emploie l'intelligence à un rôle de création directe, non de retour sur soi méthodique. Il est vrai que toute religion mêle à son expérience des éléments théologiques; ceux-ci introduisent au cœur du comportement religieux des produits rationnels ou réfléxifs. Mais cela même ne se fait pas dans un esprit systématique rigoureux, dans l'esprit précisément où le philosophe entend juger la religion. La preuve en est que le théologien passe un compromis entre la raison et la foi; le philosophe, lui, n'a pas à le faire; sa critique est toujours tout d'un côté, non des deux ensemble. Le philosophe de la religion se borne à analyser d'un point de vue rationnel les structures de l'expérience religieuse; il est autorisé à traiter la religion comme le résultat d'une activité humaine déterminée; mais il se garde de confondre la transcendance de la spiritualité

profonde et le plan des déterminations où elle s'exprime » (*PR.* I, pp .121-122).

« De toute façon, l'illusion serait de vouloir rejoindre le sujet à son niveau, sans condescendre à la schématisation; il y aura toujours dénivellement ou, comme nous disions, retombée.

« Appliquée au christianisme, la loi de retombée joue à plein. La majorité des fidèles reste évidemment incapable de critiquer les schèmes dogmatiques. Bien plus, nous répétons que la religion, voire la théologie comme telle, n'ont pas à le faire, si ce n'est dans les limites du sens commun et pour pallier des excès imaginatifs trop criants » (*PR.* I, p. 128).

« Même s'il est théoricien du dogme, (le théologien) cherche à montrer comment les énoncés dogmatiques médiatisent l'intentionnalité de foi dans la conduite du fidèle; il ne s'interroge pas, sauf compétence supplémentaire, sur les degrés de valeur noétique que possèdent les diverses notions qu'il examine. Et jamais il ne sort de la sphère hiérologique, où Ecriture et Tradition donnent, de fait, toutes les significations religieuses que comporte l'acte de foi » (*PR.* II, p. 271, n. 1).

« Si l'âme simple se maintient dans son état d'esprit spontané, le discernement pratique lui suffira. Si, au contraire, elle se divise d'avec soi pour rechercher, de manière ou d'autre, une solution au problème de la connaissance religieuse, elle s'engage dans l'aventure réflexive. De celle-ci nul ne peut sortir autrement qu'en allant jusqu'au bout de la rectitude critique. Là, il n'est pas de voie moyenne: ou bien on vit sa religion religieusement, spontanément, simplement, ou bien il faut consentir à ratifier toutes les exigences de la méthode réflexive. Le théologien, lui, semble prendre place dans l'entre-deux. En réalité, comme théologien, il reste du côté de la foi spontanée, de celle qui s'exprime dans les Livres saints et les témoignages de la Tradition. S'il vient à soulever le problème critique, il ne peut éviter de l'aborder avec les mêmes règles, la même radicalité, que tout autre critique » (*ibidem,* n. 2).

« (Le) théologien lui-même a-t-il, en tant que théologien, à se demander si sa spécialité requiert au préalable une critique du langage? Nous ne le pensons pas. Son but n'est pas de s'adonner à une spéculation purement rationnelle; il est de codifier une expérience *sui generis,* où interfèrent selon des modes spécifiques pensée et action. Bref, ni la foi du charbonnier ni celle du théologien n'ont à chercher quelle valeur critique revient aux catégories ou aux schèmes religieux » (*PR.* I, p. 125).

3. *De fide, historia et philosophia*

« Il y a un abîme entre le *voir* et le *croire* (...) Par différentes voies, on se trouve ramené à cette affirmation élémentaire: la foi ne dérive pas d'une évidence sensible. A quoi il convient d'ajouter qu'elle ne naît pas davantage d'une démonstration rationnelle, appuyée sur de prétendues évidences historiques. Bref, à se placer d'un point de vue religieux, on n'a pas à regretter que notre heuristique positive soit gênée et limitée; plus à l'aise, plus favorisée, elle ne nous conduirait pas d'elle-même à la foi; du constat à la croyance, il y a un intervalle infini; seule une initiative, d'un genre très particulier, peut la franchir » (*PR.* II, p. 42-43).

« L'illusion (...) de libérer un résidu factuel qui serait de l'historique pur, authentique et irrécusable, est non seulement naïve, elle est anti-scientifique (...) Vouloir décanter le fait et le survoler pour l'apprécier, sont deux tentatives impossibles » (*PR.* I, p. 174, n. 8).

Le but du théologien « n'est pas de s'adonner à une spéculation purement rationnelle; il est de codifier une expérience *sui generis*, où interfèrent selon des modes spécifiques pensée et action. Bref, ni la foi du charbonnier ni celle du théologien n'ont à chercher quelle valeur critique revient aux catégories ou aux schèmes religieux. De fait, les croyants ont dans la tête des schèmes bien différent, voire opposés, selon leur culture. L'Ascension est pour les uns lévitation matérielle, pour les autres simple retour au Père. De même, la Résurrection est pour la masse réanimation du cadavre; pour le savant, philosophe ou biologiste, elle devient l'assurance que le Christ est victorieux de la mort. De même enfin, l'Eucharistie est, pour le vulgaire, contact physique, presque assimilation digestive, tandis que le théologien traite un tel physicisme de *stercoraire*. Nous reviendrons sur ces exemples à propos du contenu factuel des dogmes.

« Ainsi ce qui différencie les schématismes, ce n'est pas la croyance, c'est la culture. Pourtant, même le croyant naïf, dont les schèmes restent mal dégrossis, peut faire passer à travers eux une intentionalité exigeante et désintéressée. Car l'intentionalité religieuse, à la différence de l'analyse critique, se définit par la valeur où elle tend, non par le choix de ses expressions ni par sa rigueur réflexive; ce n'est pas la même essence; ce ne sont pas les mêmes critères » (*PR.* I, pp. 125-126).

« L'exigence spirituelle rejette (...) l'idolâtrie du psychologisme, l'orgueil de la finitude, le culte excessif des créations intellectuelles; celles-ci, nous le savons, n'ont de valeur et deportée que par la liberté qui les soutient et qui, pour son compte, reste perpétuellement en question. Si notre point de vue était vérifié, on serait assuré à la fois de pré-

server la transcendance divine et de respecter les droits fondamentaux de la subjectivité. La grâce et l'esprit seraient vengés ensemble » (*PR.* I, pp. 140-141).

L'expérience constituante du christianisme et de l'Eglise, c'est la Pentecôte, en dehors de toute date-événement (*PR.* II, p. 75, n. 3). La croyance à la messianité et bientôt à la divinité de Jésus reflue sur le passé et le transfigure. « Ce mécanisme est bien connu des spécialistes » (*PR.* II, p. 76).

« Ainsi, de remontée en remontée, de report en report, à partir de la résurrection — suprême consécration messianique — on pénètre la vie entière de Jésus d'une signification transcendante » (*ibidem*).

En ce qui concerne la résurrection, il faut éviter un double écueil, celui du physicisme (*PR.* II, pp. 78-84) et celui du symbolisme et de l'allégorisme (*ibidem,* pp. 84-87).

« Il semble donc que nous soyons autorisé à dire que croire au ressuscité, c'est dépasser la résurrection-événement dans le sens de la résurrection-glorification; c'est subsumer la manifestation sensible sous sa signification idéale et normative; d'un mot, c'est croire que Dieu ne meurt pas et que ceux auxquels il communique sa vie ne meurent pas davantage. Croyance qui semble de nature chimérique. En réalité elle ne l'est pas: car elle reste consciente que ce pouvoir de franchir le trépas n'appartient pas à l'homme, mais à Dieu seul. En revanche, elle affirme que Dieu est réellement le maître de l'existence et de la mort; il a la puissance d'agir sur les éléments; son efficacité mord sur le sensible, même si elle échappe à la perception; d'ou l'empressement de la conscience religieuse à figurer dans un schème ce qu'elle sait effectif » (*PR.* II, p. 83).

« Nul n'est fondé à dire que le choix des éléments concrets du récit pascal fut délibéré, comme si quelque esprit ingénieux s'était employé à monter de toutes pièces un morceau d'édification. Il s'agit, au contraire, d'une " projection " spontanée, du recours immédiat à un schème qui, en fonction d'une situation et d'une culture données, s'offre à porter une visée de foi, à structurer une expérience religieuse. De plus, ce schème a une portée réaliste, parce qu'il rejoint la présence réelle de Dieu au monde et dans l'histoire, spécialement dans l'histoire de Jésus » (*PR.* II, p. 85).

« On reconnaît là un procédé propre au Sémite. Celui-ci ignorait toute anthropologie dualiste. Il ne pouvait concevoir qu'un homme pût être dit vivant ou survivant dans l'au-delà, si son âme était séparée de son corps. L'entrée dans l'éternité devenait donc synonyme de résurrection » (*PR.* II, p. 89).

4. *De quibusdam veritatibus dogmaticis*

L'objet affirmé quand nous pensons la Trinité n'est pas valable d'un point de vue rationnel, car il n'est pas homogène (le factuel y compose avec l'idéal), mais seulement du point de vue du comportement religieux. « Nommer la Trinité revient à diriger l'intentionnalité vers Dieu, en lui donnant comme hausse de visée le donné judéo-chrétien, lui-même ressaisi selon un canon emprunté à la logique grecque. En posant, en interprétant ce donné, en ne cherchant pas à objectiver dans l'Absolu une structure logique qui reste une détermination humaine, on ne fait que résumer et utiliser la conception de Dieu qui s'est fait jour en Occident grâce au christianisme. Toutefois on atteint réellement Dieu, parce qu'on prend cette conception comme médiatrice d'une visée religieuse, non comme une construction réfléxive porté à l'absolu » (*PR.*, I, p. 202).

Miséricorde et justice sont en Dieu des attributs anthropomorphiques. On ne peut distinguer en Dieu les niveaux du vouloir et du permettre, si ce n'est par artifice (*PR.* I, p. 243, 246).

« A tout prendre, liberté et grâce ne sont-elles pas même chose, la première étant l'autonomie spirituelle considée du point de vue de l'homme, la seconde cette même autonomie, considérée, en quelque sorte, à partir de Dieu » (*PR.* I, p. 298, n. 1.

II - CONCLUSIO

Summatim: naturalismus historico-psychologicus qui transcendentiam fidei catholicae non servat, reiiciendus est.

1) Theologia naturalis scolastica, traditionalis pleno valore gaudet.

2) Theologia veri nominis, apologetica et dogmatica, de valore proprio critice diiudicat, sub luce Magisterii Ecclesiae cui concreditum est depositum Fidei.

3) Fides obiectiva Apostolorum non fuit tantum fides quam sincere historice habuerunt Apostoli sed fides fuit quae obiectivitati historicae ipsius vitae Iesu Christi respondebat. Christus physice resurrexit.

4) Conceptus intellectuales humani obiectivo valore gaudent, vi analogiae propriae, ad veritates supernaturales transcendentes exprimendas.

Optatur ut emanetur decretum condemnationis ad modum decreti *Lamentabili,* vel aliter prout melius visum fuerit.

DE ERRORIBUS P. TEILHARD DE CHARDIN DAMNANDIS

I - QUIDAM ERRORES HUIUS AUCTORIS INDICANTUR

P. Teilhard de Chardin magno gaudet influxu hodie in Gallia. En quaedam specimina errorum qui opportune damnarentur. (Ex eo quod opera P. Teilhard de Chardin sunt sat numerosa et quod non agitur hic et nunc de bibliographia sat complexa scientifice iustificanda, indicationes dantur solummodo ad paginas periodici *Divinitas,* Pontificiae Universitatis Lateranensis, 1959, vol. 2).

1. *De creatione*

« Conception d'une sorte de *Néant positif,* sujet de la création (...) ». « A l'origine, donc, il y avait, aut deux pôles de l'être, Dieu et la Multitude (...). Infinement vaste et infinement raréfié, le Multiple, anéanti par essence, dormait aux Antipodes de l'Etre un et concentré (...). C'est alors que l'Unité débordant de Vie entra en lutte, par la Création, contre le Multiple inexistant qui s'opposait à elle comme un contraste et un défi. *Créer, suivant nos apparences,* c'est condenser, concentrer, organiser, *unifier* » (p. 320).

« *Non point du tout par impuissance...* mais en vertu de la *structure-même du Néant* sur lequel il se penche, Dieu, pour créer, ne peut procéder que *d'une seule façon:* arranger, unifier petit à petit, sous son influence attractrice, en utilisant le jeu tâtonnant des grands nombres, une multitude immense d'éléments, d'abord infiniment nombreux, extrêmement simples, et à peine conscients, puis graduellement plus rares, plus complexes, et finalement doués de réflexion. Or quelle est la contrepartie inévitable de tout succès obtenu suivant un processus de ce genre, sinon d'avoir à se payer par une certaine proportion de déchets? Disharmonies ou décompositions physiques dans le Pré-vivant, souffrance chez le Vivant, péché dans le domaine de la Liberté: pas d'*ordre en formation* qui, à tout les dégrés, n'implique du *désordre.* Rien, dans cette condition ontologique (ou plus exactement ontogénique) du Participé qui porte atteinte à la dignité ou limite la toute-puissance du Créateur. Rien non plus qui " sente " en quoi que ce soit le manichéisme » (p. 321).

« Le multiple (c'est-à-dire le *non être* s'il est pris à l'état pur) étant la seule forme rationnelle d'un *Néant créable* (" creabile ") l'acte créateur n'est intelligible que comme un processus d'arrangement et d'unification » (p. 228).

2. *De christologia*

« Centre universel christique, fixé par la théologie, et Centre universel cosmique, postulé par l'anthropogénèse: les deux foyers, en fin de compte, coïncident (ou du moins ils se recouvrent) nécessairement dans le milieu historique où nous nous trouvons placés. Le Christ ne serait pas le seul Moteur, la seule Issue de l'Univers, si l'Univers pouvait, d'une façon quelconque, se grouper, même à un degré inférieur, en dehors de lui. Le Christ, bien plus, se serait trouvé apparemment dans l'incapacité physique de centrer sur lui-même, surnaturellement, l'Univers, si celui-ci n'avait offert à l'Incarnation un point privilégié où toutes les fibres cosmiques, par structure naturelle, tendent à se rejoindre. C'est donc vers le Christ, en fait, que se tournent nos yeux lorsque, à n'importe quel degré d'approximation, nous regardons en avant vers un Pôle supérieur d'humanisation et de personnalisation » (p. 309).

« Ainsi se définit, en avant de nous, *un Centre cosmique universel* où tout aboutit, où tout s'explique, où tout se sent, où tout se commande. Eh bien, c'est en ce pôle physique de l'universelle évolution qu'il est nécessaire, à mon avis, de se placer et de reconnaître la plénitude du Christ. Car *dans nulle autre espèce de Cosmos* et *à nulle autre place,* aucun être, *si divin soit-il,* ne saurait exercer la fonction d'universelle consolidation et d'universelle animation que le dogme chrétien reconnaît à Jésus. Autrement dit, le Christ a besoin de trouver un Sommet au Monde pour sa consommation comme il a eu besoin de trouver une Femme pour sa conception » (pp. 309-310).

« Toutes les invraisemblances s'évanouissent, et les expressions les plus audacieuses de St Paul prennent sans difficulté un sens littéral dès l'instant où le Monde se découvre suspendu, par sa face consciente, à un point de convergence Oméga où le Christ apparaît, en vertu de son Incarnation, précisément revêtu des fonctions d'Oméga » (p. 311).

« Le Cœur du Christ universalisé coïncide avec un cœur de la Matière amorisée » (p. 229).

« Identifions en effet (au moins par sa face " naturelle ") le Christ cosmique de la Foi avec le Point Oméga de la Science, tout se clarifie, se simplifie, s'harmonise dans nos perceptions » (p. 229).

« Le Christ de la Révélation n'est pas autre chose que l'Oméga de l'Evolution » (p. 229).

3. *De soteriologia*

« Création, Incarnation, Rédemption, tout en marquant chacune un degré de plus dans la gratuité de l'opération divine, ne sont-elles pas

trois actes indissolublement liés dans l'apparition de l'être participé? » (p. 323).

« Pas de création sans immersion incarnatrice. Pas d'Incarnation sans compensation rédemptrice. Dans une métaphysique de l'Union, les trois " mystères " fondamentaux du Christianisme n'apparaissent plus que comme trois faces d'un même coup, c'est une Christologie renouvelée qui se découvre comme axe, non plus seulement historique ou juridique, mais structurel, de toute la Théologie » (p. 324).

« Création, Incarnation, Rédemption. Jusqu'ici ce trois mystères fondamentaux de la foi chrétienne, indissolublement liés en *fait* dans l'histoire du Monde, restaient *en droit* indépendants l'un de l'autre pour la raison. Dieu pouvait, semble-t-il, sans restriction aucune, se passer de l'Univers. Il pouvait créer sans s'incarner. L'Incarnation à son tour pouvait n'être pas laborieuse ni souffrante. Transposée du Cosmos ancien (statique, limité, à chaque instant rearrangeable) dans l'Univers moderne (organiquement lié par son Espace-temps en un seul bloc évolutif) les trois mêmes mystères tendent à ne former plus qu'un. Sans création d'abord, quelque chose, semble-t-il, manquerait absolument à Dieu considéré dans la plénitude, non pas de son être, mais de son acte d'Union. Créer donc, pour Dieu, c'est par définition s'unir à son œuvre, c'est-à-dire s'engager d'une façon ou de l'autre dans le Monde par l'Incarnation. Or " s'incarner ", n'est-ce pas *ipso-facto* participer aux souffrances et aux maux inhérents au Multiple en voie de pénible rassemblement? Création, Incarnation, Rédemption: vus à cette lumière les trois mystères ne deviennent plus en vérité, dans la Christologie moderne, que les trois faces d'un même processus de fond d'un *quatrième* mystère (lui seul absolument justifiable et valable en soi, en fin de compte, au regard de la pensée) auquel il conviendrait pour le distinguer explicitement des trois autres, de donner un nom: le Mystère de l'Union Créatrice du Monde en Dieu, ou *Pléromisation*... Simple et merveilleux effet d'hyper-orthodoxie » (p. 246, note et texte).

4. *Spiritualitas*

« Un désintéressement quelconque de tout ce qui fait le charme et l'intérêt les plus nobles de notre vie naturelle n'est par la base de nos accroissements surnaturels » (p. 313).

« En vertu de la création encore en cours, *continuée,* le Règne de Dieu apparaît comme directement intéressé au Progrès naturel du monde (...) » (p. 316).

« Le Monde ne s'agenouillera plus désormais que devant le centre organique de son Evolution » (p. 240).

« Aimer Dieu dans et par l'Univers en evolution... néo mystique *actuellement vivante* où tendent irrésistiblement à se combiner, dans toute conscience moderne sous le signe chrétien, les deux attractions fondamentales qui jusqu'ici écartelaient si douloureusement entre le Ciel et la Terre, entre le Théo et anthropo-centrisme, la puissance d'adorer humaine » (p. 240).

« Mon Dieu, je vous adore si Vous êtes ou si Vous êtes en train de devenir ce que Vous me faites devenir moi-même » (pp. 240-241).

II - CONCLUSIO

Summatim: naturalismus cosmologicus qui creationem ex nihilo sui et subiecti, transcendentiam ontologicam dogmatum Incarnationis et Redemptionis non servat reiiciendus est.

Optatur ut emanetur decretum condemnationis ad modum decreti *Lamentabili,* vel aliter prout melius visum fuerit.

« EXTRA ECCLESIAM NULLA SALUS » - DE ATHEIS

INTRODUCTIO

Indubium est atheismum ubique magis magisque grassari, proinde peropportuna esset condemnatio solemnis et formalis pestiferi huius erroris, plerumque tirranica violentia morali et phychologica in mentes inditi. Nec pretermittantur gravissimae atheismi (praesertim communistici) consequentiae in ordine religioso, morali, intellectuali et sociali; est enim error funditus evertens omnes « valores » divinos et vere humanos.

Contra atheismum, eradicatis falsis eius fundamentis ex progressu scientifico et sociali haustis, conclametur existentia Dei *Creatoris* atque *Gubernatoris* totius universi, necnon necessitas fundamentalis religionis et cultus Dei.

His omnibus firmiter stabilitis atque solemniter definitis, mentio fiat etiam atheorum illorum, qui in ignorantia invincibili versari possunt et de quorum proinde salute aeterna non est desperandum.

Non est ergo nostra intentio ut possibilitas huiusmodi ignorantiae in primo loco definiatur, cum potius directe contra errorem atheismi sit agendum. Ne tamen ex huius condemnatione christiani ad malam

fidem et ad damnationem aeternam omnium atheorum concludant, utile nobis videtur ut secundo loco possibilitas bonae fidei apud aliquos atheos declaretur. Quam possibilitatem nunc paucis verbis examinare volumus.

I - EXPOSITIO

Locus non est hic et nunc dandi bibliographiam quaestionis de salute atheorum. Inter alios auctores consuli potest optimum compendium argumenti apud MAQUART, *Elementa Philosophiae,* Blot, Paris, 1938, Tomus III, vol. II, pp. 344-352, a quo multa deprompsi.

A marxismi athei necnon sic dicti existentialismi sive agnostici sive athei per totum orbem hodierna diffusione, acutiori modo coram conscientia totius populi christiani fundamentale problema ponitur, olim plus minusve theoreticum, *quid nempe de salute aeterna atheorum.*

An dari possit de facto ignorantia invincibilis, non culpanda, ipsius existentiae Dei personalis remuneratoris?

Quatenus affirmative: an athei de proprio atheismo non culpandi conscientia morali simpliciter careant necne?

Quatenus affirmative: an omnes intrent limbum puerorum cum solo originali decedentes?

Quatenus negative: an salvari possunt, visione beatifica gaudentes, vel infernum adire in quem tamen non credunt?

A) AN DARI POSSIT DE FACTO IGNORANTIA INVINCIBILIS, NON CULPANDA, IPSIUS EXISTENTIAE DEI PERSONALIS REMUNERATORIS?

Sermo non est de ignorantia cognitionis *distinctae* quae facilius ab omnibus auctoribus admittitur, sed de ignorantia cognitionis etiam *confusae* Dei personalis et remuneratoris. Iuxta MAQUART, *op. cit.,* pp. 346-348 opiniones schematice sic praesentari possunt:

1. *Negant absolute talem ignorantiam possibilem esse nisi per accidens ad tempus*:

Gonet, Valentia, Lyranus, Vasquez, Granado, Coninck, Chossat, Garrigou-Lagrange, Vacant, Lennerz, Lercher, Maquart.

2. *Affirmant talem ignorantiam possibilem esse, per se ad tempus tantum, per accidens ad totam vitam*:

Caietanus, Vittoria, Vega, Barthelemy de Medina, Suarezius, de Lugo, Molina.

3. *Affirmat talem ignorantiam possibilem esse per se ad totam vitam*: Billot.

B) An athei de atheismo non culpandi, qua tales, sic et simpliciter conscientia careant morali necne?

Auctores bifariam dividuntur. En quaedam nomina iuxta Boyer, *Cursus Philosophiae,* vol. II, pp. 337-338, 476:

Affirmant eos atheos conscientia carere morali: Billot, Mercier, Richard, Gredt, Nivard, Cathrein, (Le Rohellec).

Affirmant eos atheos conscientia non carere primorum principiorum ordinis moralis (bonum faciendum, malum vitandum, sub aspectu boni honesti, etc.): Caietanus, Ioannes a S. Thoma, Viva, Wiceburgenses, Bonyssonie, Ferreti, Gillet, Romeyer, Ollé-Laprune, Schiffini, Descoqs, Garrigou-Lagrange, Claeys-Bouuaert.

1. *Logice, iuxta primam opinionem athei, utpote invincibiliter conscientia morali carentes, intrare debent limbum puerorum, cum solo originali decedentes.*

Iuxta nonullos auctores, « ubi non agnoscitur superior qui obligationem imponat, obligatio rationaliter agnosci nequit; eousque procedunt ut graviter peccare posse negent quicumque inculpabiliter Deum explicite non cognoscunt » (Boyer, *op. cit.,* vol. II, p. 431).

« Nonnulli, ut Billot, S. I., Nivard, S. I., ita docent: ut obligatio moralis a nobis agnoscatur ut obiectiva seu vere existens ut fundata, oportet ut sciamus Deum esse, qui hanc obligationem imponat; nam obligatio non est nisi quia a voluntate divina imponitur. Quaproter iudicia nostra moralia virtutem obligandi non habent antequam cognoscamus ea ex ordinatione et voluntate divina procedere » (Boyer, *ibidem,* p. 476).

2. *Logice, iuxta alteram opinionem, athei vel invincibiliter tales non carent eo ipso conscientia morali, hinc capaces sunt voti baptismi impliciti, et finaliter aut salvabuntur aut damnabuntur.*

Nam qui conscientia morali gaudet peccare potest. Atqui nullum datur peccatum mere philosophicum quod non sit offensa Dei (Denzinger 1290).

C) De auctoritate S. Thomae et Salmanticensium

Iuxta relatorem S. Thomas docet evidenter conscientiam moralem, qua talem, non pendere, quoad nos, ab ipsa cognitione Dei. Haec est auctoritas gravis ponderis in favorem huius sententiae. Ita scribit Sanctus Doctor:

« Impossibile est quod peccatum veniale sit in aliquo cum originali peccato absque mortali. Cuius ratio est, quia antequam ad annos discretionis perveniat, defectus aetatis prohibens usum rationis, excusat eum a

peccato mortali: unde multo magis excusat eum a peccato veniali, si committat aliquod quod sit ex genere suo tale, cum vero usum rationis habere inceperit, non omnino excusatur a culpa venialis et mortalis peccati; sed primum, quod tunc homini cogitandum occurit, est deliberare de seipso. Et si quidem seipsum ordinaverit ad debitum finem, per gratiam consequetur remissionem originalis peccati; si vero non ordinet seipsum ad debitum finem, secundum quod in illa aetate est capax discretionis, peccabit mortaliter non faciens quod in se est. Et ex tunc non erit in eo peccatum veniale sine mortali, nisi postquam totum fuerit ei per gratiam remissum (I-II, q. 89, a. 6).

Vide clarissime in eodem sensu *de Veritate,* q. 24, a. 12, ad 2^{m}; *de Malo,* q. 7, a. 10, ad 8^{m}; *in Rom.,* II, lect. 3, ed. Marietti, n. 215 et n. 222; *in Rom.,* VII, lect. 2, n. 536 et n. 539.

Accedit testimonium Salmanticensium:

« Dicendum credimus praeceptum dilectionis Dei quod per se obligat omnes ad rationis usum pervenientes, non solum praecipere, quantum est ex se, amorem illius ut finis et auctoris naturae, sed etiam (supposita praesenti hominum elevatione ad supernaturalem ordinem) ut finis et auctoris supernaturalis. *Excusantur* tamen multi propter ignorantiam invincibilem ab omissione praedicti praecepti, quantum ad amorem Dei explicitum etiam ut finis naturalis; et plures adhuc quantum ad amorem finis supernaturalis: quae quidem excusatio admittenda non est quantum ad amorem *implicitum* respectu Deo ut finis naturalis » (*De vitiis et peccatis,* disp. XX, nn. 16 et 17, ed. Palmé, 1877, t. 8, p. 498).

« (...) Multi sunt qui in illa aetate nondum cognoverunt Deum explicite, neque eius nomen aut rationem audierunt, sed laborant (saltem brevi aliquo tempore) ignorantia eius invincibili: et plures adhuc sunt, qui nihil audierunt aut cognoverunt de illo ut auctore et fine supernaturali: nemo autem potest explicite amare quod explicite non cognoscit, cum nihil volitum quin praecognitum: unde ipsa ignorantia invincibilis qua laborant, excusat illos ad adimpletione talis praecepti quoad praedictum amorem, redditque eius omissionem non voluntariam. Non tamen omnes ita excusantur (...) Puer in praedicto instante tenetur Deum diligere prout in illa aetate fuerit capax: quia solum tenetur iuxta notitiam quae tunc sibi communicatur » (n. 19, p. 499).

«(...) Quisquis expresse et efficaciter diligit bonum honestum, et hoc quod est vivere secundum rectam rationem, ibi iam implicite et virtualiter diligit ipsum Deum » (n. 20, p. 499).

D) De opportunitate doctrinam declarandi

1. Clare dicatur humanam rationem, nisi praepediatur aut violenter detorqueatur, hominem ducere ad cognitionem Dei. Dicatur etiam atheos dari posse bonae fidei inter homines qui ob falsam educationem quam a familia, a schola vel a statu receperunt, vel etiam ob perniciosas ut aiunt « ambientis sociologici » condiciones, Deum aut ignorant aut negant. Clare hoc dicatur ne tales a catholicis, veluti a priori, insinceritatis accusari credantur.

2. Doctrina iuxta quam athei Deum invincibiliter ignorantes conscientia morali simpliciter carerent, obiective falsa est, ut liquet ex his quae habet S. Thomas. Haec doctrina laxismo favet dum atheos huiusmodi ab inferno, necnon logice a purgatorio, simpliciter salvat, quidquid sit de eorum criminibus.

Doctrina opposita, quam ut veram propugnamus, honestatem morum subiectivam apud atheos, quantum fieri potest, tuetur et atheos huiusmodi exortatur ut fideliter magis in dies conscientiam suam moralem, amore Veri, Boni et Iusti ducti, semper sequantur cogitantes insuper quod si Deus qui non credunt existit, et ipsi ab Eo, — uti est, — iudicabuntur.

II - CONCLUSIO

Damnato atheismo a Concilio Oecumenico prout in nostra introductione indicavimus, fideles etiam clare edoceantur statum gratiae dari posse his qui voto tantum membra Ecclesiae sunt, et quidem non exclusis hodie a priori illis qui ignorantia invincibili quemdam atheismum speculativum profitentur, cui atheismo non contradicit a priori subiectiva quaedam perceptio obligationis moralis veri nominis. Omnis adultus *usu rationis fruens* aut visione beatifica gaudebit, aut damnationem in inferno patietur.

DE ECCLESIA CORPORE MYSTICO CHRISTI

Ratio voti

Doctrina de Ecclesia Corpore Mystico Christi nostris diebus tum a theologis tum a fidelibus maxime excolitur.

Eius momentum theologicum, morale, pastorale, asceticum et sociale maximum est, sicut et nobilitas praestantissima. Haec doctrina, clare aperteque proposita atque profundius investigata, arcanam et miram actionem Christi et Spiritus Paracliti in Ecclesiam et in fideles; unionem socialem ac iuridicam, sed imprimis supernaturalem ex gratia virtutibusque theologicis, omnium membrorum cum Christo Capite et ad invicem; divinam pulchritudinem Ecclesiae sanctae Dei eiusque salutarem et necessariam missionem erga omnes gentes; necessitatem atque foecunditatem conspirationis et collaborationis omnium fidelium ad incrementum totius Corporis socialis aeque ac in propriam cuiusque spiritualem perfectionem: haec omnia, inquam, praedicta doctrina revelationis mirifice pandit.

Cum tamen tanti momenti sit apprimeque nostri temporis condicionibus respondeat, adhuc de ea desideratur solemne documentum Magisterii Ecclesiae; etsi, equidem, pluries in documentis Magisterii mentio occurrat de eaque profunde atque pulcherrime tractet Encyclica *Mystici Corporis,* Pii XII, die 29 iunii 1943.

Cum itaque et cultus studiumque excreverint, et ex alia parte Concilium Vaticanum II praeprimis ipsius Ecclesiae vitae disciplinaeque incrementum sibi finem, ex verbis Sanctissimi Domini Ioannis XXIII, feliciter regnantis, praestituerit, peropportunum videtur ut praecipua quaedam capita de Ecclesia Corpore Christi Mystico solemniter ab eodem Concilio, Deo favente, definiantur.

Hanc vero doctrinam esse clarissime in Sacra Scriptura ac in universali Traditione contentam luce clarius patet, non solum ex libris a theologis catholicis hac de re editis (sufficiat hic meminisse clarissimi E. Mersch, *Le Corps Mystique du Christ: Etude de théologie historique,* 2 v., 1936), sed praecipue ex praelaudata Encyclica Pii XII.

Nostra heic procedendi ratio

Expeditior procedendi ratio nobis visa est, prius memorata doctrina prout proposita fuerat in Concilio Vaticano I, in primo Schemate De Ecclesia Christi, quaedam praecipua capita velut schematice colligantur

ab Encyclica *Mystici Corporis,* plerumque ipsis Encyclicae verbis (eruntque omnes textus inter parvos uncinos « ... » positi), quibusdam additis canonibus doctrinam resumentibus aut errores improbantibus.

NB. Encyclica *Mystici Corporis* citabitur in editione S. Tromp, *Pontificia Universitas Gregoriana, Textus et Documenta, Series theologica,* n. 26, Romae, 1948.

Ratio autem est quod in tali editione adhibetur divisio numeralis, insuper afferuntur innumera documenta Scripturae, Patrum, Theologorum et ipsius Magisterii Ecclesiae.

Numeri in voto adducendi inter uncinos (...) respiciunt praedictam editionem.

I

DOCTRINA DE ECCLESIA CORPORE CHRISTI MYSTICO IN PRIMO SCHEMATE « DE ECCLESIA CHRISTI » IN CONCILIO VATICANO I

In primo Schemate « De Ecclesia Christi » Patribus Concilii Vaticani I exhibito plura continebantur: de Ecclesia in se spectata; de proprietatibus eius ut est societas; de dotibus ut perennis est; de potestate; de visibili Ecclesiae Capite; de Ecclesia spectata in suis ad societatem civilem relationibus.

In primo schemate constitutionis dogmaticae tota materia capitibus 15 et canonibus 21 absolvebatur.

Ad Ecclesiae naturam describendam caput I agebat de Corpore Mystico. En textus:

« Unigenitus Dei Filius, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quique nulla unquam aetate miseris Adae filiis ope sua defuit, in ea plenitudine temporis, quae sempiterno consilio fuerat praestituta, in similitudinem hominum factus visibilis apparuit in assumpta nostri corporis forma, ut terreni homines atque carnales novum hominem induentes, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis, corpus efformarent mysticum, cuius ipse exsisteret caput. Ad hanc vero mystici corporis unionem efficiendam, Christus Dominus sacrum regenerationis et renovationis instituit lavacrum, quo filii hominum tot nominibus inter se divisi, maxime vero peccati dilapsi, ab omni culparum sorde mundati membra essent ad invicem, suoque divino capiti fide, spe et caritate coniuncti, uno eius spiritu omnes vivificarentur, ac coelestium gratiarum et charismatum dona cumulate reciperent. Atque haec est, quae, ut fidelium mentibus obiiciatur alteque defixa haereat,

satis numquam commendari potest, praecellens Ecclesiae species, cuius caput est Christus, ex quo totum corpus compactum, et connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum mensuram uniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate ».

Nullus habetur canon unice relativus ad hoc caput; veruntamen canon IV ipsum simul ac caput V, quod erat de visibili Ecclesiae unitate, complectitur. En textus can. IV:

« Si quis dixerit, veram Ecclesiam non esse unum in se corpus, sed ex variis dissitisque christiani nominis societatibus constare, per easque diffusam esse; aut varias societates ab invicem fidei professione dissidentes atque communione seiunctas, tamquam membra vel partes unam et universalem constituere Ecclesiam; a. s. ».

Integrum schema apud *Coll. Lacensem,* VII, 567 ss.

Adnotationes adnexae rationes praebebant huius doctrinae. Summatim rationes sunt:

a) expressio « corpus mysticum » magis usitata in S. Scriptura;

b) continet intimam et praestantissimam essentiam Ecclesiae;

c) solvit obreptationes adversariorum, affirmantium nos solam Ecclesiam iuridicam agnoscere;

d) ea intellecta, cetera externa melius aestimantur;

e) maxime apta est ad revocandos homines carnales ad rectam conceptionem Ecclesiae.

Tria etiam contineri asseverant adnotationes:

a) indicatur auctor: Filius Dei factus homo ut homines in ipso deificarentur;

b) indicatur medium: lavacrum baptismatis, iuxta doctrinam Florentini et Tridentini;

c) indicantur natura et vita: unio arctissima inter nos et Christum fide, spe, caritate.

Adnotationes in caput V (8) enucleant doctrinam contra pessundantes conceptum unitatis Ecclesiae (*Coll. Lacensis,* VII, 586-588. Cf. etiam ibidem, 631 ss., adnotationes in can. IV [53]).

Omnes norunt Concilium Vaticanum I non examinasse neque definivisse integram doctrinam schematis, sed iam a primis sessionibus, mutato ordine discussionis, transiisse ad examinandam et definiendam doctrinam de Primatu Petri et Romani Pontificis. (Integra Constitutio dogmatica prima de Ecclesia Christi apud *Coll. Lacensem,* VII, 482-487).

Una cum aliis capitibus etiam caput I de Corpore Mystico decidit, interrupto Concilio.

De mente Patrum hac in re constat ex observationibus ab ipsis paratis, discutiendis in prima sessione, relate ad decem priora capita schematis;

quae quidem observationes, mutato ordine materiae, non fuerunt propositae nec examinatae.

Observationes praedictae videri possunt apud Mansi, LI, 571 ss. Observationes in caput I (De Ecclesia Corpore Mystico) continentur nn. 95-140.

Pauci non favebant, vel quia formula minus sapit theologiam, vel quia obscura, vel quia ingenerare posset aequivocationes (cf. nn. 112, 113, 125, 128, 131, 132, 133, 134).

Schemata a quibusdam Patribus parata, loco schematis praesentati, fere omnia retinent doctrinam de Corpore Mystico, licet alio ordine aut formula aut contextu proponatur. (Praedicta schemata apud Mansi, ib., 863 ss.).

En, v. g. quomodo exhibetur doctrina in schemate parato ab Archiepiscopo Bononiensi:

Canon II: « Si quis dixerit, societatem a Christo fundatam, et baptismate regeneratam non esse ei ut capiti fide, et caritate intime coniunctam, adeoque in tali intima caritatis coniunctione, quae per Spiritum Sanctum diffusa est in cordibus nostris, principaliter non consistere naturam et essentiam societatis Christi; a. s. ».

Canon III: « Si quis dixerit, Ecclesiam non esse corpus Christi mysticum, cuius ipse est caput invisibile, visibile autem Romanus pontifex eius vicarius; a. s. ».

Ex praedictis mihi videtur concludi posse generatim Patres Vaticani I favorabiles fuisse definitioni huius doctrinae, proindeque eam definitam fore nisi Concilium interruptum fuisset.

II

CAPITA PRAECIPUA DESUMPTA EX LITTERIS ENCYCLICIS « MYSTICI CORPORIS »

Generalia

I. *Momentum doctrinae*

« *insignis* huius doctrinae *granditas*... » (1)

« ex qua magnum in sua luce ponitur beneficium, satis numquam elatum laudibus, arctissimae coniunctionis nostrae cum tam excelso Capite... » (1)

« ... hac de excelsa doctrina... » (8)

« Iamvero ad definiendam describendamque hanc veracem Christi Ecclesiam — quae sancta, catholica, apostolica, Romana Ecclesia est —

nihil *nobilius,* nihil *praestantius,* nihil *denique divinius* invenitur sententia illa, qua eadem nuncupatur « mysticum Iesu Christi Corpus »; quae quidem sententia ex iis effluit ac veluti efflorescit, quae in Sacris Litteris et in sanctorum Patrum scriptis crebro proponuntur » (13).

II. *Motiva*

Inter alia:

1) vindicare Ecclesiae pulchritudinem, laudes, gloriam (3);

2) allicere ad Ecclesiam eos qui extra eam versantur;

3) sollicitudo pastoralis:

a) est doctrina quae hodie multum excolitur atque pietatem alit;

b) necessitas profligandi sive graves errores, ab his qui extra Ecclesiam sunt, disseminatos, sive minus accuratas vel omnino falsas sententias inter christifideles serpentes (8).

Errores commemorati:

— « commenticius rationalismus »;

— « naturalismus vulgaris », qui nihil aliud cernere vult in Ecclesia nisi vincula iuridica et socialia;

— « falsus mysticismus », qui conatur removere immobiles limites inter Creatorem et res creatas (9).

« Quibus omnibus coram Deo mature perpensis: ut summa Ecclesiae pulchritudo nova gloria affulgeat; ut fidelium qui in Christi Corpore suo coniunguntur, nobilitas eximia supraque naturam elata luculentius innotescat; ut denique multiplicibus erroribus in hanc rem penitus claudatur aditus, Nos pastoralis Nostri officii partes duximus universo christiano gregi per Encyclicas has Litteras doctrinam proponere de mystico Iesu Christi Corpore deque fidelium in eodem Corpore cum divino Redemptore coniunctione; simulque ex suavissima eadem doctrina documenta quaedam proferre, quibus altior mysterii huius investigatio uberiores usque edat perfectionis sanctitatisque fructus » (11).

III. *Indoles Encyclicae*

Est imprimis dogmatica, ut apparet praesertim ex textu nuper allato. Item ex his verbis « ... ut universalis Ecclesiae Magister, mentes veritatis lumine collustravimus... » (90).

Capita determinata

Finis generalis institutionis Ecclesiae uti mystici Corporis

Filius Dei assumpsit naturam humanam « ut ex novo Ada Spiritus Sancti gratia in omnes protoparentis filios deflueret; qui quidem cum fuissent per peccatum primi hominis divinae subolis adoptione privati, per Incarnatum Verbum, fratres secundum carnem effecti Filii Dei Unigeniti, potestatem acciperent, qua filii Dei fierent » (12).

Copiam gratiarum nobis promeritam Christus « directo per se ipse universo humano generi dilargiri potuerat; voluit tamen per adspectabilem, in quam homines coalescerent Ecclesiam, ut per eam omnes in divinis impertiendis Redemptionis fructibus sociam quodammodo sibi operam praestarent. Sicut enim Dei Verbum, ut doloribus cruciatibusque suis homines redimeret, nostra voluit natura uti, eodem fere modo per saeculorum decursum utitur Ecclesia sua, ut inceptum opus perennet » (12).

Ecclesia « Corpus »

1. *a*) Ecclesia est *corpus;* ergo *b*) *unum quiddam; c*) et *indivisibile; d*) *concretum* et *perspicibile.*

Inde damnatur conceptio « penumatica », qua « multae Christianorum communitates, licet fide ab se invicem seiunctae, inter se tamen haud adspectabili nexu coniungantur » (14).

Ecclesia ut « corpus » habet plura membra, organice et hierarchice coniuncta: « Ecclesia ea maxime de causa Corpus dicenda est, quod recta consentaneaque coalescit partium temperatione coagmentationeque, ac diversis est sibique invicem congruentibus membris instructa » (16).

2. Structura *organica* Corporis Ecclesiae:

a) non absolvitur solis hierarchiae gradibus;

b) neque unice « charismaticis » constat;

c) « Omnino utique retinendum est, qui sacra potestate in eiusmodi Corpore fruantur, primaria eos ac principalia membra exsistere, cum per eosdem, ex ipso Divini Redemptoris mandato, munera Christi doctoris, regis, sacerdotis perennis fiant » (17);

d) sive religiosi, sive qui, in saeculo exsistentes, operibus misericordiae sese dant, sive patres matresque familias, sive laici, ecclesiasticae hierarchiae adiutricem operam navantes, honorificum in societate christiana obtinent locum.

3. Ecclesiae Corpus sacramentis ut vitalibus sanctificationis mediis,

sive singulorum membrorum sive socialibus totius Corporis necessitatibus, divini Servatoris voluntate et bonitate uberrime ditatum est (cf. 18).

4. Ecclesiae Corpus constat determinatis membris:

« In Ecclesiae autem membris reapse ii soli annumerandi sunt, qui regenerationis lavacrum receperunt veramque fidem profitentur, neque a Corporis compage semetipsos misere separarunt vel ob gravissima admissa a legitima auctoritate seiuncti sunt » (21).

« Sicut igitur in vero christifidelium coetu unum tantummodo habetur Corpus, una fides... Quamobrem qui fide vel regimine invicem dividuntur, in uno eiusmodi Corpore, atque uno eius divino Spiritu vivere nequeunt » (21).

Ecclesiae Corpus non constat *a*) solis sanctis; *b*) neque solis praedestinatis; *c*) sed etiam peccatoribus, exceptis qui schisma, haeresim vel apostasiam in seipsos admittunt.

CANONES DE ECCLESIA UTI « CORPORE » (MYSTICO CHRISTI)

1. Si quis affirmaverit mysticum Christi Corpus (quod est sancta, apostolica, catholica atque Romana Ecclesia) non esse unum atque indivisum; a. s.

2. Si quis dixerit varios christianorum coetus, etsi fide et regimine inter se dissidentes, mystici Corporis Christi membris adnumerandos esse; a. s.

3. Si quis dixerit mysticum Christi Corpus regimine, fidei professione atque sacramentorum susceptione non esse visibile, affirmaveritque ipsum esse quid « pneumaticum », nullo adspectabili nexu coniunctum; a. s.

4. Si quis dixerit in mystico Corpore Christi, mira atque organica varietate distincto, omnia membra paris esse gradus eademque munera et officia habere, et non potius eos qui sacra potestate in eiusmodi Corpore fruantur, primaria ac principalia membra existere; a. s.

5. Si quis affirmaverit mysticum Christi Corpus non habere, et quidem ex directa voluntate et institutione sui Fundatoris, sacramenta ceteraque media omnia ad singulorum membrorum et ad socialem eiusdem Corporis perfectionem necessaria; a. s.

6. Si quis affirmaverit in Ecclesiae membris reapse non eos solos adnumerandos esse qui lavacrum regenerationis receperunt atque veram fidem profitentur eidemque regimini subduntur; a. s.

7. Si quis affirmaverit Ecclesiae Corpus, etiam hoc peregrinationis tempore, solis iustis aut praedestinatis constare; aut negaverit pecca-

tores, exceptis qui peccatum schismatis, haereseos, vel apostasiae admiserint, ad idem Corpus pertinere; a. s.

ECCLESIA CORPUS « CHRISTI »

Multiplex ratio:

I. *Quia Christus est « Conditor » Ecclesiae*

1. Christus opus suum in Crucis patibulo consummavit:

a) morte Redemptoris: « Lex Christi cum suis mysteriis, legibus, institutis, ac sacris ritibus pro universo terrarum orbe sancita est Iesu Christi sanguine » (28);

b) acquisivit gratias quas in caelo sine intermissione largitur;

c) acquisivit Ecclesiam, hoc est omnia mystici sui Corporis membra conferendo baptismati vim coagmentandi homines Corpori mystico (29).

2. Sicut Christus morte sua plena significatione factus est Caput Ecclesiae, ita Ecclesia omnia munera ad suam missionem necessaria usque ad finem saeculorum morte Christi accepit. « ... praetiosae suae mortis hora Ecclesiam suam uberioribus Paracliti muneribus ditatam voluit, ut in divinis Redemptionis fructibus impertiendis validum evaderet Incarnati Verbi instrumentum, nunquam utique defuturum. Iuridica enim, quam vocant, Ecclesiae missio, ac docendi, gubernandi sacramentaque administrandi potestas, idcirco ad aedificandum Christi Corpus supernam vim habent atque vigorem, quod Christus Iesus e Cruce pendens Ecclesiae suae divinorum munerum fontem aperuit, quibus et fallentem numquam doctrinam homines docere posset, et eos per divinitus illuminatos Pastores salutariter regere, ac caelestium gratiarum imbre perfundere » (30).

II. *Quia Christus est Ecclesiae « Caput »*.

1. Sive ratione *excellentiae;*

2. sive ratione *conformitatis:*

— qua Christus assumpsit corpus patibile ut nos consortes faceret divinae naturae per gratiam et gloriam, assimilans sibi tum singula membra tum totius Ecclesiae Corpus (45-46);

3. sive ratione *plenitudinis:*

— ex cuius plenitudine munerum, gratiae et veritatis indesinenter totum mysticum Corpus haurit (47);

4. sive ratione *influxus:*

— « Ex eo profluit in Ecclesia Corpus omnis lux, qua credentes

divinitus illustrantur, omnisque gratia, qua sancti fiunt sicut ipse sanctus est » (48).

— Sicut illuminatio ab ipso in fideles, Pastores, Doctores, in suum Vicarium, in Concilia (48); ita « Nullus... salutaris actus haberi potest, qui ex eo, tamquam e superno fonte, non profluat ». Ipse enim singulis membris gratias singulas « elegit, determinat, distribuit » (50);

5. sive ratione *gubernationis:*

a) vel modo arcano et extraordinario (38);

b) vel modo visibili et ordinario, per Romanum Pontificem et per Episcopos.

« Non est tamen reputandum eius regimen modo non conspicuo vel extraordinario tantum absolvi; cum contra, adspectabili quoque ordinariaque ratione, Divinus Redemptor per suum in terris Vicarium Corpus suum mysticum gubernet ».

« Neque ad rem eiusmodi infitiandam asseverari potest per statutum in Ecclesia iurisdictionis primatum, mysticum eiusmodi Corpus gemino instructum fuisse capite. Est enim Petrus, vi primatus, nonnisi Christi vicarius, atque adeo unum tantum primarium habetur huius Corporis Caput, nempe Christus: qui quidem arcana ratione Ecclesiam per sese gubernare non desinens, adspectabili tamen modo per eum, qui suam in terris personam gerit, eandem regit Ecclesiam... » (39).

Gubernat visibiliter etiam per Episcopos, qui « ad propriam cuiusque Dioecesim quod spectat, utpote veri Pastores assignatos sibi greges singuli singulos Christi nomine pascunt ac regunt; id tamen dum faciunt, non plane sui iuris sunt, sed sub debita Romani Pontificis auctoritate positi, quamvis ordinaria iurisdictionis potestate fruantur, immediate sibi ab eodem Pontifice Summo impertita » (41).

III. *Quia Christus est Ecclesiae « Sustentator »*.

Christus enim « ita Ecclesiam sustinet, et ita in Ecclesia quodammodo vivit, ut ipsa quasi altera Christi persona exsistat » (52).

1. *Natura huius appellationis*:

« Nobilissima tamen eiusmodi appellatio non ita accipienda est, ac si ineffabile illud vinculum, quo Dei Filius concretam assumpsit humanam naturam, ad universam pertineat Ecclesiam; sed in eo posita est, quod Servator Noster bona maxime sibi propria ita cum Ecclesia sua communicat, ut haec secundum totam suae vitae rationem, tam adspectabilem quam arcanam, Christi imaginem quam perfectissime exprimat. Nam per iuridicam, ut aiunt, missionem qua Divinus Redemptor Apostolos in mundum misit, sicut ipse missus erat a Patre, ipse est, qui per Ecclesiam baptizat, docet, regit, solvit, ligat, offert, sacrificat » (53).

2. *Principium huius vitae*:

« Quodsi divinum hoc, a Christo datum, vitae virtutisque principium attente consideramus, prout ipsum fontem constituit cuiusvis doni gratiaeque creatae, facile intellegimus illud nihil aliud esse nisi Paraclitum Spiritum, qui a Patre Filioque procedit, quique peculiari modo " Spiritus Christi " seu " Spiritus Filii " dicitur » (54).

Descripta multiformi actione Spiritus Sancti in Christo et in Ecclesia, addit:

« Huic autem Christi Spiritui tamquam non adspectabili principio id quoque attribuendum est, ut omnes Corporis partes tam inter sese, quam cum excelso Capite suo coniungantur, totus in Capite cum sit, totus in Corpore, totus in singulis membris... » (55).

Ideoque Spiritus Sanctus vocatur « anima » Ecclesiae (ib.).

IV. *Quia Christus est Ecclesiae « Salvator »* (57)

CANONES DE ECCLESIA CORPORE MYSTICO « CHRISTI »

1. Si quis dixerit constitutionem Ecclesiae non esse a Christo directe institutam, sed eam naturali evolutione historica vel hominum voluntate creatam, aut eandem esse decursu temporum mutatam aut mutabilem, non vero indefectibilem; a. s.

2. Si quis dixerit non omnes actus salutares, tam singulorum membrorum quam totius Ecclesiae, esse ex actione et communicatione Christi Capitis Corporis mystici, atque per virtutem eius sanctissimae Passionis et Mortis; a. s.

3. Si quis dixerit Christum non gubernare, visibili et ordinaria ratione, Corpus suum mysticum per suum in terris Vicarium Romanum Pontificem; aut vicaria hac primatus potestate detrahi Christo, unico primario Capiti eiusdem Corporis; a. s.

4. Si quis dixerit legitimos Episcopos ut veros Pastores non regere, nomine Christi, singulos singulas sibi commissas Dioeceses; aut eos legitime hoc facere nisi sub debita Romani Pontificis auctoritate positos, ab eoque sibi immediate impertita, ordinaria quidem, iurisdictionis potestate; **a. s.**

5. Si quis dixerit ea ratione vocari Christum « Sustentatorem » Ecclesiae, quasi illud vinculum quo Dei Filius concretam assumpsit naturam humanam, ad universam pertineat Ecclesiam; a. s.

6. Si quis dixerit per iuridicam missionem qua misit Apostolos in mundum non ipsum Christum per Ecclesiam sanctificare, regere, offerre; a. s.

Ecclesia Corpus Christi « Mysticum »

Ex hoc Ecclesia distinguitur:

a) a corpore physico Christi;

b) a quocumque corpore physico, in quo partes non habent propriam subsistentiam et personalitatem, secus ac accidit in Corpore Mystico (59);

c) a corpore unice iuridico et morali.

« Recta igitur vocis huius significatio in mentem revocat, Ecclesiam, quae perfecta genere suo societas haberi debet, non ex socialibus solummodo ac iuridicis elementis rationibusque constare » (61).

« Quamvis enim iuridicae rationes, quibus Ecclesia etiam innititur atque componitur, ex divina oriantur a Christo data constitutione, ad supernumque finem assequendum conferant, id tamen, quo christiana societas ad gradum evehitur, qui omnem naturae ordinem prorsus evincit, Redemptoris nostri Spiritus est, qui ceu fons gratiarum, donorum ac charismatum omnium, perpetuo et intime Ecclesiam replet et in ea operatur » (61).

Perperam tamen fingitur repugnantia aut oppositio inter Ecclesiam iuridicam et Ecclesiam « caritatis »; quia eadem de causa Christus Ecclesiam voluit societatem iuridice perfectam et caelestibus muneribus ditatam, scilicet ut opus Redemptionis perenne redderet (cf. 63).

Canon

Si quis dixerit Ecclesiam nihil aliud esse nisi corpus morale aut iuridicum; aut duas finxerit Ecclesias, aliam iuris, aliam « caritatis »; a. s.

De fidelium cum Christo in Ecclesiae Corpore coniunctione.

Haec coniunctio fit:

I. *Vinculis iuridicis et socialibus*

1. Ratione altioris finis et altioris principii conspirationis membrorum, haec coniunctio longe superat cuiusvis alius, etsi supremae, humanae societatis nexus (cf. 68, 70).

2. Praedicta coniunctio socialis et iuridica extrinsecus sese manifestet opus est, eiusdem fidei professione, eorumdem sacrorum communione, eiusdem sacrificii participatione, earundem legum observantia, eiusdem visibilis Christi in terris Vicarii gubernatione (cf. 69).

II. *Fide, spe et caritate*

His tribus virtutibus, et potissimum caritate Dei et proximi, arctissime membra Ecclesiae uniuntur ad invicem et cum Christo et Deo (cf. 70-74.).

Aeterna cognitione et amore, amantissima etiam cognitione per visionem beatificam iam a primo conceptionis momento, Unigenitus Dei Filius omnia sui mystici Corporis membra « continenter perpetuoque sibi praesentia habet, suoque complectitur salutifero amore » (76).

II. *Communicatione Spiritus Sancti*

« Est enim Christus in nobis... per Spiritum suum, quem nobiscum communicat, et per quem ita in nobis operatur, ut quaecumque divina a Spiritu Sancto in animis peraguntur, etiam a Christo ibi peracta dicantur oporteat » (77).

« Ex eadem autem Spiritus Christi communicatione efficitur, ut, cum omnia dona, virtutes et charismata, quae in Capite excellenter, uberrime efficienterque insunt, in omnia Ecclesiae membra deriventur, et in iis secundum locum quem in mystico Iesu Christi Corpore occupant, in dies perficiantur, Ecclesia veluti plenitudo constituatur et complementum Redemptoris; Christus vero quoad omnia in Ecclesia quodammodo adimpleatur » (78).

Inde effatum: Christus Caput et Corpus: Christus totus (cf. ib.).

IV. *Inhabitatio Spiritus Sancti*

Praecipua capita contenta in Encyclica:

1. *Quaelibet forma pantheismi vitanda.*

« Verumtamen id omnibus commune atque inconcussum esto, si a germana velint doctrina, a rectoque Ecclesiae magisterio non aberrare: omnem nempe reiciendum esse mysticae huius coagmentationis modum, quo christifideles, quavis ratione ita creaturarum rerum ordinem praetergrediantur, atque in divina perperam invadant, ut vel una sempiterni Numinis attributio de iisdem tamquam propria praedicari queat » (79).

2. *Qua ratione communis toti Trinitati.*

« Ac praeterea certissimum illud firma mente retineant, hisce in rebus omnia esse habenda Sanctissimae Trinitati communia, quatenus eadem Deum ut supremam efficientem causam respiciant » (79).

3. *Descriptio inhabitationis.*

« Inhabitare quidem Divinae Personae dicuntur, quatenus in creatis animantibus intellectu praeditis imperscrutabili modo praesentes, ab iisdem per cognitionem et amorem attingantur, quadam tamen ratione omnem naturam transcendente, ac penitus intima et singulari ».

Haec mira coniunctio conditione tantum seu statu ab ea discrepat, qua caelites Deus beando complectitur (cf. ib.). « Qua quidem visione, modo prorsus ineffabili fas erit Patrem, Filium Divinumque Spiritum mentis oculis superno lumine auctis contemplari, divinarum Personarum

processionibus aeternum per aevum proxime adsistere, ac simillimo illi gaudio beari, quo beata est sanctissima et indivisa Trinitas » (80).

CANONES DE FIDELIUM CUM CHRISTO IN ECCLESIAE CORPORE CONIUNCTIONE

1. Si quis dixerit membra corporis mystici solis vinculis socialibus et iuridicis inter se et cum Christo in eodem Corpore uniri, seclusa coniunctione, profundiori ac nobiliori, fidei, spei et caritatis ex operatione Spiritus Sancti; a. s.

2. Si quis affirmaverit hominem iustificatum, propter coniunctionem, penitus arcanam et singularem, inhabitationis Sanctissimae Trinitatis, praetergredi ordinem entis creati et finiti; aut eandem inhabitationem, quatenus Deum ut supremam causam efficientem respiciat, non esse indivisae Trinitati communiter tribuendam; a. s.

3. Si quis dixerit unione membrorum Corporis mystici cum suo Capite Christo Salvatorem nostrum habitare in iustificatis secundum suam naturam clarificatam; aut gratiam numerice eandem esse in Christo et in membris Corporis mystici; a. s.

SCHEMA PRAEPARATUM A THEOLOGIS « DE ECCLESIA CHRISTI »

(Apud Eugenio Cecconi, *Storia del Concilio Ecumenico Vaticano,* Roma, 1872-1878, I, [187]).

Pars I. De Ecclesia in se spectata

A. *De natura Ecclesiae.*

1. Ea est corpus Christi mysticum.

2. In ea extat concreta religio christiana unice vera, quae ab Ecclesia seiuncta consistere nequit.

B. *De proprietatibus Ecclesiae, ut est societas.*

1. Ecclesia est societas vera, perfecta, spiritualis et supernaturalis.

2. Est societas visibilis.

3. Ecclesia visibilis est una, in se penitus cohaerens.

4. Ecclesia est societas necessaria ad aeternam hominum salutem, necessitate tum praecepti tum medii.

5. Extra Ecclesiam nemo salvatur: hinc sicut rationi ita fidei christianae repugnat doctrina de religionum indifferentia.

D. *De dotibus Ecclesiae, ut ea perennis est.*

1. De Ecclesiae indefectibilitate.

2. De Ecclesiae infallibilitate.

C. *De Ecclesiae potestate.*

Est in Ecclesia vera potestas non solum ordinis sed etiam iurisdictionis; legifera, iudiciaria, coercitiva, eaque independens.

Pars II. DE VISIBILI ECCLESIAE CAPITE

A. *De primatu Romani Pontificis.*

1. De institutione primatus in beato Petro.

2. De primatus perpetuitate in beati Petri successoribus, Romanis Pontificibus.

3. De huius primatus divinitus instituti natura.

B. *De temporali Sanctae Sedis dominio.*

Pars III. DE ECCLESIA SPECTATA IN SUIS AD SOCIETATEM CIVILEM RELATIONIBUS.

1. De utriusque societatis concordia.

2. De civilis potestatis iuribus et officiis secundum doctrinam Ecclesiae catholicae.

3. De specialibus Ecclesiae iuribus:

— circa christianam institutionem et educationem iuventutis;

— circa publicam professionem consiliorum evangelicorum;

— circa ecclesiastica bona temporalia.

DE LAICATU EIUSQUE APOSTOLATU

Propositum habet duplicem aspectum, theoreticum unum, sc. « de clarificando conceptu laicatus catholici eiusque apostolatus »; practicum alterum « de organizanda et efficaciore reddenda cooperatione laicorum in opere missionario ».

I - NOTIO LAICATUS EIUSQUE APOSTOLATUS

A) NOTIO LAICATUS

Terminus « laicus » in primitiva Ecclesia usurpatus ad christifideles denominandos significatum habebat *sanctitatis* et *electionis* ut clare apparet ex S. Scriptura (cf. *Act.* XV, 14; *I Petr.* II, 9, 10). Decursu vero temporis, ex necessitate distinguendi fideles communes a clero, terminus « laicus » sensim sine sensu perdidit suum contentum positivum et assumpsit sensum mere negativum, sc. « non-clerus ». Et mundus modernus ita abutitur hoc termino ut intelligat per eum non solum « non-clericum » sed et « areligiosum » vel etiam « anti-religiosum ».

Pars theologiae catholicae, Ecclesiologia dicta, ortum habuit ex necessitate confutandi doctrinam Reformatorum qui dignitatem et potestatem hierarchiae negabant; unde naturale fuit quod in tractatu illo laicatus parum attentionis obtinuerit. Imo in ipso Codice Iuris Canonici ubi clare definitur clericus et religiosus, laicus non satis plene vel positive definitur.

Tempora vero moderna, cum sua emphasi in democratia et valore individui, exigunt meliorem determinationem laici eiusque positionis et functionis in Ecclesia, tum ad animandos christifideles ad magis activam et frugiferam vitam christianam ducendam, tum ad impediendas calumnias inimìcorum Ecclesiae qui eam de nimio clericalismo accusant.

VOTUM

Optatur ut conceptus « laici » plene enuncietur ita ut appareat non solum eius aspectus negativus, sc. distinctio a clero, sed etiam aspectus positivus tum constitutivus tum functionalis. Quo sensu laicus est: « *Homo viator, baptizatus et Ecclesiae Catholicae aggregatus, qui ex una parte non est ordinatus vel saltem per tonsuram segregatus ad ministerium sacrum nec obligatus votis publicis ad omnimodam renunciationem mundi, et ex altera parte tenetur suam consequi salutem aeternam vitam christianam in medio mundi ducendo et sic mundum materialem et ordinem temporalem Christo lucrifaciendo* ».

(*Nota.* - In definitione insistitur in activitatem apostolicam laici, quia laicorum est non mere salvare animam suam, ut plerumque creditur, sed active laborare pro dilatatione Regni Dei, quae veritas hac praesenti aetate in clariori luce poni oportet).

B) Ambitus Activitatis Laicorum

Ad activitatem laicorum quod attinet, hoc imprimis notandum quod activitas hierarchiae non exhaurit totam activitatem Ecclesiae. Est in Ecclesia duplex activitas: actio Christi Capitis, quam actionem hierarchia exercet in persona Christi; et actio membrorum Christi quam christifideles, sub directione hierarchiae et adiuvante gratia Christi, exercent nomine proprio.

Obiectum directum et primarium Redemptionis sunt animae humanae, in quarum salutem Christus instituit suam Ecclesiam et dedit ei omnem potestatem necessariam. Potestas ergo Ecclesiae se extendit ad omnem rem spiritualem et etiam temporalem et materialem in quantum media sunt ad finem spiritualem vel in eis implicantur principia religiosa et moralia. Tota haec potestas est reposita in hierarchia quae agit

in persona ipsius Christi. Sed adest etiam secundarium quoddam obiectum Redemptionis de quo loquitur Apostolus (*Rom.* VIII, 19-23), sc. mundus materialis et ordo temporalis Deo reconciliandi. Christus Homo habuit omnem potestatem non solum spiritualem sed etiam temporalem; sed dum in terris degeret noluit hac secunda uti, neque eam suae Ecclesiae concessit. Commisit tamen Ecclesiae hunc finem secundarium attingendum, sc. reconciliationem mundi materialis et ordinis temporalis Deo. Ecclesia ergo hunc finem attingit non directe et auctoritative per suam hierarchiam, sed indirecte per suos fideles via pacificae penetrationis. Ergo haec pars apostolatus Ecclesiae potest efficaciter exerceri ab iis solum fidelibus qui plene in medio mundi vivunt et non sunt ab eo ullo modo segregati, i. e. a laicis.

VOTUM

Optatur ut ambitus apostolatus laicorum clare definiatur tenore sequenti:

a) *Christifideles omnes habent ius et officium non solum laborandi pro sua uniuscuiusque salute, sed etiam pro salute aliorum et dilatatione Regni Christi. Cuius iuris fundamentum est Baptismus quo membra Christi fiunt, eiusque efficacia et dignitas derivantur principaliter ex S. Confirmatione quod est sacramentum apostolatus per excellentiam* (cf. S. Th., III, q. 72, a. 1, 2, 5) *et ex illo sacerdotio spirituali de quo S. Petrus* (II, V, 9; cf. S. Th., III, q. 63, a. 3).

b) *Christifideles laici non habent ius agendi auctoritative et publice in Ecclesia, sed agunt nomine proprio et tamquam privata membra Ecclesiae; possunt tamen agere publice et nomine Ecclesiae si accedat mandatum vel delegatio hierarchiae.*

c) *Ambitus activitatis eorum in campo spirituali est coextensivus cum ambitu apostolatus hierarchiae, iis exceptis quae exigunt potestatem sive ordinis sive iurisdictionis* (cf. S. Pius X, *Il fermo proposito, A.A.S.* 37 [1904/5] 744; Pius XII, *Allocutio ad Delegatos A. C. I., A.A.S.* 43 [1951] 375).

d) *In campo vero materiali et ordine temporali, activitas apostolica laicorum ad omnia se extendit quae activitas humana legitime attingere valet, etiam quo activitas hierarchica non potest pervenire. Hic proinde invenitur aliquis campus apostolatus exclusive laicorum* (cf. declarationem Episcopatus Galliae, *Documentation Catholique,* 43 [1946] 742).

II - DE ORGANIZANDA COOPERATIONE LAICORUM

Laici cooperatores quantum ad diffusionem fidei in primitiva Ecclesia fecerint elucet praesertim ex Actibus Apostolorum et Epistolis S. Pauli (cf. etiam Pius XII, *Evangelii Praecones, A.A.S.,* 43 [1953] 511). Tempora moderna hanc necessitatem cooperationis laicorum adhuc urgentiorem reddunt, tum propter penuriam vocationum sacerdotalium, tum propter illam dolendam alienationem mundi moderni ab Ecclesia qua plerumque impeditur omnis accessus ministrorum Christi ad eum (cf. Pius XI, *ad Card. Seguram, A.A.S.* 21 [1929] 668; Pius XII, *Summi Pontificatus, A.A.S.* 31 [1939] 443). In missionibus insuper, etiamsi adessent sacerdotes missionarii in numero sufficienti non esset satis efficax ministerium eorum sine cooperatione laicorum. Unde, ut ait Pius XII in sua ultima allocutione ad Congressum Internationalem Apostolatus Laicorum, in missionibus unus sacerdos sex catechistis adiutus plus valere censetur quam septem sacerdotes missionarii (*A.A.S.* 49 [1957] 937). Iam anno 1950, fere idem scribebat Exc.mus D.nus José da Costas Nunes, tunc Patriarcha Indiarum Orientalium (*India,* April-May, 1950; cf. *Indian Missionary Bulletin,* vol. 1, n. 2, p. 86).

Hi laici cooperatores sunt duplicis categoriae: 1) missionarii qui veniunt ex Europa et aliis nationibus catholicis et ceteri cooperatores ut magistri, medici, machinistae etc. qui ad missiones adiuvandas accedunt. 2) Catechistae qui debent assumi ex ipsis indigenis et formari in ipsa missione. Utrique huic categoriae necesse est providere *a*) formationem religiosam et scientificam, *b*) missionem canonicam et *c*) media sustentationis.

Pro formatione eorum, sive in Europa sive in missionibus, necesse est habere scholas specialiter ad hoc fundatas. Scribebat idem ex-Patriarcha Nunes: « *In terris missionum tam necessariae sunt scholae catechistarum quam Seminaria.* ... Habes Dioecesim cum Seminario clericis pleno, sed absque schola catechistarum? Dico quod praeferrem Seminarium cum minori numero clericorum si ei adiungatur schola catechistarum cum magno numero alumnorum » (*l. c.*). De scholis catechistarum multum se occuparunt Concilia et synodi in Asia et Africa habita. Experimentum scholae catechistarum in variis missionibus iam est incoeptum et bonos fructus producit (cf. *Indian Missionary Bulletin,* March, 1953). Instituta ad formationem laicorum cooperatorum qui ex terris catholicis ad missiones proficiscuntur rariores sunt et recentioris originis. Praeclarum exemplum est illud sub directione Mgr. Brouwers in Archidioecesi Los Angeles in Statibus Unitis (vide *Catholic Digest,* May

1959, p. 12 sq.). Restat ut Sancta Sedes hos conatus individuos et sporadicos coordinet et compleat institutum hoc in sua legislatione generali includendo.

VOTUM

Hunc in finem desideratur ut:

1. *Scholae ad formationem laicorum missionariorum et catechistarum locum proprium obtineant in legislatione ecclesiastica sicut et seminaria clericorum.*

2. *Huiusmodi scholae instituantur tum in terris catholicis unde missionarii cooperatores exeunt, tum in terris missionum ubi catechistae sunt educandi.*

3. *Candidati in his scholis educati et approbati insigniantur missione canonica non solum ad doctrinam catholicam publice tradendam, sed ad assistendum missionario et eum supplendum in omnibus muneribus curae animarum connexis quae potestatem ordinis vel iurisdictionis non exigunt.*

(*Nota.* - De facto in missionibus, quas sacerdos raro visitare valet, catechista curam animarum quodammodo gerit, catechizando, baptizando, assistendo matrimoniis, assistendo moribundis, funeralia ducendo, etc.).

4. *Instituatur aliquod Pium Opus ad stipes colligendas unde provideatur educationi et sustentationi praedictorum missionariorum et catechistarum.*

SOTERIOLOGIA

DE CONCEPTU SATISFACTIONIS VICARIAE

I - EXPOSITIO QUAESTIONIS

Resumantur ea quae habet Concilium Vaticanum I de soteriologia. Vide *Schema secundae Constitutionis dogmaticae de fide catholica,* caput IV, *De mysterio Verbi Incarnati,* MANSI, 53 (17), col. 233-234; 237, IV, can. 5 et 6; 294, can. 5; 304, n. 6. Haec omnia compleantur ad ipsum satisfactionis vicariae conceptum quod attinet, ita ut clare appareat doctrinam catholicam mediam et auream prosequi viam duos inter errores oppositos qui statim indicantur.

A) ERRORES OPPOSITI SUB RESPECTU IUSTITIAE ET MISERICORDIAE EXPONUNTUR ET CRISI SUBIICIUNTUR.

1. *Primus error: iustitia veri nominis detorquetur non sine detrimento sapientiae necnon misericordiae: Christus Redemptor obiectum et victima fuit iustitiae vindicativae Patris erga nos peccatores.*

Nota. - Nisi aliud notetur, indicationes bibliographicae textuum hic et infra citandorum invenies apud PHILIPPE DE LA TRINITÉ, *La rédemption par le sang,* A. Fayard, Paris, 1959, pp. 121.

a) *Christus fuit obiectum iustitiae vindicativae Patris.*

« Ipse quidem innocens est, quia est immaculatus et incontaminatus Dei Agnus, sed quia portat peccata mundi, premitur eius innocentia peccatis et reatu totius mundi. Quaecumque peccata Ego, Tu, et nos omnes fecimus et in futurum faciemus, tam propria sunt Christi, quam si ea ipse fecisset. In summa, oportet peccatum nostrum fieri Christi proprium peccatum, aut in aeternum peribimus. Hanc veram cognitionem Christi quam tradiderunt Paulus et Prophetae, obscurarunt impii Sophistae » (LUTHERUS, *In Epistulam Sancti Pauli ad Galatas Commentarium,* vol. XL inter Opera Luthei editionis Weimar, p. 435).

« (...) Nam Christus, quod ad suam personam attinet, est innocens. Ergo non debebat suspendi in ligno. Quia omnis latro secundum legem suspendi debuit. Ergo Christus ipse etiam secundum legem Moysis suspendi debuit, Quia gessit personam peccatoris et latronis, non unius, sed omnium peccatorum et latronum » (*ibidem,* p. 433. Vide GRECH, *Theoriae ad explicandam redemptionem apud protestantes recentiores in Anglia cum doctrina catholica comparatae,* in *Doctor Communis,* Romae, 1955 [II-III], p. 86).

* * *

« Vous avez voulu être caution, vous avez pris sur vous nos iniquités; vous en porterez tout le poids; vous payerez tout du long la dette sans remise, sans miséricorde ». « Son Père l'a livré par un sentiment de justice ». « (Jésus) s'étant chargé volontairement des iniquités du monde, la justice de son Père a voulu les venger sur sa personne » (BOUSSET, *op. cit.,* pp. 16-17).

Telle est la « vengeance (de Dieu) contre son propre Fils qu'il voit chargé de nos crimes » (MASSILLON, *op. cit.,* p. 17).

« C'est la justice qu'il fallait contenter d'abord. Tant qu'elle réclamait son dû, la miséricorde était liée et comme impuissante » (d'HULST, *op. cit.,* p. 18).

Il y a « vengeance divine », « droit divin de haute iustice » contre le Christ. Dieu « est décidé à exiger jusqu'au bout sa vengeance » (PARRA, *op. cit.,* p. 18).

b) *Pater irascitur Filio suo.*

« Haec nostra absolutio est quod in caput filii Dei translatus est reatus qui nos tenebat poenae obnoxios. Nam haec compensatio in primis tenenda est, ne trepidemus atque ansii simus tota vita, ac si nobis instaret iusta Dei ultio, quam in se transtulit Dei Filius » (CALVINUS, *Institutio christianae Religionis,* cap. XVI, Opera Calvini, Braunschweig, 1864, col. 372).

« Nihil actum erat si corporea tantum morte defunctus fuisset Christus: sed operae simul pretium erat ut divinae ultionis severitatem sentiret: quo et irae ipsius intercederet, et satisfaceret iusto iudicio. Unde etiam eum opportuit cum inferorum copiis aeternaeque mortis horrore, quasi consertis manibus, luctari... Ergo si ad inferos descendisse dicitur, nihil mirum est, quum eam mortem pertulerit, quae sceleratis ab irato Deo infligitur » (CALVINUS, *ibidem.* col. 376. Vide GRECH, *art. cit.,* p. 88).

* * *

La colère de Dieu contre son Fils « se passait en se déchargeant ». Dieu « frappait son Fils innocent luttant contre la colère de Dieu ». C'est « un Dieu qui se venge sur un Dieu ». Le Père « marche contre son Fils », « armé de son foudre, je veux dire de cette terrible malédiction qu'il lance sur les têtes criminelles » avec un « visage terrible et épouvantable, le visage de la justice irritée, dont Dieu étonne les réprouvés ». « Dieu persécute un Dieu » (BOUSSET, *op. cit.,* pp. 19-20).

Jésus « n'avait pas l'ombre d'un droit à l'ombre d'une miséricorde »,

« tout n'a été que juste, mais d'une justice sans mitigation et absolument rigoureuse » (GAY, *op. cit.*, p. 22).

Jésus a peur « de la justice, de la colère de Dieu; il en sent sur lui tout le poids et il en frémit dans tout son être » (LONGHAYE, *op. cit.*, pp. 22-23).

c) *Filius passus est poenas infernales.*

« In explicando articulo symboli Fidei " descendit ad inferos ", Calvinus examini subiicit duas explicationes suo tempore communiores, sc., vel Christus sepultus est, vel Ipse in " limbum » descendit ut Redemptionem Patriarcharum annuntiaret spiritibus. Primam explicationem ut tautologicam reiicit, secundam ut fabulosam. Sua ipsius interpretatio est, quod quia impossibile erat Christum tantum morte corporali mortuum fuisse, secus tantum corpora nostra redempta essent, ut redimerentur et animae, necesse erat Illum expiasse etiam illam poenam quae propter peccatum super illas impendebat, sc., poenam mortis aeternae. " Descendit ad inferos ", ergo, significat pro Calvino Christum passum esse pro nobis horrores mortis aeternae » (GRECH, *art. cit.*, p. 88).

* * *

« Ce n'est point dans le iugement dernier que notre Dieu irrité et offensé se satisfera en Dieu; ce n'est point dans l'enfer qu'il se déclare authentiquement le Dieu des vengeances; c'est au Calvaire: *Deus ultionum Dominus.* C'est là que sa justice vindicative agit librement et sans contrainte, n'étant point resserrée, comme elle l'est ailleurs, par la petitesse du sujet à qui elle se fait sentir. *Deus ultionum libere egit.* Tout ce que les damnés souffriront n'est qu'une demi-vengeance pour lui; ces grincements de dents, ces gémissements et ces pleurs, ces feux qui ne doivent jamais s'éteindre: tout cela n'est rien ou presque rien en comparaison du sacrifice de Jésus-Christ mourant » (BOURDALOUE, *op. cit.*, p. 24).

Jésus souffrit « une espèce de peine du dam, c'est-à-dire de peine causée par la perte de Dieu; peine propre de l'âme et qui est sans comparaison la plus terrible de l'enfer » (GROU, *op. cit.*, p. 24).

« Le Fils de l'homme a supporté pour tous *la peine du dam* » (GRATRY, *op. cit.*, *p.* 25).

« On a dit que le Sauveur souffrit alors toutes les peines de l'enfer, sauf le désespoir » (LE CAMUS, *op. cit.*, p. 26).

2. *Praecedens error refellitur.*

Error de quo sermo factus est refellitur a S. Thoma Aquinate, hoc quidem modo (*op. cit.*, pp. 55-58).

Contra iustitiam crudeliter operaretur qui pro reo damnaret innocentem.

« Si (...) loquamur de poena pro peccato inflicta, in quantum habet rationem poenae, sic solum unusquisque pro peccato suo punitur, quia actus peccati aliquid personale est » (I-II, q. 87, a. 8).

« (...) Cum nocens patitur, dolet non solum de poena, sed etiam de culpa, innocens autem solum de poena. Qui tamen dolor in eo augetur ex innocentia, in quantum apprehendit nocumentum illatum, ut magis indebitum. Unde etiam et alii magis sunt reprehensibiles si ei non compatiuntur » (III, q. 46, a. 6, ad 5^{m}).

« (...) Ille qui occidit hominem (innocentem), iniuriam facit, non solum homini occiso, sed etiam Deo et reipublicae; sicut etiam et ille qui occidit seipsum » (III, q. 47, a. 6, ad 3^{m}).

Atqui Christus erat innocens, immo innocentia.

« Christus autem, simpliciter loquendo, peccatum non habuit » (III, q. 22, a. 4, ad 1^{m}).

« (...) Quanto virtus in aliquo fuerit magis perfecta, tanto magis in eo debilitatur vis fomitis. Cum igitur in Christo fuerit virtus secundum perfectissimum gradum, consequens est quod in eo fomes peccati non fuerit » (III, q. 15, a. 2, c). « (...) Fortitudo spiritus aliqualis ostenditur, ex hoc quod resistit concupiscentiae carnis sibi contrariantis; sed maior fortitudo spiritus ostenditur, si per eius virtutem totaliter caro comprimatur, ne contra spiritum concupiscere possit. Et ideo hoc competebat Christo, cuius spiritus summum fortitudinis gradum attigerat » (*ibidem,* ad 3^{m}).

Ergo Christus non potuit mori titulo iustitiae vindicativae Patris.

« Christus (...) mortem suscepit, spontanea voluntate, ut pro nobis satisfaceret, non quasi ex necessitate illius sententiae, quia ipse mortis debitor non erat » (III, q. 36, a. 6, ad 1^{m}).

« (...) Occisores Christi ab iniustitia non excusantur » (III, q. 47, a. 6, ad 3^{m}).

« (Christus) qui non habebat meritum mortis, cum esset absque peccato » (III, q. 49, a. 2).

« Christus autem in sua passione seipsum humiliavit infra suam dignitatem (...) quantum ad passionem et mortem, cuius debitor non erat » (III, q. 49, a. 6).

« (...) Christus cum non esset subiectus peccato, neque mortis erat obnoxius, neque incinerationi; voluntarie tamen mortem sustinuit propter nostram salutem (...) » (III, q. 51, a. 3, ad 1^{m}).

« Mors autem eius (...) non fuit ex peccato proveniens » (III, q. 51, a. 4, c.).

« (...) Decuit Christum in infernum descendere, non tanquam ipse esset debitor poenae, sed ut eos qui erant poenae obnoxii liberaret » (III, q. 52, a. 1, ad 1^m).

3. *Error oppositus*: *iustitia evacuatur*: *Christus Redemptor stricte loquendo pro nobis non satisfecit, ita ut redemptio in seipsa tanquam opus amoris miserentis, at nullo prorsus modo tanquam opus iustitiae habenda sit.*

« In oppositum extremum migrant theologi liberaliores uti Rashdall, Franks, Myall Edwards, C. I. Cadoux, Stevens et Tymms, qui actum redemptivum Christi reducunt ad simplicem mortem Martyris. Christus mortuus est ut revelaret Dei amorem pro hominibus et ut exemplo suo illos traheret ad conversionem et consequentem cum Patre reconciliationem. Haec est essentia theoriae sic dictae *Redemptionis subiectivae* » (GRECH, *art. cit.*, p. 93).

* * *

Ita etiam, analogice, apud recentiores quosdam catholicos:

« Singulière justice assurément que celle qui se paie sur l'innocent des méfaits du coupable! (...) Qu'il y a loin du Dieu qui est offensé par sa créature au point de ne pouvoir exercer que sur lui-même la vengeance requise par sa justice, au Dieu de bonté par lequel s'explique notre existence! Cette théorie procède d'analogies tirées des coutumes et du droit barbares. Ceux qui l'ont formulée sous l'influence des circonstances et du milieu, en ont corrigé, la plupart du temps, au moins, le simplisme et la dureté, en retrouvant dans le Christ la bonté essentielle qu'ils méconnaissaient en Dieu. Mais il serait désastreux de s'y tenir ou de vouloir y revenir » (SANSON, *op. cit.*, p. 30, note 8).

« Le Christ est le missionnaire, l'agent universel et pérpétuel de la bonté divine pour nous susciter à cette tâche (celle de devenir bons), nous diriger, nous soutenir dans cette tâche, nous aider à la réprendre quand nous y succombons ». « Non seulement le Christ nous donne une leçon de générosité: son rôle est bien autrement profond et essentiel », « il crée en nous l'obligation d'être généreux ». « (Le Christ) ne se substitue pas à nous pour fournir une rançon, pour réparer un dommage, pour payer une dette à qui que ce soit, ce ne serait toujours là qu'un salut extérieur. Il fait infiniment mieux, il nous oblige à la vie de charité qui est la vie divine elle-même » (SANSON, *op. cit.*, *ibidem*).

Modo mitiori legebatur apud P. de MONTCHEUIL:

« Nous pouvons comprendre le sense de la passion et de la mort du Christ. Le Christ, Verbe incarné, agit comme chef de l'humanité. Il fait le premier, Lui innocent, ce que doit faire l'homme coupable pour retourner à Dieu. Prémices de l'humanité renouvelée, Il nous trace la voie par laquelle il nous faudra passer après Lui. Bien plus, Il nous fait accomplir en Lui notre retour, et nous n'avons plus dans notre existence qu'à nous unir à Lui, ou plutôt à nous laisser unir à Lui, pour être entraînés avec Lui dans son passage et nous trouver avec Lui, purifiés, devant Dieu » (*Leçons sur le Christ,* éd. de l'Épi, 1ère éd., Paris, 1949, chap. IX, *La Rédemption mystère d'amour,* p. 131).

« La satisfaction, ou la réparation est un besoin qui naît spontanément de l'amour pénitent. Puisqu'elle n'est qu'une expression de l'amour, Dieu ne peut pas ne pas désirer que nous l'éprouvions, puisque nous pardonner n'est pas autre chose de sa part que vouloir nous remettre dans la voie de l'amour. Mais cette satisfaction, en son germe comme en son accomplissement, nous la puisons dans le Christ, dans son acte rédempteur d'où tout nous vient. Le Christ, évidemment, n'a pas eu à " satisfaire " pour Lui-même, mais c'est son acte rédempteur qui est la source de notre satisfaction à nous. De nous-mêmes nous ne pourrions la donner » (*ibidem,* p. 134).

4. *Praecedens error refellitur: satisfactio vicaria est etiam opus iustitiae.*

Videri possunt inter alia Concilium Ephesinum, Denzinger (D.) 122; Concilium Tridentinum, D. 790, 799; *Catechismus Romanus,* pars I, cap. 5, nn. 1, 5, 7, 11, 14, 15, *passim*; Encyclica *Haurietis Aquas, A.A.S.* XLVIII (1956), pp. 322, 337-388 (de iustitia et misericordia in mysterio satisfactionis Christi).

Legitur apud Vaticanum I: « Si quis negaverit, ipsum Dei Verbum, in assumpta carne patiendo et moriendo, pro peccatis nostris Deo vere et proprie satisfecisse, nobisque gratiam et gloriam meruisse; aut affirmare praesumpserit, satisfactionem vicariam, unius scilicet Mediatoris pro cunctis hominibus, iustitiae divinae repugnare, anathema sit » (*loc. supra cit.,* col. 294, IV, can. 5).

B) VIA MEDIA ET AUREA EXPONITUR

1. *Doctrina S. Thomae.*

a) Conceptus satisfactionis vicariae apud S. Thomam quoad verba non invenitur, bene vero quoad rem.

« Si loquamur de poena pro peccato inflicta, in quantum habet rationem poenae, sic solum unusquisque pro peccato suo punitur ». « Si

loquamur de poena satisfactoria, quae voluntarie assumitur, contingit quod unus portet poenam alterius » (I-II, q. 87, a. 8).

« Unus pro peccato alterius satisfacit, dum poena pro peccato alterius debitam in se suscipit » (III, q. 14, a. 1, c.).

« Satisfactio pro peccatis alterius habet quidem quasi materiam poenas quas aliquis pro peccato alterius sustinet; sed pro principio habet habitum animae, ex quo inclinatur ad volendum satisfacere pro alio, et ex quo satisfactio efficaciam habet. Non enim esset efficax satisfactio, nisi ex charitate procederet » (III, q. 14, a. 1, ad 1).

b) Iustitia quae conceptum satisfactionis vicariae ingreditur non est iustitia vindicativa, ut supra diximus; ea est iustitia quae *misericordiae* seu *amoris miserentis* vocari potest, ad hoc ut paucis verbis ipsis Sanctae Theresiae a Iesu-Infante mens S. Thomae exprimitur. En inter alios duo textus fundamentales omnino:

« Quod hominem liberari per passionem Christi, conveniens fuit et misericordiae et iustitiae eius; iustitiae quidem, quia per passionem suam Christus satisfecit pro peccato humani generis, et ita homo per iustitiam Christi liberatus est; misericordiae vero, quia cum homo per se satisfacere non posset pro peccato totius humanae naturae (...) Deus ei satisfactorem dedit Filium suum, secundum illud *Rom.,* II, 24 (...) Et hoc fuit abundantioris misericordiae, quam si peccata absque satisfactione dimisisset; unde dicitur *Ephes.,* II, 4-5: " Deus qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo " » (III, q. 46, a. 1, ad 3).

« Innocentem hominem passioni et morti tradere contra eius voluntatem est impium et crudele. Sic autem Deus Pater Christum non tradidit, sed inspirando ei voluntatem patiendi pro nobis. In quo ostenditur et Dei severitas, qui peccatum sine poena dimittere noluit; quod signat Apostolus dicens: " Proprio Filio suo non pepercit " (*Rom.,* VIII, 32); et bonitas eius, in eo quod, cum homo sufficienter satisfacere non posset per aliquam poenam quam pateretur, ei satisfactorem dedit; quod signavit Apostolus dicens: " Pro nobis omnibus tradidit illum "; et *Rom.,* III, 25 dicit: " Quem (scilicet Christum) proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius " » (III, q. 47, a. 3, ad 1).

c) Haec doctrina ut fundamentum habet metaphysico-dogmaticum doctrinam ipsam S. Thomae de iustitia et misericordia Dei prout a S. Doctore in I, qq. 20-21 exponitur.

d) Mentem suam de iustitia et misericordia in Redemptione iterum atque iterum clare aperit S. Thomas in commentariis quos ipse conscripsit in Sacram Scripturam. Sic videri possunt: *in Isaiam* LIII; *in Psalm.,* XXI; *in Psalm.,* XL; *in Mat.,* XVII, ed. Marietti n. 2383; *in Rom.,* III,

lect. 3, nn. 310-312; *in Rom.,* VIII, lect. 1, n. 608; *in Heb.,* II, lect. 4, n. 139; *in Col.,* II, lect. 3, n. 105; *in Col.,* II, lect. 3, n. 115; *in II Cor.,* V, lect. 5, n. 201; *in Gal.,* III, lect. 5, nn. 148-149, 150; *in Rom.,* VIII, lect. 6, nn. 713-714.

2. *De positione theologorum.*

Licet hodie non omnes theologi, ut liquet, eodem uniformi modo de iustitia divina in satisfactione vicaria loquantur, attamen iure meritoque, ut nobis videtur, haec habet RIVIÈRE de auctoribus antiquioribus ad errores supra memoratos quod attinet:

« Que cette sorte de théologie oratoire passe parfois, dans l'esprit de quelques uns de ses porte-paroles, pour la théologie tout court, il est possible, mais quoi qu'il en soit de l'inspiration fondamentale et surtout des intentions, elle n'en est pas moins par l'exagération de son langage, en dehors de toute la tradition cotholique. Ici nous avons la tâche facile; car ce fait est incontestable et n'a jamais été sérieusement contesté » (*Le dogme de la Rédemption,* Gabalda, 4ème éd., Paris 1931, p. 241).

Haec habet etiam RICHARD:

« Cette théologie oratoire a sans doute pour fin de faire percevoir toute l'horreur que le Christ ressent pour le péché, vérité incontestable qu'il importe de faire méditer. Mais en exploitant de la sorte l'idée scripturaire et traditionnelle de l'expiation du Christ, on en déforme le sens évangélique (...). Les textes pauliniens invoqués ne signifient pas, en effet, que le Christ ressent l'effet de la " colère " de Dieu qui s'exerce sur tout homme qui fait le mal; ce serait là, disait Corneille Lapierre (XVIIIe siècle) en faisant appel aux commentaires patristiques, " un blasphème intolérable, inconnu des siècles passés. Le Christ n'a pu concevoir Dieu comme irrité contre lui. In savait, en effet, qu'il aimait Dieu son Père et qu'il était très cher au Père (...).

« L'idée d'une déréliction où Jésus éprouverait en son âme l'effet de la colère de Dieu est complètement étrangère à la tradition patristique, comme à celle des grands docteurs du XIIIe siècle.

« Les meilleurs théologiens du XVIe siècle, aussi bien Dominicains, avec Cajétan, que Jésuites, avec saint Robert Bellarmin et Suarez restent fidèles à la doctrine des grands docteurs du XIIIe siècle et quand ils rencontrent cette expression nouvelle de la déréliction, ils la réprouvent » (*Le mystère de la Rédemption,* Collection Bibliothèque de Théologie, Desclée & Cie, Tournai, 1959, pp. 181-182).

3. *De Patribus Ecclesiae.*

Ut omnes norunt, opera omnia celeberrimi patrologi RIVIÈRE nos cer-

tiores faciunt de valore traditionali doctrinae S. Thomae Aquinatis in materia redemptionis. Legi possunt huius auctoris:

Le dogme de la Rédeption. Essai d'étude historique, Gabalda, 1905.
Le dogme de la Rédemption. Etude théologique, Gabalda 1914; 3ᵉ édition 1931.
Le dogme de la Rédemption chez Saint Augustin, Gabalda, 1928; 3ᵉ édition 1933.
Le dogme de la Rédemption après Saint Augustin, Gabalda 1930.
Le dogme de la Rédemption. Etudes critiques et documents, Bibliothèque de la Revue d'Hist. Eccl., Louvain, 1931.
Le dogme de la Rédemption au début du Moyen-Age, Bibliothèque Thomiste, Vrin, 1934.
Article *Rédemption* in D.T.C., 1937, col. 1912-2004.
Le dogme de la Rédemption dans la théologie contemporaine, Albi, 1948.

Quibus addendus est: Richard, *Le mystère de la Rédemption,* 1959, *cit. supra.*

II - CONCLUSIO

Iis quae habet Vaticanum I, locis citatis, addatur quaedam expositio ad mentem eorum quae supra relata sunt et formulentur novi canonis sic sonantes, salvo quidem meliori iudicio:

« Si quis negaverit Christum Redemptorem nostrum sua voluntaria oblatione cruenta, arcana Miserentis Amoris dispositione pro nobis Patri peracta, divinae iustitiae vere satisfecisse, a. s. ».

« Si quis dixerit Christum Redemptorem pro nobis satisfaciendo poenam damni passum esse, a. s. ».

DE SACRAMENTO BAPTISMI

Plures scriptores, sive theologi sint sive non, necessitatem absolutam baptismi aquae pro infantibus impugnant et media salutis proponunt, sive antiquitus iam propugnata, sive recentissime excogitata, quibus baptismus aquae suppleri possit. Quae scripta aliquando non parum deprimunt aestimationem baptismi et ad nimiam dilationem huius sacramenti ducunt.

Doctrina traditionalis et a theologis communiter tamquam certa, a pluribus tamquam definita recepta, sic sonat: *Infantes sine baptismo morientes excluduntur a visione beatifica.*

Ad rectam eius intelligentiam duo notanda veniunt:

1. Plures auctores in medio relinquunt quaestionem utrum haec propositio valeat pro omnibus regionibus totius mundi vel pro illis tantum in quibus satis divulgatum est evangelium. Non enim statim ab initio lex evangelica omnes homines obligavit nec remedium naturae contra peccatum originale omnem efficaciam amisit. Licet in medio aevo theologi communiter divulgationem sufficienter esse factam affirmaverint, posteriores non pauca habuerunt dubia, detectis regionibus immensis Americae.

Salva fide admitti potest, etiam nunc temporis legem evangelicam non ubique terrarum urgere et proinde nec ipsam necessitatem baptismi, sed remanere remedium naturae pro infantibus.

2. Affirmando necessitatem baptismi in re suscepti pro infantibus, theologi non intendunt excludere *omnem* possibilitatem salutis supernaturalis. Deus enim non alligatur sacramentis et effectum baptismi etiam sine baptismo conferre potest.

Propositio superius data ab auctoribus his cum duobus moderaminibus ordinario intelligitur.

Nostrum non est singula tentamina, quae modum supplendi baptismum proponunt, ad trutinam vocare. Potius rationes fundamentales, quae illis subiaceant, exponere et pro posse diiudicare velimus. Quae rationes ad sequentes revocari possunt:

1. voluntas Dei salvifica universalis;
2. solidaritas cum Christo;
3. perfectio Novae Oeconomiae salutis;
4. sensus fidelium.

PRIMA RATIO: VOLUNTAS DEI SALVIFICA UNIVERSALIS

Quaerunt auctores quomodo sustineri possit Deum velle, volitione veri nominis, salutem infantium sine baptismo morientium, si exclusi manent a visione beatifica.

Ad quam difficultatem theologi communius respondent Deum velle salutem omnium voluntate antecedente, non autem voluntate consequente, eamdem distinctionem applicando quae in solutione problematis praedestinationis in genere proponitur.

Hac solutione non contenti quidam recentiores affirmant voluntatem Dei salvificam erga infantes semper esse consequentem; duplicem autem salutem distinguunt, aliam naturalem quae in limbo puerorum obtinetur, aliam supernaturalem quae in visione beatifica consistit et solis baptizatis confertur.

Quae ultima solutio non videtur firmo niti fundamento, prae oculis habitis animadversionibus sequentibus:

1. Voluntas Dei salvifica, prout in Sacris Litteris exponitur, semper est supernaturalis, in quantum unicum finem, eumque *supernaturalem* respicit; consistit in « esse cum Christo » in statu glorioso resuscitatorum.

2. Salus infantium sine baptismo morientium non est proinde salus simpliciter dicta; privantur enim perfectione ad quam sunt ordinati.

3. Retinenda est proinde distinctio inter voluntatem antecedentem et consequentem, etiam pro infantibus quibus voluntate divina antecedente baptismus destinatur, sed voluntate consequente non applicatur.

SECUNDA RATIO: SOLIDARITAS OMNIUM HOMINUM CUM CHRISTO

Quae in S. Scriptura et Traditione affirmatur. Sicut omnes homines per peccatum Adae maculam contraxerunt et morti sunt damnati, ita per Christum omnes salvantur et ad vitam aeternam destinantur. Ergo influxus Christi se extendere debet eousque se extendit influxus Adae. Si autem infantes sine baptismo morientes a salute supernaturali excluduntur, etiam ab influxu Christi sunt remoti.

A) Infantes non destituuntur omni influxu Christi; nam:

1. Resurrectio eorum licet non in corpore glorificato fiat, debetur Christo. Quidquid enim sit de naturali possibilitate moriendi, constat mortem *de facto* esse poenam peccati originalis; ergo resurrectio importat victoriam de morte et peccato, quae victoria debetur Christo.

Haec responsio tamen, *per se solam sumpta,* nimis probaret; nam etiam damnatos resurgere non est dubitandum. Eorum autem resurrectio non significare victoriam supra peccatum omnibus est evidens.

Praeterea illa explicatio, per se solam sumpta, non habet fundamentum in S. Scriptura, quippe quae directe de sola resurrectione *gloriosa,* ad similitudinem Christi loquitur.

2. Auferuntur vulnera, peccato originali inflicta, inter quae enumerandae sunt passibilitas et praesertim concupiscentia, ad peccatum inducens. Ad haec notamus:

a) Certum est mortem esse terminum viae; proinde nec infantes post mortem peccare possunt.

b) Secundum doctrinam nunc communem infantes in limbo existentes, Deum cognoscunt et super omnia amant amore naturali. Utrum autem ad talem amorem requiratur gratia sanans, dependet a quaestione utrum post peccatum originale homo sine gratia possit amare Deum super omnia. Responsio negativa, licet nobis magis arrideat, non ab omnibus admittitur; exinde remanet etiam dubia necessitas influxus Christi in infantes, in limbo existentes, ut amorem talem eliciant.

c) Ex praedictis tamen certo est concludendum concupiscentiam, si quae datur, non posse usque ad ipsum peccatum ducere.

d) Nec negandum infantes, beatitudine naturali gaudentes, in meliori versari conditione naturali quam homines viatores.

e) Hunc statum non esse totaliter ab influxu Christi alienum suaderi potest, prae oculis habita doctrina Patrum circa redemptionem obiectivam a Christo peractam, quam nunc paucis verbis exponemus.

B) Distinguenda est redemptio obiectiva et subiectiva

a) Redemptio obiectiva incepit incarnatione, perfecta est passione, resurrectione et ascensione, in quantum Christus ut homo:

— in ipsa incarnatione naturam humanam Deo univit;

— incarnatione, passione, resurrectione et ascensione humanitas sua facta est instrumentum vitae divinae communicandae;

— actibus suis terrestribus, praesertim passione, nobis vitam aeternam promeruit.

Hoc modo constituta est quaedam solidaritas omnium Christo, in quo omnes virtualiter sunt salvati et cuius influxum omnes subeunt. Non apparet ratio cur infantes ab hoc influxu generali destituerentur; modus autem quo actionem Christi *quodammodo* frui possint, sub *A* exposuimus.

b) Redemptio subiectiva contingit quando singuli homines uniuntur Ecclesiae « extra quam nulla est salus » et vitam divinam incipiunt.

Infantes sine baptismo morientes, hac redemptione subiectiva, quae sola est redemptio *ad vitam aeternam,* remanent destituti. Licet enim quamdam participationem in ordine naturali percipiant, non attingunt finem, propter quem Christus mortuus est pro omnibus. Ita ad difficultatem rationis primae redimus.

TERTIA RATIO: PERFECTIO NOVAE LEGIS

Difficultas in forma syllogismi sic proponi potest:

— Facilior redditur salus hominum (seu redemptio subiectiva) post mortem Christi, quam antea.

— Atqui asserta necessitate absoluta baptismi pro infantibus, non facilior sed difficilior redditur eorum salus.

Qui difficultatem urgent minorem probare intendunt, maiore supposita tamquam universaliter admissa. Duas autem praecipuas adducunt rationes:

a) Theologi communiter tenent ante Christi adventum fidem et orationem parentum salvare potuisse infantem; si autem post Eius adventum baptismus absolute requiritur, iam restringitur medium quo salvari possint; id quod ulteriori probatione non indiget.

b) Plures theologi tenent in quibusdam regionibus *nunc adhuc* validum esse remedium naturae, sicut et nos supra notavimus. Quod si admittitur et simul necessitas absoluta baptismi sustinetur, videtur divulgationem evangelii potius in damnum quam in salutem infantium vertere.

Ad hanc difficultatem solvendam quidam theologi respondent per redemptionem Christi salutem infantium non quidem reddi faciliorem sed securiorem:

— non faciliorem: quia semper praesto fuit quoddam remedium facile contra peccatum originale;

— sed securiorem: quia baptismus, utpote signum gratiae infallibiliter efficax, hanc modo certiori confert; est enim independens a fide ministri, id quod pro remedio naturae videtur communiter negari.

Addi potest baptismum esse remedium salutis revelatum, dum existentia alicuius remedii naturae est conclusio certa theologorum.

Admisso membro secundo (salutem reddi securiorem) negamus primum: videtur enim contradicere Sacris Litteris, quippe quae novam oeconomiam salutis praedicant in qua homines non tantum securius sed et facilius, sanguine Christi effuso, consequentur.

Hac nostra responsione difficultas contra necessitatem baptismi obiecta magis urgetur. Etenim si admittitur remedium naturae adhuc

nunc temporis validum manere, sequitur infantes in regionibus ubi evangelium est divulgatum, destitui aliquo remedio, non quidem securiori, tamen facilis, imo facilioris applicationis quam ipse baptismus, uti est ex. gr. oratio parentum.

QUARTA RATIO: SENSUS FIDELIUM

Qui difficulter admittere possunt Deum aliquem absque huius culpa propria ab aeterna beatitudine excludere. Quidam auctores in tali reluctantia fidelium aliquod indicium videre cupiunt cuiusdam veritatis, quae quidem obiective iustificari adhuc non potest, quia in contrarium tam graves habentur difficultates theologicae, sed quae post tempus diuturnum clarior apparebit, quando nexus veritatum revelatarum altius est investigatum.

Evolutio alicuius veritatis revelatae non a priori est neganda; utrum autem in nostro casu sit possibilis non ita evidenter apparet. Nam ille sensus fidelium facile ex quadam mente erronea provenire potest, sive circa gratuitatem divinae electionis, sive circa statum infantium sine baptismo mortuorum, sive circa omnipotentiam divinam acsi Ipse infantem sine sacramento salvare non posset.

QUAERITUR SOLUTIO

1. Exclusio infantium a visione beatifica habet rationem privationis veri nominis, nam tamquam membra generis humani ad finem supernaturalem destinantur. Tamen:

a) Non habent ius ad finem supernaturalem *reapse* consequendum; si ergo salvantur, omnino *gratis* salvantur.

b) Non *condemnantur* ad poenam subeundam nec inimicitiam divinam veri nominis subeunt. Ea quae vocatur poena damni nonnisi modo valde imperfecto illis applicatur. Quare nonnulli auctores incongrue et ambigue arguunt dicendo: « Nemo absque propria culpa damnatur » ut necessitatem baptismi negent. Infantes enim sine baptismo decedentes non positive damnantur, quasi peccatum personale fecissent, sed excluduntur a dono gratuito.

2. Status peccati originalis non est status peccati simpliciter: non datur paritas cum statu peccati mortalis, quia:

— non causatur actu humano proprio;

— voluntas non est simpliciter aversa a Deo et conversa ad creaturas, sed manet inclinata in Deum finem naturalem, licet non in Eum tendat tamquam finem supernaturalem.

3. Deus vult, volitione veri nominis, salutem supernaturalem omnium hominum, etiam infantium. Quomodo executio huius voluntatis sit intelligenda non est a priori stabiliendum sed inspecta revelatione. In S. Scriptura autem voluntas salvifica in V. T. unitur cum *praedilectione* gratuita populi electi et individuorum; gratuitas electionis iterum et iterum in N. T. inculcatur. Huic libertati praedilectionis ex parte Dei contradicunt auctores qui pro omnibus infantibus *parem* conditionem pro salute obtinenda exigunt.

Quaestio de modo quo Deus simul vult salutem omnium et permittit exclusionem multorum ad mysterium praedestinationis reducitur. Tum pro infantibus, tum pro adultis praedestinatio non est demonstranda sed potius adoranda. Renuendum est omne argumentum quod transcendentiam absolutam Dei atque gratuitatem omnino liberam Eius electionis minuit.

Nec obiiciatur non esse parem conditionem infantium ac adultorum, quia hi libere tantum voluntate propria, damnantur; nam praeterquam quod hic latet quaedam ambiguitas in verbo « damnatur », sicut supra notavimus, respondendum est etiam liberam voluntatem humanam non ita posse affirmari ut aliquomodo transcendentiae divinae opponatur et gratuitas electionis minuatur.

4. Deus salutem supernaturalem omnium efficit per Christum et omnis gratia, cuicumque homini collata, a Christi influxu dependet; nullus homo proinde nisi per Redemptorem nostrum salvatur. Hoc satis patet ex doctrina revelata nec hic magis enucleari debet.

5. Christus opus suum salvificum perficit per Ecclesiam: non datur unio cum Christo sine relatione cum corpore suo mystico quod est Ecclesia. Unde dogma fidei: extra Ecclesiam nulla salus. Necessitas pertinendi ad Ecclesiam non potest « ad vanam formulam » reduci (Pius XII, *Humani generis*); non tamen negatur possibilitas salutis pro adultis qui Ecclesiae non incorporantur per baptismum, dummodo *voto* ei adhaereant.

6. Infantes *certo* salvantur baptismo aquae, quo realiter Ecclesiae aggregantur. Si autem baptismus cum remedio naturae forte existente comparatur, haec affirmari debent: per baptismum datur gratia:

— abundantior, in quantum unit cum societate salutis;

— perfectior, in quantum simul tribuit fundamentum connaturale, quod est character;

— infallibilius, quia est medium revelatum;

— securius, quia a fide ministri independens.

7. Infantes *voto* baptismi salvari posse non est revelatum, nec in documentis Ecclesiae affirmatum, immo potius negatur. Proinde non debe-

mus ulterius examinare singula remedia quae a variis auctoribus proponuntur ut in casu necessitatis baptismus suppleretur, sive esset votum ipsius infantis (quod esset quid miraculosum et a Pio XII explicite excluditur), sive votum parentum prout tenuit Caietanus contra consensum fere unanimem Patrum Conc. Tridentini, sive votum Ecclesiae, quo in praxi necessitas baptismi ad necessitatem non medii seu praecepti tantum reduceretur.

Iam demonstravimus non esse arguendum:

— nec ex voluntate Dei salvifica universali, quippe quae non excludit praedilectionem, qua aliis baptismus confertur, aliis autem non;

— nec ex solidaritate cum Christo, quae non necessario includit communicationem vitae divinae, singulis datae.

Notamus praeterea parallelismum inter Christum et Adam non posse nimis urgeri; certum enim est Christum non tulisse peccatum originale: infantes post Christum nascentes sunt aeque peccato illo maculati ac illi qui ante Eum nati sunt. Omnis influxus nefas ipsius protoparentis non est proinde morte Christi ablatus. Dum unum peccatum fuit sufficiens ut omnes homines in peccato nascerentur, non fuit sufficiens mors Christi ut omnes *sine* tali peccato nascerentur sed requiritur actus specialis quo merita Christi *singulis* applicantur. Ratio huius diversitatis nos latet; sed iam satis patet argumentum ex solidaritate cum Christo haustum, caute esse adhibendum.

8. Gravior nobis videtur difficultas hausta ex perfectione novae oeconomiae salutis; cuius solutionem completam frustra apud varios auctores quaesivi. Haec tamen sunt notanda:

— de remedio naturae nihil est revelatum; hoc remedium *nunc adhuc* valere, suadetur quidem, non autem cum *certitudine* affirmari potest; conferantur praeterea ea quae diximus sub 6.

— necessitas baptismi est dogma fidei; illudque sacramentum in infantibus voto suppleri posse recentius negatum est a Pio XII: « Se ciò che abbiamo detto finora riguarda la protezione e la cura della vita naturale, a ben più forte ragione deve valere per la vita soprannaturale, che il neonato riceve col battesimo. *Nella presente economia non vi è altro mezzo* per comunicare questa vita al bambino, che non ha ancora l'uso della ragione. E tuttavia lo stato di grazia nel momento della morte è assolutamente necessario per la salvezza; senza di esso non è possibile giungere alla felicità soprannaturale, alla visione beatifica di Dio. Un atto di amore può bastare all'adulto per conseguire la grazia santificante e supplire al difetto del battesimo: *al non ancora nato o al neonato bambino questa via non è aperta* » (*A.A.S.*, 43 [1951], p. 841). Licet haec verba in sermone coram obstetricibus habito prolata valorem

non habeant definitivum, satis manifeste mentem Ecclesiae manifestant et levitatem plurimorum ad maiorem prudentiam monere deberent.

VOTUM

Rebus sic stantibus affirmari potest unicum remedium salutis pro infantibus, praeter martyrium, nobis certo revelatum esse baptismum aquae. Hoc deficiente non negatur Deo possibilitas salvandi infantem, quia Ipse non alligatur sacramentis, nec auderemus affirmare orationem parentum christianorum *nullum* influxum habere; immo difficultas ultima superius indicata quamdam probabilitatem huic influxui praebent. Sed de hoc modo extraordinario nihil nobis est revelatum, nec explicite nec implicite; immo necessitas baptismi aquae pro infantibus ita extollitur in documentis ecclesiasticis ut nullum aliud remedium salutis, saltem *ordinarium,* sustineri possit.

Ne proinde auctores necessitatem baptismi aquae deprimant et fidem fidelium hypothesibus infundatis perturbent et ut audacia plurimorum, modo superficiali in re tam gravi scribentium, refrenetur, sequens proponitur votum a Concilio emittendum:

Necessitas baptismi pro infantibus nec theoretice negetur, variis rationibus in contrarium adductis, nec practice in discrimen ducatur, nimis hoc sacramentum differendo. Non ideo tamen prohibendi sunt parentes christiani quominus pro suis infantibus orent qui illud sacramentum tam necessarium recipere nequeunt, ut Deus qui sacramentis non alligatur modo nobis ignoto eos in vitam aeternam perducat.

DE SACRAMENTO EXTREMAE UNCTIONIS

Relate ad receptionem sacramenti Extremae Unctionis apud fideles Ecclesiae latinae notatur quaedam anxietas universalis, qua obsessi quam tardius sit possibile sacerdotem invitant, non sine damno gravi pro bono spirituali infirmi. Huius status animi duae indicari possunt causae, historice intime connexae:

Prima causa: nomen ipsum: Extrema Unctio; quod nomen theologice recte explicari potest utpote indicans ultimam unctionem quae post illam baptismalem et chrismalem vel etiam presbyteralem confertur; ordinarie tamen non relate ad unctiones praecedentes susceptas, sed relate ad extremitatem vitae instantem intelligitur. Etiam in nationibus in quibus conservata est terminus antiquitus universaliter usitatus, « sacra unctio » nempe (ita in nationibus lingua neerlandica utentibus), sacramentum nostrum inter « ultima sacramenta » quae moribundis conferuntur, enumeratur.

Haec aestimatio universalis, corroboratur praescripto liturgico, nunc vigente, quo Viaticum *ante* extremam unctionem est conferendum (cf. *Rit. rom.,* tit. VI, cap. I, n. 14). Viaticum autem periculum mortis certo supponere extra dubium est et licet periculum probabilitatem sanationis de se non excludat, in praxi tum fidelium tum ipsorum sacerdotum hoc modo interpretatur.

Secunda causa: historica. Ad mentem nunc vigentem intelligendam, inspicienda est evolutio doctrinae et praxis in decursu saeculorum; in qua evolutione duo pro nostro fine veniunt notanda: periculum mortis tamquam conditio administrationis et initerabilitas sacramenti.

A) PERICULUM MORTIS TAMQUAM CONDITIO ADMINISTRATIONIS SACRAMENTI.

Iam saec. IX quaedam documenta ecclesiastica illud periculum supponunt, licet periculum sensu latiori intelligant; nam aegrotus ipse ad ecclesiam venit ad sacramentum sollemni ritu suscipiendum. Magis magisque tamen significatio periculi ita restringitur ut fere ipse mortis articulus intelligatur. S. Thomas dicit illud sacramentum destinari illis qui sunt in « *statu exeuntium* » tamquam « ultimum remedium quod Ecclesia potest conferre, quasi *immediate* disponens ad gloriam » (*in IV Sent.,* d. 23, q. 2, qla 4, sol. 2). S. Bonaventura ulterius affirmat: « quantumcumque quis infirmetur, non datur ei hoc sacramentum, nisi praesumatur, quod moriatur, vel sit in articulo mortis. Et si constaret

nobis de aliquo quod liberaretur sive liberandus sit, non debet dari ei hoc sacramentum » (*in IV Sent.,* d. 23, a. 1, q. 1). Quae doctrina ad logicam conclusionem ducitur a Scoto, dicente hoc sacramentum non esse administrandum « nisi infirmis qui non possunt amplius peccare... et talibus, qui possunt amplius peccare, non debet dari »; ideo administretur tantum « imminente periculo mortis... et quasi in transitu ad alium statum » (*in IV Sent.,* d. 23, q. unica; Report. Paris.).

Documenta ecclesiastica sive his doctoribus contemporanea, sive posteriora eis, licet non de ipso articulo mortis in sensu Scoti loquantur, periculum tamquam conditionem ponunt. Pauciora in ecclesiis particularibus de infirmitate sermonem faciunt, quin periculum mortis incident. A. 1351 Clemens VI a Patriarcha Armenorum quaerit: « Utrum credis quod homo mortalis in solo casu qui graviter est infirmus et in mortali periculo constitutus, debet devote et fideliter semel dumtaxat in eadem infirmitate sacramentum extremae unctionis requirere et suscipere ».

Idem repetitum invenitur in decreto pro Armenis in Conc. Flor.: « hoc sacramentum nisi infirmis, de cuius morte timetur, dari non debet » (D. 700).

Conc. Tridentinum primum recusavit schema cap. III in quo dictum erat: « Quare merito et extrema unctio et exeuntium sacramentum nuncupatur, quod nonnisi *extreme* laborantibus et cum morte congredientibus, atque hic ad Dominum migrantibus, salubriter adhibetur », et ubi affirmatum erat unctionem infirmi esse adhibendam « illis *dumtaxat* qui tam periculose decumbunt ut in exitu vitae constituti videantur », loco vocis « dumtaxat » positum est *praesertim;* nomen autem « sacramentum exeuntium », licet sensu mitigato, et periculum mortis tamquam conditionem retinuit, sicuti ex verbis immediate sequentibus evidenter apparet. Non consideramus quaestionem utrum periculum mortis fuerit posita tamquam conditio pro validitate (quod inspectis actibus Concilii negandum videtur), vel pro liceitate tantum.

Doctrina Tridentini in praesenti *C.I.C.* repetitur.

Animadversiones. Licet historia sacramenti extremae unctionis tum in Occidente tum in Oriente, non ex omni parte appareat bene delineata, saltem pro tempore saec. IX praecedenti, sequentia retineri possunt.

a) In textu S. Iacobi non indicatur periculum mortis, sed tantum gravitas morbi, in quo aliquis eget sublevamine tum corporali, tum spirituali.

b) In Occidente: ante saec. IX

— uncti sunt etiam infirmi quibus nullum mortis periculum imminuit, uti fuerunt energumeni;

— benedictio olei infirmorum hoc periculum non indicat;

— nomen « extrema unctio » factum est universale inde a saec. XII tantum et in ipso Conc. Trid. occasionem praebuit dissensionibus inter Patres. Usus generalis bene intelligitur inspecta doctrinae et praxis evolutione, supra exposita.

c) In Oriente:

— in ecclesiis separatis unguntur aegroti, morbo non tantum gravi sed etiam levi laborantibus. Aliquando et ipsi sani uncti sunt; non tamen clare apparet utrum in hoc casu de sacramento vel de sacramentali agatur; licet ab aliquibus tamquam sacramentum habeatur;

— in ecclesiis unitis requiritur morbus, cuius gravitas ulterius non determinatur.

B) INITERABILITAS EXTREMAE UNCTIONIS

Quaestio initerabilitatis posita est postquam attentio magis in periculum mortis quam in sublevamen animae et corpori procurandum versa est. Sed nec posita conditione periculi iterabilitas statim est exclusa. Ita in ritualibus pluribus, saltem usque ad saec. XII praescribitur unctio « per septem continuos dies ». Quo magis autem periculum mortis tamquam conditio urgetur eo magis initerabilitas affirmatur eodem periculo manente. S. Albertus Magnus adhuc defendit iterabilitatem post annum. S. Thomas autem et S. Bonaventura omnesque auctores posteriores iterabilitatem eodem periculo manente negant. Rationes valore apodictico carentes ad praxim universaliter iam vigentem defendendam potius quam fundandam adducuntur. Plura concilia provincialia eorum sententiam sequentia initerabilitatem affirmant. Item Clemens VI in textu supra citato pro patriarcha Armenorum. Decretum pro Armenis Conc. Flor. autem nullam de ea mentionem facit; Conc. Trid. « aliud vitae discrimen » exigit; quae lex in *C.I.C.,* can. 940, §2 repetitur. Inde patet iterationem extremae unctionis eodem periculo mortis manente nunc saltem esse illicitam; utrum sit valida controvertitur inter auctores.

CONCLUSIO

Quae cum ita sint concludendum esse videtur invaliditatem sive ipsius extremae unctionis extra periculum mortis, sive iterationis eius eodem periculo manente non esse originis divinae. Quod si originis est ecclesiasticae « omnes norunt Ecclesiam quod statuit etiam mutare et abrogare valere » (Piu XII, Const. Apost. *Sacramentum Ordinis*).

VOTUM

Ad auferenda damna quae ex praxi praesenti fidelium oriuntur et ad maiorem uniformitatem inter Ecclesias Occidentales et Orientales fovendam, haec remedia proponuntur.

A) Quoad nomen

Loco nominis extremae unctionis reassumatur usus antiquior quo indicatur « sacramentum unctionis infirmorum », sicuti iam partim factum est in *Directoire pour la Pastorale des Sacrements à l'usage du Clergé,* ab episcopis Galliae a. 1951 approbato.

Nec oblivioni dandum est nomen extremae unctionis deficere in orationibus liturgicis. Ipse S. P. Pius XII nostrum sacramentum nomine unctionis infirmorum vocavit in Enc. *Mystici Corporis.*

Nomine « euchelaion » vel simili Graeci utuntur ad nostrum sacramentum indicandum, numquam autem occurrit nomen « extrema unctio ».

Iam notavimus nomen extremae unctionis theologice iustificari posse; non est tamen negandum illud invaluisse quando sacramentum « in extremis laborantibus » est collatum atque ita a scholasticis esse intellectum.

B) Canones C.I.C. reformentur

Can. 938

§ 2. Ius et officium sacramenti infirmorum conferendi pertinet ad parochum, salvo praescripto can. 397, n. 3, et can. 514, 1-3.

In periculo mortis quilibet sacerdos valide et licite infirmos ungit; extra periculum quilibet confessarius de licentia saltem praesumpta parochi vel Ordinarii loci.

Can. 940

§ 1. Unctio infirmorum praeberi non potest nisi fideli qui post adeptum usum rationis graviter infirmetur. In periculo mortis, sive ex infirmitate sive ex senio procedat, fideles moneantur de sacramento infirmorum tempestive suscipiendo.

§ 2. In eadem infirmitate gravi hoc sacramentum iterari potest secundum prudens confessarii consilium.

(Notandum: hic assumitur praescriptum can. 864, § 3 pro iteratione Viatici).

Can. 941

Quando dubitatur num infirmus usum rationis attigerit vel num graviter aegrotus sit vel mortem iam subierit, hoc sacramentum ministratur sub condicione.

Can. 944

Quamvis hoc sacramentum per se non sit de necessitate medii ad salutem, nemini licet illud negligere; et omni studio et diligentia curandum ut aegroti illud saltem suscipiant quando infirmitas aliquod mortis periculum secum ferat.

C) IN RITUALI ROMANO, tit. VI, cap. I, n. 14 ordo administrationis ita mutetur ut unctio infirmis viaticum praecedat.[1]

DE MORTE TERMINO VIAE

Mors, quae naturae humanae qua tali miseria est summa atque postrema, in supernaturali oeconomia salutis sensum novum acquisivit, tum quatenus est effectus et socia peccati, tum quatenus victa a Christo moriente perficit in nobis configurationem morti eius, tum denique quatenus speciali munere fungitur in exsecutione oeconomiae salutis. Quo pacto loqui fas est non modo de theologia mortis, sed potissimum de valore et sensu christiano mortis, quem tueri evolvere ac defendere summi momenti est tum in doctrinalibus credendis, cum in praxi ac moribus.

Et tamen, hac nostra aetate errores grassantur, non tam apud extraneos quam apud catholicos ipsos, theologos praesertim, qui hunc sensum christianum offendunt et verum periculum inducunt illum amittendi.

Theologia communiter duos adspectus distinxit in morte prout afficit oeconomiam salutis: alterum aetiologicum, alterum eschatologicum. Sub priori, mors a revelatione proponitur ut pedisequa peccati, in mundum introducta per praevaricationem Adae; inde tamen a secundo Ada vincitur et reparatur, atque ad munus supernaturale sublimatur. Sub altero respectu, mors finem imponit stadio salutis operandae et acquirendae, et inducit stadium finale oeconomiae salutis assecutae et gloriosae. Errores vero theologorum recentium hunc alterum adspectum respiciunt et offendunt; cumque eschatologia mortis plurimum conferat ad mores christianos instruendos, ibi periculum.

---

[1] Historia quae hic per summa capita exponitur, perfectius enucleatur in G. DAVANZO, *L'Unzione sacra degli infermi,* Taurini, 1958.

Inde opportunitas theologos illos monendi, ne assuescant rem istam leviter tractare, theorias more humano fingentes vel « hypotheses » labili fundamento innixas propalantes; et similiter fideles praemunire ne sensum christianum mortis amittant, aut parvi pendant. Quod facile praestare poterunt Patres Concilii ea ipsamet definientes quae, implicite in pluribus documentis Magisterii Ecclesiae per saecula edocta, nuper a Conc. Vaticano I parata iam erant ad definitionem, scilicet:

a) mortem esse terminum viae;

b) sortem post eam esse irrevocabilem.

Breviter ergo exponam sequentia:

A) Traditionalem doctrinam theologicam.

B) Errorum recentium sucum.

C) Doctrinam Magisterii Eccl.

D) *Votum.*

A) Doctrina traditionalis de sensu mortis eschatologico

In oeconomia salutis mors hominis — consistens in disiunctione animae et corporis, non apparenti sed reali — specialem momentum acquirit propter duo: *a*) tum ratione habitudinis eius ad salutem totam, *b*) tum ratione gratiarum morti ipsi adnexarum. Utrumque paucis exponamus:

a) Habitudo mortis ad oeconomiam salutis in eo sita est quod mors est instans dividens oeconomiam totam in duo stadia disparata: oeconomiam terrenam temporalem salutis operandae, et oeconomiam ultraterrenam aeternam salutis operatae. Unde, sensus mortis desumendus est ex diverso respectu eius ad utrumque stadium. Relate ad primum, mors est terminus viae; est cessatio conditionis merendi ac demerendi; est momentum ultimae gratiae: ab ea provenit quod vita christiani sit essentialiter « probatio », quatenus Deus in ea et per eam experimentum sumit de unoquoque nostrum pro vita aeterna, quod simpliciter ac definitive et irrevocabiliter consummatur momento mortis. Hinc ratio « operandi salutem ... cum metu et tremore » (*Philipp.*, 2, 12). Relate ad alterum stadium — vitam scilicet aeternam — mors est ingressus in eam, « transitus », primus gressus eschatologicus, resolutio a corpore ut incipiamus esse ad Dominum (*II Cor.* 5, 1 s.), et conditio praevia et ineluctabilis ut et nos triumphare possimus de morte ipsa resurgendo ad imitationem Christi mortui et resurrecti, et sic devenire ad plenitudinem reparationis naturae et personae, per gloriosam resurrectionem finalem.

b) *Graetiae morti adnexae.* – Dum primum stadium oeconomiae salutaris est « stadium gratiae », alterum est « stadium gloriae »; mors, media

existens inter utrumque, haec duo importat: — quod sit momentum ultimae gratiae, — quot stabiliter coniungat gratiam cum gloria in iusto moriente. Hinc gratias in morte collatas possumus distinguere in duas species, gratias scilicet communes, atque gratias speciales.

Gratiae communes illae sunt quas continuo Deus offert cuique non resistenti, sive actuales, sive habitualem iustificantem, quas proculdubio offert singulis morientibus non secus ac reliquis hominibus vi voluntatis salvificae universalis, immo vi infinitae misericordiae, eo vel magis quod momentum moriendi est sacrum, aptissimum ad gratias fundendas et ad misericordiam divinam ostendendam erga hominem tunc adiutorio divino indigentissimum.

Gratiae speciales eae sunt quae proprie censentur morientium, quaeque recenseri possunt et solent: *aa*) gratiae quaedam sacramentales, derivantes e sacramento Unctionis Infirmorum, ex Viatico Corporis Domini nostri atque ex sacramento Poenitentiae; *bb*) gratia perseverantiae finalis pro electis; *cc*) suprema gratia « mortis amoris » pro animabus electissimis; *dd*) gratiae denique singulares, quae aut aliquibus tantum offeruntur, aut de quibus non sufficienter constat, ut sunt ex. gr. gratia martyrialis in moriente pro fide, gratia assistentiae B. M. V., quae potest intellegi specialissima et quibusdam electis reservata, potest vero communis omni morienti censeri quatenus Beatissima Virgo, mediatrix omnium gratiarum, omnibus in eo momento aliquid confert, cui ideo sine intermissione orat Ecclesia: « ora pro nobis pecc. nunc et in hora mortis ».

Iam nunc, illis gratiis omissis de quibus aut minus certe constat, aut quae minorem praestantiam habent, liceat brevissime declarare gratias illas quae potissimae censentur:

aa) Gratiae sacramentales (Unctionis Inf., Viatici corp. D.ni, sacramenti poenitentiae), quae morienti proveniunt ex opere operato vi receptionis sacramentorum sine obice, eiusdem speciei sunt ac gratiae quas recipit sanus vel infirmus nondum moriens; cum vero gratia non detur naturae in abstracto, sed subiecto in definitis adiunctis constituto, « his ac talibus » necessitudinibus subveniendis, proculdubio moribundo illae eaedem gratiae sacramentales offeruntur et prosunt modo sibi peculiari, animam eius medendo (poenitentia), illam confortando ac roborando contra impugnationes diaboli (s. Unctionis), eamdemque ultimo in terra uniendo cum Christo atque immediate parando ad unionem definitivam quod specialiter praestatur sacrosancto Eucharistiae sacramento.

bb) Gratia perseverantiae finalis, electis solis concessa, est gratia specialissima tum ratione muneris (« decidit enim unionem gratiae cum

gloria, seu conversionem illius in hanc »), tum ratione gratuitatis, utpote quae a nullo meretur de condigno, tum ratione excellentiae, quia non consistit in mera permanentia passiva ac negativa in statu gratiae iustificantis praehabitae, sed importat aut gratiam actualem (diversam in diversis morientibus), aut cumulum gratiarum varii gradus, utputa conversionem peccatoris obstinati, perseverantiam et heroicam fortitudinem iusti martyris, etc.

cc) Gratia « mortis de amore » est specialissima gratia emittendi spiritum vi actus caritatis ardentissimae, immo consummatae, quo fit ut caritas viae morte amoveat corpus ut continuo transeat in supernam caritatem patriae. En gratiam electissimam! De ea mystici. ...

Haec a theologis proponuntur certa. Reliqua quamplura mysterio mortis obvoluta manent.

Sub horum luce, facile erit iudicium ferre de sententiis modo referendis, gratias speciales morti adnexas repetentibus ex natura ipsa mortis, non ex eiusdem sublimatione ad supernaturalem oeconomiam.

B) Errores recentiorum de gratiis morti adnexis

Inter opinamenta theologorum recentium ea sola sub praesenti capite recenseo, quae viam latam sternere audent sive gratiis specialis « illuminationis », sive spei futurae gratiae reparationis post obitum. Radix horum errorum — ni fallor — aut est avidus amor novitatum, aut nimius, sed inanis, sensus compassionis et misericordiae. (In his recensendis, ob rationes captu faciles, nomina auctorum adhuc viventium silentio premo; cum vero textus refero inter binas virgulas « .. », verba eorum immutata produco).

Missis opinionibus theologorum quorumdam saeculi XIX labentis vel XX ineuntis (v. gr., Hirscher, Schell, Raulica ...), utpote quae nostris diebus aut parvi penduntur, aut minus influunt in fideles, sola referam placita theologorum coaevorum. Cum vero hac de re saepissime novitates proferantur formulis vagis ambiguis haud categoricis, praecisionis gratia solas tres sententias referam, et quidem — ne incerta pro certis venditare videar — ipsis auctorum verbis inquantum possibile erit.

1. Atque imprimis en sententiam R. P. Ludovici A. Getino (1877-1946) quae etsi hodiedum obliterata (edita enim fuit inter annos 1933-1935, prius in ephemeridibus evulgata, dein duplici editione operis « *Del gran número de los que se salvan y de la mitigación de las penas del infierno* », Madrid 1934), de facto tamen doctrina seu theoria ibi exposita et propugnata, leviter mitigata ac in paucis reformata, a posterioribus auctoribus resumitur et palam proponitur, etiamsi supralauda-

tus liber statim decreto S. Officii proscriptus fuerit (cf. *A.A.S.* 28, 1936, 121).

Mens auctoris compendio resumi potest in his quae argumentum nostrum respiciunt:

— animae omnes in momento mortis a Deo recipiunt illuminationem quandam specialem (Verbum enim illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum), vi cuius, momento illo unico ac indivisibili, resipiscere possunt et ad Deum se convertere, et consequenter plene iustificari et ingredi viam salutis aeternam;

haud intelligibile est aut admissibile hominem, aliunde rectum ac pium, a morte deprehensum in peccato uno — vel in duobus — etiamsi letalibus gratia spoliari pro aeternitate...;

irrevocabilitas sortis aeternae — v. gr. damnati ob peccata letalia quibus oppressus erat in mortis momento — est norma quaedam divina « moraliter universalis » sed patiens exceptiones, de quarum aliquibus fortasse constat, de pluribus vero certo constare non poterit.

« ... a Dios le quedam (praeter sacramenta) los mil y mil recursos de aplicarlo (pretium redemptionis) por caminos ocultos a nuestras miradas. Del hecho no es posible dudar. El modo nos debe importar poco... Bástenos conocer el secreto de conquistar la gloria eterna. *Cómo Dios la proporciona a muchos que no han tomado la ruta salvadora de incorporación a la gracia de Dios* (!), *a la redención y virtudes de Christo*; cómo librara a otros de la eternas penas, sin concederles la bienaventuranza de los elegidos (!), misterios son que en la doctrina revelada quedan como en la sombra para el día del juicio universal, donde veremos la razón de todos los premios y castigos » (*op. cit.*, p. 58-59).

« ¡Condenados por un solo pecado mortal! ¡Perdidos para siempre por un pensamiento consentido en el momento de la agonía! Se comprende muy bien que, queriendo Dios que todos los hombres se salven, perdone en el postrer instante al que llevase mala vida. *Lo que no so entiende es que, teniendo Dios esa sincera voluntad, consienta que une vida tejida de obras buenas se malogre por un ultimo punto desgraciado y pecaminoso* » (ib., p. 44-45).

Peccatum enim huiusmodi... « va seguido de *una infalible cura,* de un cambio de situación espiritual... que pende solo de una mayor iluminación, de una postrera comunicación con Dios, que no faltará en el repique de la muerte » (ib., p. 50).

« La limosna, el ayuno, el temor de Dios, la fe, la justicia, el apostolado, la caridad cuando merecen esos nombres, llevan implicito el apartamiento del pecado y el horror a las obras mal hechas, a los pecados cometidos. Lo llevan implícito aunque no lo advirtamos. Y muriendo

así en contradicción con el pecado, se muere en gracia, o lo que tanto vale, con el billete de bienaventuranza » (ib., p. 24).

2. Secunda quam enuntiavi theoria, minus audax sed magis subtilis, plura ex praecedentibus sibi mutuavit: serio tenet mortem ipsam, prout consistit in separatione animae a corpore, necessario ac semper importare illuminationem quandam specialissimam, sub cuius luce fit ultima electio, et a qua proin dependet vita aeterna. En lineamenta maiora:

pro certo habetur, utique, mortem claudere statum viae; mortem inquam non apparentem sed realem, quae in instanti indivisibili tota exsistit;

huiusmodi vero instans non se habet intermedium inter status viae et termini, sed potius ut momentum utrique stadio commune quatenus mors est « ipsum separari » animae a corpore, et simul « ipsum separatum esse » illius ab isto.

Unde duo gravissima eruuntur, vel potius gratis asseruntur:

in morte illud « separari » necessario inducit activitatem animae intensissimam atque elevatissimam;

cumque illud « separari » indistinctum sit a « separatum esse » (scilicet mors in fieri terminetur et consistat in separatione de facto...), activitas illa intensissima ac nobilissima erit ad modum activitatis animae separatae: consequenter « spiritualissima » (utpote libera ab influxu corporis et sensuum), « clarividentissima » ac liberrima (utpote non subiacens motibus passionum et a sola voluntate oriens), etc.;

ideo, hoc uno actu potissimo, anima definitive fixatur ac liberrime, sive in bono sive in malo pro tota aeternitate. Quo pacto;

mors importat vi sui (quatenus est separatio animae a corpore) gratiam illuminationis (et pulsationis!) excellentissimam, a qua pendet tota aeternitas... potius quam a praecedenti vita anteacta.

En textus aliquos:

« Si *separari et separatus esse* se confondent (ut modo, auctor probasse putat ex textibus D. Thomae) il est certain qu'au moment de la séparation l'âme n'est plus comme auparavant affectée par le corps auquel elle cesse précisément d'être unie. Son mode de connaissance ne peut plus être comme auparavant conditionné par le sens et les données qu'il fournit... Ce mode de connaissance devient semblable à celui de l'ange... Il en faut dire autant pour ce qui est du domaine de l'appétition ».

« Comme c'est également dès ce principe qu'il y a lieu d'admettre l'infusion dans l'âme de tous les compléments requis pour qu'elle puisse normalement agir de façon conforme à cette condition nouvelle qui devient la sienne ».

« Le seul point en suspens est de savoir si la mort est encore sur le versant du mérite ou de l'autre côté, si elle appartient ou non au " status viae ". Dans l'affirmative, l'activité qui pourrait s'y déployer ressortit au temps d'épreuve et compte pour le salut ». (Et continuo respondet *affirmative,* etiamsi aliquae difficultates constent...): « En faveur de la première opinion (affirmativae)... un triple argument pourrait se voir invoquer: cette hypothèse viendrait rendre compte, mieux que tout autre et de l'obstination du damné dans le mal, et de la disparition du péché véniel à la mort, et de la destruction de la foi chez le damné; trois raisons qui plaideraient donc en sa faveur ».

« Il a (momentum mortis) une raison de totalité, parce qu'il boucle si l'on peut dire, toute la vie. Cette totalité déjà existante en nous dès le commencement... est infiniment virtuelle jusqu'à ce que la mort la termine. Il y a alors l'acte profond entre tous, qui synthétise toute la vie, qui n'est pleinement libéré que par l'accès à la spiritualité complète ».

3. Eadem via procedit tertius auctor quem elegimus: sicut in praecedentibus, sucum extrahimus a scriptis eius:

punctum profectionis sumit e doctrina D. Thomae de speciali conditione psychologica animae separatae, a qua petit S. Doctor explicationem theologicam obstinationis damnatorum in malo;

inde, infernus non est aeternus nisi quatenus damnati aeternaliter obstinantur in malo;

obstinantur autem, quatenus fixantur immobiliter in prava voluntate;

fixatio tamen huiusmodi, invertibilis, nequit fieri in praesenti vita (obstante conditione psychologica animae exsistentis in corpore);

fiet ergo in primo instante separationis: in morte ipsa, prout haec importat to « separatum esse »;

haec vero definitiva fixatio seu vinculatio est actus vere liber, et importat possibilitatem recedendi a peccato..., quae possibilitas eo maior vel minor existet iuxta naturam peccati letalis quo peccator in vita conversus fuit ad creaturas et aversus a Deo;

pauca sunt peccata (gravissima quaedam) quae talem aversionem a Deo importent ut illo momento quasi moraliter impossibilem (summe improbabilem) reddant « reversionem ». Alia vero...

Brevitatis gratia, duos solos textus hic produco:

« De peccatoribus itaque saltem illis, qui dimidiata, ut sic dicam, voluntate peccant, quique fidem servantes sinceram, proni aut saltem non difficiles ad poenitentiam perfectam et salutarem inveniuntur... quaerimus: admittendane pro ipsis est possibilitas, immo et probabilitas sufficientis cuiusdam conversionis *in primo futurae vitae, seu quod idem*

chronologice habetur, in ultimo vitae mortalis stadio peragendae? Ad conversionem mentis et cordis ratio plane sufficiens ipsis non deest... ».

« Peccata quae pro mortis tempore non retractantur, et ideo poenis damnantur aeternis: ... quaenam sint haec peccata? ... illa peccata, quae superbia contumaciore patrantur, spontaneo processu in obstinationem labi facile ostenditur; e contra, quae tumultui passionum praecipue debentur, cessante passionum pressura (en status seu conditio psychologica morientis, in supradescripta theoria), non admodum difficile videtur in poenitentiam resolvi, id est, in quamdam peccati veram detestationem ».

Quibus omnibus summario expositis, fas sit indicare vulnus praecipuum quod opinamenta huiuscemodi inferunt doctrinae catholicae circa mortem:

sortem seu conditionem animae post mortem (licet minutissimo instanti) adhuc vertibilem esse, seu — quod in idem redit — mortem ipsam, non necessario, non absolute, non semper terminare statum viae;

mortem ipsam importare, sive normaliter (semper), sive communiter (ut in pluribus) illuminationem specialissimam, cuius ope homines in extremo vitae termino constituti eligunt tandem pro aeternitate « libertate plena ».

Iamvero, quam aperte repugnent placita huiusmodi sensui christiano mortis, facile patebit consideranti monita dominica et apostolica, constantem praedicationem traditionis, potiora Ecclesiae documenta circa novissima hominis. Liceat brevissime innuere sola monita evangelica et apostolica, remissa consideratione Magisterii Eccl. pro capite sequenti.

Equidem, si textus evangelici perpendantur, haec tria facile exinde eruentur: *a*) mortem inducere statum irrevocabilem, decisivum, pro aeternitate; *b*) mortem homini cuique occurrere nuntio non praemisso (utputa illuminatione quadam specialissima), occurrere nempe inexpectatam, fulmineam...; *c*) exinde vero totam hominis vitam acquirere conditionem seu valorem « probationis, seu examinis, seu experimenti » quod de unoquoque sumit Deus hic in tempore pro aeternitate. Huc pergunt parabola Domini de virginibus fatuis, de patrefamilias dormiente dum latro irruit in domum, parabola divitis cui media nocte repetitur anima, parabola Epulonis, etc., quae etiamsi directe et per se respiciant secundum Domini adventum, a traditione intellecta fuerunt communissime et merito etiam de parousia Domini individua, occasione mortis uniuscuiusque nostrum. Huc similiter respiciunt monita Domini et apostolorum: « venit nox, quando nemo potest operari » (*Io.,* 9, 4), « dum tempus habemus operemus bonum » (*Gal.,* 6, 10), Dominum in iudicio redditurum unicuique « propria corporis prout gessit sive bonum sive malum » (2 *Cor.,* 5, 10), « salutem operandam esse cum metu et tre-

more » (*Philip.*, 2, 12); ideoque oportere esse « fideles usque ad mortem » ut detur cuique corona vitae (*Apoc.*, 2, 10. Cf. insuper *I Thes.*, 5, 2; *II Petr.*, 3, 10; *Apoc.*, 3, 3; 16, 15; *Mt.*, 24, 42).

C) Doctrina Magisterii Ecclesiae

Verum est Ecclesiam usque modo nullam protulisse sententiam definitivam de munere mortis in oeconomia salutis.

Nihilominus, omnia et singula documenta quae magisterium edidit decursu saeculorum ad eschatologiam catholicam contra errores quoslibet tuendam, tam armonice, tam cohaerenter, tam perseveranter concurrunt in tacitam — saltem! — affirmationem « de morte termino oeconomiae vialis, seu salutis operandae », ut iure merito ea omnia quasi confluere censeas in definitionem dogmaticam, explicitam atque solemnem, quam ultimo paratam et omnibus numeris perfectam, Concilium Vatic. I reliquit.

Seriem horum documentorum texere et accuratam eorum analysim instituere exsulat ab hoc loco. Sufficiat ea compendio resumere: alia enim respiciunt errores orientalium tenentium sive protractionem aliqualem stadii vialis post mortem sive dilationem status termini post eandem; alii vero respiciunt errores occidentalium sustinentium consimilem quandam dilationem, aut errores novos. En indiculum brevissimum:

a) contra errores orientalium habes:

D 211: canonem 9 synodi endemousae, damnantem errores origenistarum de possibili quodam statu viali (meriti ac demeriti) post mortem.

D 464: Professionem fidei a Conc. Lugd. II propositam Michaeli Palaeologo, qua sic dictus « dilationismus » inferni et coeli post mortem excludebatur.

D 493 a: Propositionem eiusdem fidei Armenis, in epistola « Nequaquam » Ioannis XXII, circa immediatam punitionem peccatorum post mortem.

D 693: Decretum pro graecis a Conc. Florentino editum, definitionem supra relatam Conc. Lugdunensis iterum proponens...

Haec documenta (praesertim D 464 et D 693), occasione errorum orientalium lata, accurate describunt processum transitus de via ad terminum, per stadia: peccatum - poenitentiam - mortem - purgationem - infernum aut coelum, ita tamen ut mors simpliciter dividat inter viam et terminum seu inter meritum et praemium. Nuda asserta quae ibi perseveranter adstruuntur sunt:

qui post peccatum decedunt in gratia antequam de commissis satisfecerint et omissis, statim post mortem purgari;

qui post baptismum nullam peccati maculam contraxerunt, vel qui a maculis subinde contractis plene se purgaverunt (sive in terris sive in purgatorio) mox in coelum recipi;

qui in mortali peccato vel cum solo originali decedunt, mox in infernum descendere.

b) contra errores occidentalium:

D 530-531: Constitutio Apostolica *Benedictus Deus* qua Benedictus XII subtilem formam dilationismi, seu partialis protractionis status semi-vialis post mortem solenniter proscripsit.

D 778: Leo X in Bulla *Exsurge Domine* inter propositiones Lutheri similem errorem damnavit: animas Purgatorii posse in statu merendi et augendi caritatem versari.

c) At vero, nusquam Magisterium Ecclesiae documentum omnibus numeris perfectum tam apte paraverat, quam in supralaudato Concilio Vaticano I, ubi ad finem schematis Constitutionis de Fide Catholica cum in capite tum in canone respectivo perfectissimam decreverat definitionem de *morte termino viae,* deque non protrahendo ultra eam statum meriti ac demeriti in ordine ad praemium vel poenas aeternas.

Qua in re hoc unum efferre oportet: inde a prima redactione praedicti schematis, usque ad ultimam, correctam in pluribus, in pluribus auctam, castigatam, reformatam... continuo Patres omnes, mira quadam unanimitate, intactum retinuisse et proclamasse canonem illum, quo doctrina catholica de morte ut termino status vialis definiebatur et sanciebatur.

Eo quod « definitio huius dogmatis — ut verba relatoris producam — censebatur maxime necessaria, propter periculum grave erroris, qui etiam inter homines catholicos disseminatur... Pendere aiunt hanc futuram expiationem ab animi dispositione in qua homo obierit; pro his nimirum qui non animo obdurato, sed cum aliqua voluntate emendationis... decesserunt (in letali peccato) locum fore salutari poenitentiae et remissioni peccati in altera vita » (*Col. Lac.* VII, col. 50, adnotatio 41).

Quodsi sensum Patrum colligere quis desideret e schematis praedicti discussione et elaboratione, en stadia seu diversas formas quibus illa pericope Constitutionis, in *capite* successive passa est:

In primo namque schemate, expositio doctrinae catholicae de morte in oeconomia salutis ita se habebat sub capite 17:

« Sicut vero Ecclesia Cath. docet, nulla esse peccata quamvis gravia quorum remissionem homines in hac vita per veram poenitentiam et virtutem sacramentorum... obtinere non possint: ita sacrarum Scripturarum et SS. Patrum doctrinae et ipsius Ecclesiae catholicae consensui

inhaerent et *docemus et definimus,* post viam huius vitae, quando homines iam ad terminum retributionis pervenerunt, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum sive malum, pro nulla letali culpa relictum esse locum salutaris poenitentiae et expiationis, sed cuivis peccato mortali, quo maculata anima fuerit, mox post obitum coram sancto et iusto iudice Deo comparuerit, poenam constitutam esse perpetuam, sicut ipse aeternus iudex testatur: " vermis eorum non moritur et ignis non extinguitur". Unde tamquam haereticam damnamus doctrinam tum eorum qui negaverint poenas damnatorum in gehenna fore perpetuas, tum eorum qui dixerint quaedam esse peccata mortalia, quorum expiatio et remissio post mortem sperari possit, atque ita eos, qui cum huiusmodi culpae reatu ex hac vita recesserint, non in aeternum damnari » (*Col. Lac.,* VII, col. 517).

Deinde vero, novum schema paucis immutatum proponitur:

« ...qui in hac gratia decedunt, vitam aeternam quae est iustitiae corona certo consequentur; ita qui ea privati moriuntur, ad illam numquam perventuri sunt. Post mortem enim, quae est viae nostrae terminus, mox ad Dei tribunal sistimur, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum sive malum (*II Cor.* 5, 10), neque ullus post hanc mortalem vitam relinquitur locus poenitentiae ad iustificationem. Omnes igitur qui in actuali peccato mortali vita funguntur, a regno Dei exclusi, cruciatus gehennae, in qua nulla est redemptio, in aeternum sustinebunt. Etiam qui cum solo originali peccato mortem obeunt, beata Dei visione in aeternum carebunt. Qui vero in caritate Dei decesserint... purgantur... ».

« Quare monemur ut " dum tempus habemus operemur bonum " (*Gal.* 6, 10), quia " venit nox quando nemo potest operari " (*Io.* 9, 4 » (Mansi, 17, col. 235-236. Et *Col. Lac.* VII, col. 564-565).

Iisdem fere verbis (particulis tantum mutatis quae sensum non afficiebant) refertur *caput* in tertio schemate correcto. Cf. *Col. Lac.* VII, col. 1636.

In quarto denique specimine schematis ulterius castigati, paucissimae quaedam et quidem minutulae inveniuntur immutationes, potius tenorem grammaticalem quam sensum ipsum afficientes. En textum:

« Ut enimvero cuncti, qui divinitus excitati... (gratia) in finem usque conservata, caelestis gloriae certo potientur; itaque iustitia expoliati vita mortali excedunt, ad immortalem vitam, quae est iustitiae corona, numquam perventuri sunt. Post mortem enim, quae est vitae nostrae terminus, mox ad Dei tribunal sistimur, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum sive malum, neque ullus post hanc vitam relinquitur locus poenitentiae ad iustificationem. Quare monemur ut

dum tempus habemus operemur bonum, quia venit nox quando nemo potest operari » (MANSI, 17, col. 293).

Canon vero, quo arcte et compendiose exprimebatur definita veritas catholica, in successiva schematum variatione continuo immutatus permansit, sequentem servans tenorem:

« Si quis dixerit etiam post mortem homines iustificari posse; aut poenas damnatorum in gehenna perpetuas futuras esse negaverit, anathema sit » (Cf. *Col. Lac.* VII, col. 519, 567, 1638; et MANSI 17, col. 237, 295...).

D) VOTUM

His omnibus mature perpensis, opportunum ducerem dogma catholicum definire « de morte termino status vialis, deque impossibili operatione salutis post eam », tum ad coercendam levitatem auctorum propalantium hypotheses inanes in re tam gravi, tum ad tuendam fidem et sensum catholicum in veritate summe momentosa pro vita christiana temporali et aeterna. Nam si relator Concilii Vaticani I iam suo tempore sentiebat quod « definitio huius dogmatis censebatur maxime necessaria propter periculum grave erroris, qui etiam inter homines catholicos disseminatur » (cf. *Col. Lac.* VII, col. 550 in adnotatione 41), haec eadem multo veriora atque urgentiora nostris hisce diebus devenerunt.

Ideo, magna protestata reverentia erga iudicium Ecclesiae, et salva meliori sententia, propono:

I. Opportunitatem definiendi dogma catholicum de morte termino viae prout in Concilio Vaticano I paratum fuit, sc. « Si quis dixerit... (ut supra hac eadem pagina) ».

II. Opportunitatem monendi auctores catholicos — theologos praesertim — de vitanda levitate in excogitandis et evulgandis hac de re theoriis minus fundatis, vel sensum christianum fidelium extenuantibus.

DE NATURA PURGATORII

I

Serpet inter theologos doctrina, quae Purgatorium tanquam statum in quo non nisi iustitia Dei vindicativa exercetur, etsi aliqui illam misericordia temperent, repraesentat.

Ad hoc illi deveniunt omnes, qui, uno vel alio modo, et remissionem omnium peccatorum venialium et habituum imperfectorum deletionem et qualemcumque purificationem internam animae ab illo excludunt, Purgatorio hoc unum tribuentes, expiationem nempe reatus poenae temporalis.

Fundamentum pro tali sententia invenire credunt in doctrina Sancti Thomae asserentis animam in gratia existentem in momento mortis, vel immediate post separationem elicere actum ferventissimum caritatis, quo omnia delentur peccata venialia et habitus imperfecti qui cum visione beatifica stare nequeunt, non autem reatus poenae temporalis, cum ille actus non possit simpliciter meritorius dici.

Orationes autem Liturgiae —praecipue defunctorum — in quibus « remissio peccatorum » petitur, de poena temporali, propter peccatum debita, interpretantur.

Quantum autem talis doctrina a vera traditione catholica distet paucis demostrare intendimus, breviter et doctrinam Angelici exponendo (II), et Documenta Magist. Eccl. et Traditionis percurrendo (III). Ultimo notatum volumus hanc opinionem, quae falsam ideam de Purgatorio in mentes fidelium inducit, grave et innecessarium etiam constituere motivum dissensus cum graecis ac protestantibus.

II

Ad doctrinam Angelici rite intelligendam duo problemata, unum *qualitativum, quantitativum* alterum omnino separari debent.

Primum, quod qualitativum voco, naturam Purgatorii directe respicit et finalitatem eius. Et de hoc praeprimis est agendum.

Si Purgatorium non tantum ad poenalem expiationem sed etiam ad remissionem peccatorum venialium et habituum imperfectorum deletionem destinatur, finalitas eius essentialiter etiam « cathartica » est, et magis ad opus misericordiae (cuius est remittere peccata, iuxta S. Thomam) quam ad vindictam pertinet.

Et de hoc problemate S. Thomas non tantum clare sed et fortiter loquitur. In Com. *in IV Sent.* affert sententiam eorum qui tenent in

Purgatorio « nullum peccatum veniale remitti *quoad culpam* » et ita iudicat:

« Sed haec opinio *frivola est* in se et in causa sua. In se quidem, quia dictis Sanctorum et Evangelio adversatur... Quantum ad causam autem frivola apparet... ».

Et, postquam reiecit fundamenta talis doctrinae, concludit:

« Unde patet quod haec opinio *omnino irrationalis est* » (*IV sent.*, D. 21, p. 1, a. 3, qc. 1 ad 1um.

Nec minore cum claritate loquitur in *De malo,* in quo hanc sententiam suae iuventutis non modo retractat, sed integrum art. illi tribuit, ut demonstret « peccata venialia remitti in Purgatorio etiam quoad culpam » (*De malo,* q. 7, a. 11). En titulus: « Undecimo quaeritur *Utrum* peccata venialia post hanc vitam remittantur in Purgatorio ». In « videtur quod non » usque 17 rationes oppositas adducit ut, post solutionem, 17 rationes confutet demonstrando peccata venialia remitti in alia vita in Purgatorio. Et notandum est rationes adversariorum vertere praecipue circa naturam illius status: immutabilitas status hominis post mortem (1), immutabilitas voluntatis post mortem (2), impossibilitas profectus in vita spirituali post mortem (6)..., quas omnes Angelicus solvit, invicte demonstrans nullam adesse repugnantiam in remissione peccati venialis post mortem.

Placet aliqua ipsius verba transcribere:

« Ad *Nonum dicendum* (...), Remittitur ergo in Purgatorio veniale quantum ad culpam virtute gratiae, non solum secundum quod est in habitu, quia sic compatitur veniale peccatum, sed prout exit in actum caritatis detestantis veniale peccatum ».

« Et ideo oportet dicere, quod venialia remittuntur eis post hanc vitam *etiam quantum ad culpam,* eo modo quo remittuntur in hac vita; scilicet per actum caritatis in Deum, repugnantem venialibus in hac vita commissis » (ib. in corp.).

Ratio contraria 17^{a} sic sonat:

« Praeterea, ignis Purgatorii punit animam in quantum est instrumentum divinae iustitiae. Non autem ponitur instrumentum esse divinae misericordiae, cuius est peccata remittere. Non ergo post hanc vitam in Purgatorio peccatum veniale remittitur ».

Ad quam rationem ita S. Thomas:

« *Ad Decimumseptimum* dicendum, quod, sicut iam dictum est, remissio culpae non fit per poenam, sed usum gratiae, *quae est effectus divinae misericordiae* ».

Patet ergo quoad problema *qualitativum* Doctorem Angelicum semper retinuisse eandem sententiam: in Purgatorio remitti non tantum rea-

tum poenae temporalis per expiationem poenalem sed et ipsum peccatum veniale quoad culpam, quod est opus misericordiae et quod veram purificationem internam seu « catharsim » animae implicat. Idem dicendum de habitibus imperfectis. Ut verbis Angelici utamur, anima in illo purificatur ab omnibus iis quae non repugnant vitae gratiae sed utique statui gloriae, quia « non quidquid stare potest cum gratia finali (peccata venialia et imperfectiones) potest stare cum gloria » (*ib.*, ad 12um).

* * *

Si de problemate *quantitativo* sermo sit, quot animae nempe ad Purgatorium cum peccatis venialibus perveniant, en quae tenenda videntur de mente D. Thomae:

— Satis probabilis videtur sententia eorum qui tenent hominem, in caritate existentem et momentum mortis adveniens sentientem, et pleno usu rationis fruentem, « moveatur motu caritatis et in Deum et contra omnia peccata quae fecit, etiam venialia; et hoc sufficit ad remissionem venialium quantum ad culpam, et *fortassis etiam quantum ad poenam si sit intensa dilectio* » (*De malo, l. c.,* in corp).

— Ut patet, S. Doctor agit de actu posito in hac vita, ante separationem, nam actui posito in Purgatorio statim negat vim remittendi poenam (cf. *ib.*). Ex negata autem condicione, nempe illo actu caritatis, ille excludit a tali generali remissione omnes illos qui, in peccatis venialibus existentes, moriuntur sine actuali usu rationis: dormientes, violenta passione usum rationis auferente occupati vel etiam in proposito venialiter peccandi. Sed insuper non tenendum est illum ponere aliquam quasi necessitudinem mechanicam talis actus caritatis, sed illum iudicat quid omnino « normale » pro homine amico Dei, qui videt horam sui transitus advenisse. Quot autem homines hodie, plus quam tempore S. Thomae, inopinato morte corripiantur, cuicumque patet. Numerus tandem uni Deo notus est, nec problema maioris est momenti ut in illo debeamus immorari.

III

Doctrina S. Thomae sic intellecta omnino cohaeret cum Doctrina in Traditione catholica et Magisterii eccl. documentis contenta. De problemate *quantitativo* nihil unquam Ecclesia docuit, sicut nihil dixit determinate de numero eorum qui Purgatorium, Infernum vel Gloriam ingrediuntur. Si autem de problemate *qualitativo* agitur non solum non adest documentum ecclesiasticum quod neget remissionem peccatorum venialium *quoad* culpam in Purgatorio, sed e contra, habemus Epistolam Innoc. IV, *Sub Catholicae,* in quo legitur:

« Illo enim transitorio igne (Purgatorii) peccata utique, non tamen criminalia seu capitalia, quae prius per paenitentiam non fuere remissa, *sed parva et minuta purgantur, quae post mortem etiam gravant, si in vita non fuerint relaxata* » (Msi. 23, 578-582. - NB! Male legitur in Denz. 456).

Oppositio inter remissionem peccatorum mortalium et venialium demonstrat ad evidentiam quod agitur de remissione quoad culpam, non quoad reatum poenae temporalis.

Talis est sensus totius Traditionis necnon fere omnium theologorum ante Concilium Tridentinum. Ideo optime scripsit Angelicus sententiam contrariam frivolam esse quia contradicit dictis Sanctorum et Evangelio.

Omnes sciunt argumentum determinans in Concilio Florentino ad hoc ut Orientales ad admissionem Purgatorii pervenirent desumptum fuisse ex universali usu in Ecclesia Catholica semper et ubique orandi pro defunctis. In orationibus autem pro defunctis indesinenter Ecclesia petit « remissionem peccatorum », quod de reatu tantum poenae temporalis intelligere non solum arbitrarium est sed et contra mentem Traditionis (ipse S. Thomae hoc asserit, confirmans suam sententiam verbis Gregorii M. et Aug.).

Similiter dicendum est de theologis. Argumenta quae frequentius occurrunt ad demonstrandam existentiam Purgatorii e *2 Mach.,* 12, 39 ss. *Matth.* 12, 31-32 et *I Cor.* 5, 25-26, desumebant. Quidquid sit de valore demonstrativo talium textuum, verum est pro illis probare, quod impossibile esset si non admitterent remissionem peccatorum venialium in alia vita, etiam quoad culpam.

Optime igitur potuit concludere Torquemada, sensum traditionalem theologiae in hoc problemate referens et Decr. Unionis Conc. Florentini commentans: ad verba « poenis purgatoriis », explicat: « Licet enim poenae purgatorii sint afflictivae (...) nihilominus, *quia principaliter non ordinantur ad affligendum, sicut* poenae inferni, sed principaliter ad purgandum reliquias peccati, ideo dicuntur purgatoriae » (Conc. Flor., v. 2, fasc. 1, p. 74). Tales autem *reliquias peccati* ille explicite intelligit « inmunditiam culpae et reatum poenae » (*ib.*).

Et, ut demonstratur in Thesi P. Urbani Barrientos (cf. *Doctrina de San Juan de la Cruz sobre el Purgatorio* - a la luz de su sistema mistico, *Angelicum,* 1959 [pro manuscripto]) talis est mens theologorum qui in Conc. Florentino de hac re tractaverunt.

Quae cum ita sint, patet quam sine vero fundamento ab aliquibus divulgetur ut unice vera illa de Purgatorio explicatio mere « iuridica ».

* * *

Talis insuper explicatio serium constituit dissensionis *cum Graecis* innecessarium motivum . Illi enim in Conc. Flor., unionem cum Eccl. Catholica subsignantes, statum ultraterrenum ad purificationem animarum prosequendam tandem admiserunt coacti imprimis testimonio Liturgiae, praecipue defunctorum, et communi traditione de purificatione post hanc vitam ante ingressum in gloriam. Quae purificatio si tantum nominalis evadat et in puram expiationem poenalem convertatur, ab illis utique fere inadmissibilis erit. Ne dicam *de Protestantibus,* quorum aliqui, inter primos Reformationis parentes, Purgatorium contra Lutherum admiserunt sed sensum verae internae « catharsis » illi tribuentes; omnes autem a conceptione mere iuridica abhorrent.

Sed et ipsis *christifidelibus* falsa proponitur idea. Purificatio ultraterrena intra limites operis Redemptivi invenitur et est Redemptionis fructus; animae defunctorum filiae Dei sunt amantissimae, et ideo in illis non vindicta sed misericordia Dei praeprimis splendet. Opus Purgatorii mysterium est amoris, quod si iustitiam non excludit cum vindicta minime identificari potest.

VOTUM

— Cum igitur in Conc. Flor. doctrina haec supponatur sed non definiatur explicite, eo quod necesse non fuit ad unionem.

— cum denique Conc. Trid. nullum dederit documentum dogmaticum, sed disciplinare tantum circa Purgatorium,

— cum cognitio rectae doctrinae in hoc puncto perutilis esse posset sive ad tollendum innecessarium dissensionis motivum cum acatholicis, sive ad veram pietatem in christifidelibus fovendam.

Sat opportunum iudicarem quod in Conc. Vat. II Caput et Canon vel Canones edantur in quibus haec vera et traditionalis doctrina auctoritative doceantur; Purgatorium nempe, esse statum verae internae purificationis animae ab omnibus sive peccatis venialibus, sive imperfectionibus sive deordinationibus quae cum Visione beatifica stare non possunt, statum simul expiationis pro reatu poenae temporalis. Talis autem purificatio secum non fert augmentum nec gratiae nec gloriae, cum tempus tale augmentum merendi cum morte completum sit. Talis doctrina traditionalis est; bonitati Dei apprime respondet; experientia et testimonio sanctorum confirmatur et evolutione vitae gratiae in anima usque ad fructificationem in gloriam commendatur.

DE REFORMATIONE LEGIS IEIUNII ET ABSTINENTIAE

A) DE LEGE IEIUNII

I. De observantia legis ieiunii, ante Decretum S. Congr. Concilii « Cum adversa » diei 28 ianuarii 1949.

Lex ieiunii, paulatim in desuetudinem abierat. Res est manifesta. In multis enim regionibus, Sancta Sede indulgente, ieiunium reducebatur ad tres dies in hebdomada (Hispania, Lusitania), in aliis ad unum tantum diem, solo tempore Quadragesimae (America Latina, Mexico, India, Madagascar, China). In regionibus autem ubi lex (officialiter) adhuc erat in vigore, lex erat fere littera mortua: etenim, multi christianorum erant legitime excusati a lege propter multiplices causas (strenui laboris sive physici sive intellectualis, debilitatis, necessitatis ... etc.); multi alii, qui non plene in hac categoria inveniebantur, dispensationem petebant, quia aliquod incommodum in observanda lege ieiunii experiebantur, nec poterat eis negari dispensatio; remanentes christianorum vel legem tranquille ignorabant, vel illi magis pii, qui legem observare voluissent, in anxietates et angustias incidebant, eo quod difficulter componere valebant et observantiam legis prout communiter interpretabatur, et efficientem curam ordinariarum suarum occupationum.

Lex igitur ieiunii practice reducebatur ad venerabile vestigium iuridicum absque vita et efficacia, cum maior christianorum pars sub regimine exceptionis viveret.

II. Causae huius crisis legis ieiunii

Quattuor praesertim possunt assignari: psycho-physiologica prima, moralis secunda, socialis tertia et obiectiva quarta.

1. *Causa psycho-physiologica*

a) *Causa psychica.* Excitatio nervorum quae ex continuo, uniformi et fere mechanico labore, per plures horas protracto, necessario resultat. Exinde magna defatigatio psychica consequitur, etiam si labor non fuerit specialiter arduus. Psychica autem defatigatio aggravatur, si observato ieiunio, etiam corpus ultra normalem debilitatem deprimitur. Haec est autem conditio maioris partis hominum in hac nostra aetate.

b) *Causa physiologica.* Organismus humanus si per plures annos cuidam regimini alimentari evidenter insufficienti fuerit constrictus, per longum tempus, immo et per generationes manet attactus, nec valet

sustinere ieiunium continuatum (v. gr. per quadraginta dies et amplius), quin eius resistentia physica ad ordinarium laborem sustinendum, maneat graviter minorata. Haec est evidenter conditio nostri temporis propter immania bella quae totum mundum flagellarunt.

2. *Causa moralis.*

Christiani nostri temporis non infrequenter exsistimant vitam hodiernam esse sufficienter duram et mortificationum plenam, quin ad supererogatorias poenitentias recurrere oporteat ad satisfaciendum pro peccatis admissis. Lex ieiunii et abstinentiae, prout nunc habetur, respondet alteri aetati in qua ordinariae occupationes hominum non premebantur charactere constrictivo quo nostris temporibus affliguntur. Formae poenitentiales aliae et aliae esse debent in diversis temporum et consuetudinum vitae civilis variationibus.

3. *Causa socialis*

Actualis oeconomia mundialis tota quanta fundatur et sistit in « industrialisatione ». « Industrialisatio » autem exigit rythmum productionis acceleratum et crescentem. Rythmus vero acceleratus et quotidie crescens exigit laborem ininterruptum. Exinde horaria laboris contra naturam; plerumque laboratores exeunt summo mane e domibus et non amplius redeunt usque ad tardam vesperam. Haec conditio laboris in dies magis ac magis extenditur.

4. *Causa obiectiva.*

a) Ipsa lex ieiunii et praesertim eiusdem a moralistis facta interpretatio, ansam praebet etiam actuali crisi legis. Essentia ieiunii reponitur in unica plena per diem comestione. In ea nihil prohibetur neque quoad *quantitatem* neque quoad *qualitatem* ciborum, nisi simul abstinentiae lex urgeat. Potest igitur quis in illa unica comestione ingerere ea quae deinde demet a coena, nihil interest; servat ieiunium si conditio de unica refectione plena adimpletur. Haec conceptio ieiunii plurimis, iure merito, repugnat, cum nimis attendat ad externam ciborum distributionem, minus autem ad internam exigentiam virtutis temperantiae.

b) Permittitur a lege ut *aliquid cibi mane et vespere sumatur.* Lex non determinat nec quantitatem nec qualitatem cibi sumendi. Remittit ad probatas locorum consuetudines.

Quod non facit lex fecerunt interpretes, determinantes *quantitatem* et *qualitatem* ciborum permissorum ad hoc ut lex adimpleretur.

aa') *Quoad quantitatem,* moralistae sequentes Sanctum Alphonsum (qui tamen tali determinationi valorem tantum relativum tribuere vide-

tur), pro *refectione matutina* permittunt duas uncias cibi solidi seu 55-60 grammos. Pro *coenula* assignant mensuram *octo unciarum* seu 240 grammorum plus minusve.

bb') *Quoad qualitatem* ciborum, tam in refectione matutina quam in vespertina (facta facultate permutandi prandium cum coena), excludebant ova et lacticinia, a fortiori carnem.

Haec legis ieiunii interpretatio sequenda est utique simplex et obiective bene determinata, attamen ansam praebet quam plurimis difficultatibus: cum sit *fixa,* difficultates gignit circa mensuras exactas quae cum facile non determinentur, inducunt anxietates et ultimo ducunt ad totalem reiectionem legis; cum sit *unitaria,* i. e. aut totaliter observatur aut nullo modo observatur, si quis semel plus sumit quam quod stabilitum est, legem violat. Cum autem pauci sint qui cum solis illis 55-60 grammis sumptis summo mane possint ad occupationes proprii laboris attendere, facile concludunt legem esse observatu impossibilem.

Quattuor hae causae *simul concurrentes,* legem ieiunii ad actualem profundam crisim deduxerunt.

III. Quodnam remedium afferendum?

Duo proponi possunt:

Primum: Mitigatio legis et quoad dies in quibus servari debeat (v. gr. in quadragesima tantum et per tres solummodo dies in hebdomada), et quoad modum interpretandi *quantitatem* et *qualitatem* cibi solidi quod permittitur in refectione matutina et in coenula. Quoad *quantitatem,* norma pro refectione matutina esset proponenda *pure relativa* (praecisa qualibet mensurae determinatione), ita ut « unicuique generatim licebit tantam cibi sumere quantitatem quanta *cuique* necessaria est ad vitandam indispositionem quae ipsum impediat quominus officia status convenienter adimplere valeat » (V Conc. prov. Mechlinense, an. 1937, decretum 69). Quoad *qualitatem,* permittenda sunt ova et lacticinia.

Secundum: Derogatio legis ieiunii ad normam Decreti « Cum adversa » diei 28 ianuarii 1949 a Sacra Congregatione Concilii (*A.A.S.* XXXXI [1949] pp. 31-32), proposita, donec aliter provideretur. Normae exceptionales ibi propositae essent erigendae in *legem generalem.*

IV. Reflexiones circa remedia proposita

A) *Ad primum*:

a) Exoptanda esset, re quidem vera, talis adaptatio legis ad conditiones laboris et ordinationi vitae christianorum nostri temporis. Ita ut, ex una parte, venerabile institutum ieiunii quadragesimalis, quod per tot saecula fuit ab Ecclesia tanta sollicitudine custoditum, quodque tam apprime respondet mentalitati generis humani intuentis in ieiunium principem formam externam paenitentiae ad satisfaciendum pro peccatis, reverenter, salva eius substantia, servaretur; ex alia autem parte, facta adaptatione, « revitalizaretur », ut non tamquam « merum vestigium temporis anteacti », prout nunc est, custodiatur; sed de facto influxum verum et vitalem exerceat in conscientiam nostrorum christifidelium.

b) Difficultates contra propositam adaptationem.

1ª) Desumitur ex latitudine exemptionis nunc existentis apud multos populos christianos, qui difficulter redirent ad praxim, pro ipsis, rigidiorem post tot saecula liberioris regiminis.

2ª) Ipsaemet derogationes legis ieiunii ad tempus concessae et quae iam fere per viginti annos perdurant, obstaculum non immodicum facerent reinstaurationi legis etsi mitigatae et adaptatae.

3ª) Causae illae superius elucidatae: scilicet, psycho-physiologica, moralis et socialis.

B) *Ad secundum*:

Omnibus rite perpensis et ponderatis, *secundum remedium,* salvo meliori et prudentiori iudicio, *praeferendum videtur.*

Rationes quae stant pro hac solutione sunt sequentes:

1ª) Lex esset de facto *universalis,* absque odiosis exceptionibus.

2ª) Esset *observatu facilis pro omnibus,* cum ad tam minimum limitaretur.

3ª) Esset insuper perfecte *intelligibilis,* cum evidentem relationem diceret ad praecipuas festivitates christianas.

4ª) Esset absolute *practica,* cum tantum praecipiat quantum christiani, etiam in praesenti ordinatione vitae et laboris, sine ullo vero incommodo praestari valent.

Difficultas praecipua quae occurrit contra hanc solutionem est illa supra indicata, scilicet, hac solutione, saeculare institutum ieiunii Quadragesimalis tanta sollicitudine ab Ecclesia semper custoditum, abolitum iri.

Responderetur: Non penitus abolitum iri, sed potius transformatum iri secundum exigentias vitae realis huius nostrae aetatis. Oportet igitur

reminisci « non esse homines propter Sabbatum, sed Sabbatum propter homines ». I. e. non homines christiani propter ieiunium quadragesimale, sed ieiunium quadragesimale propter christianos.

Addendum est in proposita solutionem amplum locum remanere christianis pro paenitentia et mortificatione personali, ad quam, utique, perurgenter adhortandi essent.

B) DE LEGE ABSTINENTIAE

I. Convenientia mitigationis

Etsi lex abstinentiae non iisdem difficultatibus gravetur ac lex ieiunii, adsunt tamen specialia incommoda quae illam in praxi observatu difficilem reddunt et convenientiam cuiusdam restrictionis suggerunt.

1ª) Status exemptionis officialiter vigens apud multos populos christianos pro quibus lex abstinentiae ad omnes et solas ferias VI *solius Quadragesimae reducitur,* sicut supra de ieiunio dictum est. Hae exemptiones infirmant legem eamque odiosam apud populos non exemptos reddunt.

2ª) Itinera quae recreationis causa tempore magnarum feriarum hodie universaliter aggrediuntur non parva incommoda feriantibus procurant in lege abstinentiae qualibet feria VI observanda.

3ª) Conditiones laboris quae a moderna conceptione « industrializationis » laborantibus imponuntur, quoad horaria et interruptiones laboris. Per octo enim horas laborandum est, parvula interiecta mora sub qua leve prandium consumitur. Ut vires non deficiant laboratores constringuntur ad cibos carneos, utpote sub parvulo volumine maiore vi nutritiva gaudentes, consummandos.

Rebus sic stantibus, ad obviandas faciles transgressiones et ad legem vere universalem et practicam statuendam, restrictio in lege abstinentiae, prout nunc habetur, inducenda desideratur.

II. Restrictio quae, salvo semper meliori iudicio, esset inducenda, sequens videtur:

1. Lex abstinentiae servanda est singulis feriis sextis *temporis Adventus* et *Quadragesimae.*

2. Lex abstinentiae simul et ieiunii servanda est feria IV Cinerum et feria VI Maioris Hebdomadae, necnon in pervigiliis Immaculatae Conceptionis et Nativitatis D. N. I. C. (anticipanda ad diem 23 decembris).

VOTUM

Ad obviandas difficultates quibus vigens lex ieiunii et abstinentiae in actualibus temporum et civilis vitae ordinationis conditionibus gravatur, necnon ad observantiam legis canonicae universalis melius tuendam et ad impediendum ne lex quae ad expianda peccata est directa causa sit plurimorum peccatorum, sequentia proponuntur remedia:

I) Quoad abstinentiam et ieiunium

1. *Abstinentia* servanda est singulis feriis sextis temporis Adventus et Quadragesimae.

2. *Lex abstinentiae simul et ieiunii* servanda est: Feria IV Cinerum et feria VI Maior Hebdomadae. In pervigiliis Immaculatae Conceptionis et Nativitatis D. N. I. C. (anticipatur ad diem 23 decembris).

3. Diebus abstinentiae simul et ieiunii ova et lacticinia etiam mane et vespere ubique sumere liceat.

II) Quoad spiritum paenitentiae nutriendum

Pastoribus animarum iniungitur obligatio exhortationes tenendi ad populum, tempore praesertim Adventus et Quadragesimae, in quibus perurgenter inculcetur necessitas personalis paenitentiae, et studium complendi, voluntariis christianae mortificationis exercitiis, necnon caritatis operibus, maxime erga inopes et aegrotos, legis ieiunii et abstinentiae remissionem. Insuper hortandi sunt fideles ad quotidiani laboris incommoda in spiritu paenitentiae sustinenda.

DE CONCESSIONE POTESTATIS DELEGATAE AD AUDIENDAS CONFESSIONES

Vigenti nunc disciplina canonica circa delegationem potestatis iurisdictionis ad confessiones recipiendas videtur hodiernis necessitatibus vitae ministerialis non satis provideri. Quapropter opportunae quaedam immutationes inducendae desiderantur, ut tam necessarii sacramenti ministerium facilior reddatur.

Hoc ducti consilio, memorata prae primis vigenti disciplina, animadversiones quasdam eidem movemus ac tandem practicam solutionem proponemus.

Sistimus tamen nunc considerationem nostram ad potestatem delegatam pro confessione fidelium in genere, quin intendamus rem movere circa peculiarem illam iurisdictionem pro religiosis feminis requisitam (can. 876).

A) VIGENS DISCIPLINA RECOLITUR

PRAENOTAMEN

Ad validam peccatorum absolutionem requiritur in ministro, praeter potestatem *ordinis* sacerdotalis, potestas quoque *iurisdictionis* in poenitentem (Conc. Lateranense IV, D. 437; Eugenius IV, Decr. pro Armenis, D. 699; Conc. Trid., Sess. XIV, cap. 6 et 7, D. 902, 903; *C.I.C.,* can. 872). Quod ab ipsa iudiciali natura absolutionis sacramentalis exigitur (Trid., Sess. XIV, cap. 2, 5, 6 et 9, D. 895, 899, 902, 919; *C.I.C.,* can. 870).

Duplici modo haec iurisdictio confertur sacerdoti:

a) per assignationem officii (potest. *ordinaria*);

b) per commissionem ipsi personae directe factam (potest. *delegata*).

Quibus competat iurisdictio *ordinaria* ad confessiones audiendas, accurate determinatur in can. 873. Circa iurisdictionem vero *delegatam,* disciplina Codicis ordinatur in cann. 874-883.

Hodiernam hanc disciplinam circa concessionem potestatis delegatae possumus sic, triplici sub capite, breviter memorare: I) De subiecto activo delegationis; II) Circa iudicium de idoneitate sacerdotis; III) De restrictionibus in ipsa iurisdictionis concessione.

I. De subiecto activo delegationis

Delegationem ad confessiones audiendas concedunt sacerdotibus:

a) *Ius ipsum* (delegatio *a iure*) in circumstantiis quibusdam peculiaribus:

1) In casu periculi mortis (can. 882).

2) Sacerdotibus iter maritimum vel aëreum arripientibus (can. 883 et Motu proprio Pii XII, *Animarum studio,* diei 16 dec. 1947).

3) Sacerdotibus a S. R. E. Cardinalibus vel Episcopis electis pro sui suorumque familiarium confessionibus audiendis (can. 239, § 1, 2°; 349, § 1, 1°).

4) In casu erroris communis et dubio positivo et probabili, si dubium coniungitur cum defectu iurisdictionis (can. 209).

b) *Superior competens* (delegatio *ab homine*), videlicet:

1) *Ordinarius loci,* in quo confessiones excipiuntur, pro quibuslibet sacerdotibus et quoad omnes poenitentes (can. 874, § 1).

2) *Superior religionis clericalis exemptae,* ad normas Constitutionum, pro quibuslibet sacerdotibus, etiam non sibi subditis, quoad confessiones tantum suorum professorum, novitiorum et eorum de quibus in can. 514, § 1 (can. 874, § 2).

II. Circa iudicium de idoneitate ministri

Iurisdictio ad confessiones audiendas licite non confertur nisi his qui legitime probati fuerint idonei. Can. 877 praevium idoneitatis iudicium requirit:

a) pro ipsa iurisdictionis *concessione* ab Ordinario loci vel a Superiore religioso respective facienda;

b) pro *licentia* a Superiore religioso suis subditis, iurisdictione aliunde instruendis, concedenda ut confessiones audire possint.

Tum autem iurisdictio ipsa tum licentia in casu iis tantum est concedenda « qui idonei per examen reperti fuerint, nisi agatur de sacerdote cuius theologicam doctrinam aliunde compertam habeant » (can. 877 § 1).

Immo, « Si post concessam iurisdictionem aut licentiam prudenter dubitent num probatus a se antea sacerdos pergat adhuc idoneus esse, eum ad novum doctrinae periculum adigant, etsi agatur de parocho aut canonico poenitentiario » (*ib.,* § 2).

Examen proinde proponitur tanquam *medium ordinarium* cognoscendi sacerdotis idoneitatem, licet non unicum nec absolutum, cum etiam *aliunde* sacerdotis doctrina comperta haberi possit. Tamen, ad principii generalis instar, concedens potest sacerdotem petentem ad examen adi-

gere, etiamsi iam prius ab alio Ordinario vel Superiore religioso probatum fuerit (cf. can. 874, § 2).

III. De restrictionibus in ipsa iurisdictionis concessione

Can. 878, § 1 modo sat generico statuit: « Iurisdictio delegata aut licentia audiendarum confessionum concedi potest *certis quibusdam circumscripta finibus* ».

Tam generica iuris dispositio, hac monitione pariter generica attenuatur: « Caveant tamen locorum Ordinarii ac religiosi Superiores ne iurisdictionem aut licentiam sine rationabili causa nimis coarctent ».

B) ANIMADVERSIONES QUAEDAM AD DISCIPLINAM VIGENTEM

I. Circa subiectum activum delegationis

Ad vigentem nunc disciplinam circa subiectum activum delegationis ad confessiones audiendas, quaedam prostant difficultates ordinis practici.

a) Et prae primis, canonum dispositiones videntur sufficienter providere tantum pro casu sacerdotum, qui *intra eamdem dioecesim* sacrum ministerium permanenter et modo fixo exercent.

b) Tamen, extat nostris temporibus frequens praxis ministerii *interdioecesani* a non paucis sacerdotibus exercendi, ut necessitatibus pastorum et fidelium suo iuvamine succurrant; v. gr. ut necessarium adiutorium parochis praestent in ministerio extraordinario dierum solemnium; ut series concionum vel exercitiorum spiritualium hinc inde moderent; ut iuvamen afferant clero locali, dum extra propriam dioecesim per aliquod tempus morantur, etc. Quibus in adiunctis a sacerdotibus extradioecesanis saepe ministerium petitur confessionis.

c) Extant alia ex parte perplures casus sacerdotum, qui, ob hodie multiplicatas necessitates *itinera instruendi* extra proprias dioeceses et nationes, non raro coguntur iustis fidelium desideriis renuere ob defectum iurisdictionis ad confessiones audiendas in loco transitus.

d) Huiusmodi autem sacerdotibus sat *onerosum* est necessarias licentias ad confessiones, nunc in una, nunc in alia dioecesi obtinere. Immo, quandoque sat *difficulter* locorum Ordinarii adiri poterunt, cum occasio ministerii praestandi impraevisa obveniat.

e) Cui difficultati adiungitur praxis, non paucis in locis invalescens, delegationem ad confessiones nonnisi ad tempus concedendi; quapropter litterae sunt saepius renovandae, nunc in una, nunc in alia dioecesi.

Ob quas aliasque rationes urgens sentitur necessitas inducendi modum

concessionis iurisdictionis ad confessiones delegatae, qui melius necessitatibus nostri temporis provideat.

II. Circa iudicium de idoneitate ministri

a) Quodnam inconveniens apparet in hodierna disciplina eo quod *probatio* de idoneitate sacerdotis ad munus confessarii assumendum peragenda dicatur a Ordinario delegante, etiam cum agatur de clerico sibi non subdito. Opportunius censeremus iudicium in casu exquirendum fuisse a proprio sacerdotis Ordinario vel respective Superiore religioso, qui cum meliore causae cognitione illud elicere valet.

b) Nec necessarium videtur probationem idoneitatis instruendam *apud unumquemque Ordinarium delegantem;* sed sufficienter probata dicenda erit, ad instar principii generalis, sacerdotis aptitudo, quae per completum curriculum ecclesiasticum examinata et comprobata fuit. Studia siquidem quibus alumni, sive saeculares sive religiosi sive etiam aliorum institutorum Statuum Perfectionis sodales, ad sacros ordines praeparantur, iuxta *C.I.C.* dispositiones aliasque Apostolicas ordinationes peracta, *publicae rationis* sunt et ut tales ab Ecclesia habentur (cann. 976, § 3; 587; Statuta Generalia S. C. de Relig. ad Const. Apost. *Sedes Sapientiae,* die 7 iul. 1956, art. 41). Quaedam propterea incongruentia apparet si, ad principii generalis instar, nova probatio requiratur, postquam ab Ecclesia idoneitas est publice agnita.

c) Hoc publicum iudicium sufficiens habendum esse censemus, *ad principii generalis instar.* Quodsi aliquando dubium positivum exurgat circa idoneitatem alicuius sacerdotis, iam antea declaratum aptum a suo competenti Superiore, aequum erit illum ad novum periculum adigere.

III. Quoad concessionis restrictiones

a) Ordini similiter practico minus consentaneum videtur ut iurisdictio ad confessiones concedi possit, ad principii generalis instar, certis circumscripta limitibus ad arbitrium delegantis (can. 878, § 1). Nec remedium adductum per paragraphum secundam eiusdem can. 878 practice sufficiens esse demonstratur ipsa praxi, pluribus in dioecesibus invalescenti, delegationem nonnisi restrictam, ad tempus praesertim quod attinet, concedendi.

b) Accedit et ratio practica inutilium repetitionum instantiarum ad licentias obtinendas, nunc in una, nunc in alia dioecesi necessario faciendarum, quae ministerium sacerdotale innecessario gravamine onerantur.

c) Quapropter, semel probata ministri idoneitate et maturitate ad confessiones audiendas, videretur nonnisi *exceptionaliter,* ob graves et positivas rationes, eidem restringendum iri suae facultatis exercitium.

C) PRACTICA SOLUTIO PROPONITUR

Quibus rationibus exstantibus, audemus proponere quamdam possibilem solutionem, ut practice difficultatibus obvietur et bono animarum melius privideatur.

I. Quoad subiectum activum delegationis

Cum necessitatibus ministerii confessionum, interdioecesani praesertim, non sufficienter provideatur per delegationem ab unoquoque Ordinario loci obtinendam, suoque territorio necessario restrictam, optandum foret ut modus concessionis iurisdictionis delegatae *ipso iure,* in Codice quibusdam tantum circumstantiis peculiaribus restrictus, ulterius amplietur, ita ut sacerdotibus probatis idoneis confessionum ministerium pateat, *ubique terrarum,* nisi aliquid pro casibus particularibus excipiatur.

Inter modos possibiles hanc generaliorem delegationem ipso iure inducendi, hunc proponimus:

a) Sacerdos ad confessiones audiendas probatus idoneus et ab Ordinario propriae dioecesis delegatam potestatem recipiens, eo ipso confessiones audire valeat ubique terrarum, nisi aliquid gravi de causa pro eo excipiatur.

b) Quoad sacerdotes religiosos et aliorum institutorum Statuum Perfectionum sodales, Ordinarius in casu intelligatur Ordinarius loci, in quo sita est domus religiosa, ad quam sacerdos pertinet. Ordinarius tamen eisdem iurisdictionem ne concedat, nisi postquam fuerint a proprio Superiore maiori praesentati; iis vero qui a proprio Superiore praesententur, sine gravi de causa eam ne deneget.

c) Ordinariis autem locorum ius esto peculiares hac de re normas huic iuri non contrarias edere et sacerdoti alicui particulari, ob graves causas suo prudenti iudicio perpendendas, ministerium confessionum in suo territorio interdicere.

II. Circa iudicium de idoneitate ministri

Optandum esset ut iudicium de idoneitate et maturitate sacerdotis ad confessiones audiendas eliciatur a proprio sacerdotis Ordinario vel respective Superiore religioso, postquam ille integrum curriculum ecclesiasticum feliciter superaverit. Quapropter, salvo meliori iudicio, sic rem proponimus ordinandam.

a) Nullus sacerdos ad munus confessarii admittatur, antequam a competenti Superiore ecclesiastico idoneus ad hoc declaretur.

b) Iudicium de idoneitate ministri ad confessiones audiendas pertinet, si de clericis saecularibus agatur, ad Ordinarium propriae dioecesis; si de sacerdote religionis clericalis vel aliorum institutorum Statuum perfectionis sodali, a proprio Superiore maiori; si de sacerdote agatur alicuis instituti laicalis, iudicium profertur ab Ordinario loci, postquam praecesserit praesentatio proprii Superioris maioris.

c) Iudicium tamen idoneitatis definitivum a Superiore competenti ne proferatur, nisi post completum curriculum ecclesiasticum et examinibus superatis, de quibus in cann. 130 et 590.

d) Si post emissum de idoneitate iudicium, Superior prudenter iudicaverit num sacerdos a se probatus pergat adhuc idoneus esse, eum ad novum doctrinae periculum adigat et interea, si opus fuerit ab hoc ministerio exercendo removeat.

III. Circa delegationis restrictiones

Postquam sacerdos a suo competenti Superiore declaratus fuerit ad munus confessarii idoneus et maturus, optandum fuisset ut necessaria iurisdictio eidem concedatur, ad instar principii generalis, absque restrictionibus, nisi in casu aliquo particulari graves rationes, iudicio Ordinarii concedentis perpendendae, aliud suadeant.

Quapropter sacerdoti legitime probato facultates audiendi confessiones ordinario concedantur, dummodo huius ministerii exercitium eidem non fuerit a proprio Superiori interdictum.

DE RELIGIOSARUM CONFESSARIIS

Agemus de iurisdictione speciali ad confessiones religiosarum et novitiarum audiendas, de confessariis qui videntur retinendi vel auferendi, de confessariorum designatione, de actuali legislatione hac in re innovanda.

I. De iurisdictione speciali ad confessiones religiosarum et novitiarum audiendas.

a) *Principium generale* de necessitate peculiaris iurisdictionis eiusque exceptiones habentur in can. 876 § 1. « Revocata qualibet contraria particulari lege seu privilegio, sacerdotes tum saeculares tum religiosi cuiusvis gradus aut officii, ad confessiones quarumcumque religiosarum ac novitiarum valide et licite recipiendas peculiari iurisdictione indigent, salvo praescripto can. 239 § 1, n. 1, 522, 523 ». Igitur norma generalis

est haec: omnes sacerdotes iurisdictione peculiari indigent ad audiendas confessiones quarumcumque religiosarum ac novitiarum, uti confessarii ordinarii (can. 520 § 1), speciales (can. 520 § 2), extraordinarii (can. 521 § 1), adiuncti seu ad casum (can. 521 § 2); exceptiones vero istae sunt: Patres Cardinales peculiari iurisdictione non egent (can. 239 § 1, n. 1), nec confessarii occasionales (can. 522), nec illi qui ad religiosam graviter infirmam audiendam vocantur (can. 523), quibus addendi sunt omnes sacerdotes, etiam quacumque approbatione ad confessiones audiendas expertes, in periculo mortis (can. 882).

b) *Huius principii seu normae generalis ambitus* ex interpretatione can. 522, sive *authentica* (*Comm. Inter.*, 24 nov. 1920, *A.A.S.* 12 [1920] 575; 28 dec. 1927, *A.A.S.* 20 [1928] 61; 12 febr. 1935, *A.A.S.* 27 [1935] 92), sive doctrinali ita coarctatur ut vix unquam in praxi peculiaris iurisdictio ad religiosarum ac novitiarum audiendas probatur ad validitatem necessaria. Sensus enim praefati canonis talis est ut clausula « ad tranquillitatem conscientiae », non afficiat confessionis valorem et satis est si religiosa confessionem *serio* instituat apud quemcumque confessarium pro mulieribus ab ordinario loci approbatum, sive illum ad confessionem peragendam adeat sive etiam illum arcessat seu consulto advocet; et quamvis conditio loci ad confessiones eiusmodi audiendas validitatem afficiat, locus potest esse ecclesia, oratorium publicum aut semi-publicum, omnis locus ad mulierum confessiones habitualiter vel per modum actus legitime destinatus, imo seu specialiter in casu particulari ad normam can. 910 § 1, electus, scilicet « extra sedem confessionalem ex causa infirmitatis aliave verae necessitatis ».

Proinde peculiaris iurisdictio de qua in principio seu norma generali can. 876 § 1, certo necessaria esset ad validitatem confessionis casu quo haec extra sedem confessionalem, quin adesset infirmitas nec alia vera necessitas, institueretur. Hic casus, si non mere hypotheticus, erit quidem valde rarus, et semper illicitus.

Praeterea, si quid opinor, minime expedit sacramentum poenitentiae invaliditati exponere ob loci circumstantiam, quando ipsius loci electio in casu infirmitatis *aliaeve verae necessitatis* confessario et religiosae tribuitur, hoc enim anxietatibus conscientiae, ex parte praesertim religiosae ansam praebere potest, v. gr. quia fortassis conscientiae necessitatem, adeundi sedem confessionis difficultatem, timorem a Superiorissa veniam non obtinendi, etc. exaggeravit, ideo probabiliter saltem confessio invalida extitit. Satis quippe est confessionem extra sedem confessionalem peractam, quin detur infirmitas aliave vera necessitas, illicitam retinere ad normam can. 910 § 1.

c) Attenta similiter interpretatione can. 522 *quid sentiendum de*

confessariis adiunctis seu ad casum (can. 521 § 2)? Proculdubio iam minoris momenti dicenda videtur eorum designatio cum religiosae quemcumque confessarium pro mulieribus ab Ordinario Loci approbatum adire possunt vel ipsum advocare seu arcessere. Insuper quamplurimae adsunt communitates religiosarum quae confessarios adiunctos designatos non habent, vel quia eorum necessitas ab Ordinario haud perspicitur vel quia tot sacerdotes designandos habere difficile vel impossibile quoque est. Ideo, si hoc praescriptum adhuc retinendum videtur, eos designare aut secus, Ordinario loci arbitrio relinquatur.

d) *Ambitus can. 522 etiam praescriptum can. 523 afficit* cum vi illius canonis valent quoque omnes religiosae cum graviter aegrotant quemlibet sacerdotem ad mulierum confessiones excipiendas approbatum arcessere eique perdurante gravi infirmitate quoties voluerit confiteri nec Antistita potest eas prohibere (can. 522, 523).

e) *Tandem amplissima interpretatio* can. 522 nobis non videtur arctanda sed firmiter tenenda. Can. 595 § 1, n. 3 enim Superioribus religiosis imponit ut curent accessum religiosorum ad poenitentiae sacramentum semel saltem in hebdomada et religiosae, ut plurimum, hanc obligationem fideliter adimplere cupiunt ut puritati conscientiae consulant; iam vero saepius ob diversa adiuncta uti, confessarii ordinarii absentiam infirmitatis, laboris, feriarum causa, vel confessariorum deputationis dilationem, contingere solet ut religiosae per aliquot hebdomadas confessionem omittant, nisi confessarium adeant seu advocent qui pro mulieribus a loci Ordinario est approbatus, quod quidem non modo in parvis pagis verum etiam in magnis civitatibus, ubi haud pauci sunt sacerdotes, contingere novimus. Praeterea Ecclesia ut illa necessitas accedendi ad S. Communionem quin status gratiae per confessionem sacramentalem obtineatur, de qua in can. 856, pro posse minuatur, ita confessariorum copiam curare praecipit ut fere semper occasio adsit ante S. Eucharistiae susceptionem confessionem instituendi; aptius quidem tum debitae reverentiae erga tantum Sacramentum tum fructuosae receptioni ita consulitur. Talis vero copia confessarii solum per confessarium occasionalem facile obtinebitur.

II. De confessariis retinendis vel auferendis

Confessarii sive *ordinarii* sive *extraordinarii* omnino retinendi sunt, et confessio quae apud illos statis temporibus perfici debet enixe est urgenda. Hoc namque verum bonum religiosarum ac communitatum exspostulat. Omnimoda enim libertas adeundi vel advocandi unum vel plures confessarios etiam per modum habitus non modo in detrimentum disciplinae religiosae saepius vergeret, unitatem directionis com-

munitatis eiusque pacem praepediret, sed a Superioribus quoque facultatem auferret viros scientia, pietate, prudentia ac vitae religiosae experientia commendatos ad munus confessarii religiosarum deligendos.

Confessarius specialis (can. 520 § 2) quatenus locum ordinarii tenet pro aliqua religiosa manere potest. *De adiunctis* iam innuimus hodie illos esse minoris momenti, at, cum aliquando utiles esse valent, quin eius constitutio praecipiatur, detur dumtaxat Ordinario facultas, non iussus, ipsos designandi, praesertim si a religiosis expostulantur.

Confessarii occasionales prorsus retinendi sunt nisi expedire iudicetur, salvis quae de ordinariis, specialibus, extraordinariis et adiunctis diximus, religiosas feminas aliis mulieribus ad confessiones quod spectat aequiparare. Confessarii pro religiosis mulieribus graviter aegrotantibus videntur supprimendi.

III. De confessariorum designatione

Nullibi datur communitatibus religiosis ius proponendi vel suggerendi confessarios ne quidem ordinarios et extraordinarios, quamvis haud prohibeatur, uti aliquando fit, communitatem in hac re interrogare. Ex can. 526 autem Ordinarii loci ius est non modo per triennium verum etiam, servatis in ipso canone statutis, ad secundum et tertium triennium eundem confessarium ordinarium designare et cum, alio assumpto confessario, hoc idem semper iterare potest, sequitur confessarios tum ordinarios, tum extraordinarios iuridice ab Ordinario loci semper imponi (can. 525), nisi de exemptis sit quaestio quia tunc Superiori regulari ius est eosdem praesentare. Esto quod plerique Ordinarii communitates invitant ad sacerdotes idoneos suggerendos et plerumque eosdem eligunt, at nulla lex Ordinario hoc invitamentum praescribit et, haud infrequenter, accidere solet Ordinarios locorum omnem confessariorum propositionem ex parte religiosarum interdicere quamvis ii non modo idonei verum et magis idonei de facto extiterint.

Igitur ad religiosarum libertatem quae ex rerum conscientiae natura enascitur, sancte tuendam atque spiritualem profectum earumdem securius obtinendum, ius proponendi idoneos sacerdotes qui, quatenus fieri potest, spiritum proprii instituti possideant aut cognoscant, ipsis agnoscendum videtur, ut Ordinarii locorum, si vere idonei sunt, illos confessarios ordinarios et extraordinarios, instituant.

IV. Iuxta ea quae modo expendimus sequentes innovationes in canonibus de confessariis religiosarum viderentur inducendae:

Can. 876 § 1. Revocata qualibet contraria particuari lege seu privilegio, sacerdotes tum saeculares tum religiosi, cuiusvis gradus et officii, ad confessariorum quarumcumque religiosarum et novitiarum munus de quibus in can. 520 et 421, licite fungendum speciali designatione indigent, salvo praescripto can. 239 § 1, n. 1 et can. 522.

§ 2. Hanc designationem peragit loci Ordinarius ubi religiosarum domus sita est, ad normam can. 525.

Can. 521 § 2. Saltem illa clausula: « pro singulis domibus designent » substituatur hac altera: « pro singulis domibus designare poterunt... ».

§ 3. Constituere poterit alium canonem qui ad omnes confessarios in duobus canonibus praecedentibus memoratos sese referat.

Can. 522 sic proponi poterit: « Servata lege de confessione apud confessarium tum ordinarium tum extraordinarium statis temporibus peraganda, si aliqua religiosa confessarium adeat vel eum advocet ab Ordinario loci pro mulieribus approbatum, confessio valida et licita est, revocato quolibet contrario privilegio; neque Antistita id prohibere potest aut de ea re inquirere, ne indirecte quidem; et religiosae nihil Antistitae referre tenentur ».

Can. 523 supprimatur.

Can. 525. Alteram paragraphum adderem: « Loci Ordinarius qui sacerdotes a confessionibus tum ordinarios tum extraordinarios elegit et negligentiam Superioris regularis supplet, religiosarum communitatem invitet ut sacerdotes ad praefatum munus designandos proponat et, si idonei inventi fuerint, Ordinarius ipsos eligat.

Haec pauca, maxima cum reverentia, mihi innuenda videbantur, aliis omissis, de confessariis religiosarum, ut legislatio canonica actuali praxi et temporum exigentiis aptius concordet.

DE SACRA ORDINATIONE RELIGIOSORUM ET SODALIUM SOCIETATIS IN COMMUNI VIVENTIUM SINE VOTIS

Actualis disciplina de sacra Ordinatione religiosorum et sodalium in communi viventium sine votis reformatione in quibusdam indigere persentitur. Primo praesentem disciplinam de incardinatione ratione ordinationis, de litteris dimissoriis, de titulo canonico memorabimus, deinde nonnullas incongruentias atque difficultates quae ex applicatione praesentis disciplinae proveniunt exponemus, tandem proponemus reformationem quae nobis videtur inducenda.

I. Praesens disciplina

a) *De incardinatione ratione ordinationis.*

Codex Iuris Canonici a clericis vagis abhorret, seu non amplius ordinationes absolutas concedit, nam « quemlibet clericum oportet esse vel alicui dioecesi vel alicui religioni adscriptum, ita ut clerici vagi nullatenus admittantur » (can. 111). Attamen incardinatio absoluta et perpetua exigitur dumtaxat pro ordinatione « in sacris », cum litteras dimissorias ad ordines minores Superiores dare queant, quin perpetua et absoluta incardinatio dioecesi vel religioni sequatur (can. 964, 3° et 4°); aliter autem dicendum pro ordinibus maioribus quorum susceptio praefatam incardinationem perpetuam et absolutam alicui dioecesi vel religioni semper expostulat (can. 111, 956, 964, 3° et 4°). Haec adscriptio, qua religiosus etiam quatenus clericus perpetuo et absolute suae religioni adscribitur, habetur dumtaxat per professionem perpetuam sive solemnem sive simplicem (can. 115, 585).

Inde omnis religiosus tum ordinis tum congregationis qui vota perpetua nondum emiserunt, religiosus congregationis in qua vota tantum temporalia nuncupantur et alumnus societatis in communi viventium sine votis ad ordines maiores promoveri nequeunt, salvo peculiari indulto vel privilegio, quin alicui dioecesi incardinentur.

Cuinam autem est religiosos et alumnos societatum sine votis dioecesi incardinare? Sacri canones sequens principium statuunt: « Ordinatio ... omnium alumnorum cuiusvis religionis [non exemptae] regitur

iure saecularium » (can. 964, 4°) et similiter « in iis quae ... ad suscipiendos ordines pertinent, sodales », societatem sine votis « iisdem legibus tenentur ac saeculares clerici » (can. 678). Iamvero can. 956 disponit: « Episcopus proprius, quod attinet ad ordinationes saecularium, est tantum Episcopus dioecesis in qua promovendus habet domicilium una cum origine aut simplex domicilium sine origine; sed in hoc altero casu promovendus debet animum in dioecesi perpetuo manendi iuramento firmare, nisi agatur de promovendo ad ordines clerico qui dioecesi per primam tonsuram iam incardinatus est, vel de promovendo alumno, qui servitio alius dioecesis destinatur ad normam can. 969 § 2, vel de promovendo religioso professo de quo in can. 964, 4° ».

Cum autem religiosi et sodales societatis sine votis tantum domicilium sine origine habere soleant et quidem in dioecesi ubi sita est domus religiosa ad cuius familiam pertinent (can. 965), ad Episcopum huius dioecesis spectabit non modo praedictis religiosis et sodalibus ordines conferre, verum etiam, nisi de perpetuo professis agatur, eos incardinare vel propriae dioecesi vel, ad normam fere can. 969 § 2, dioecesi illius Episcopi qui suis litteris paratum se dixit illos incardinare, eo tantum in finem ut si e religione aut societate quacumque ex causa exeant in propria dioecesi recipiat.

b) *De litteris dimissoriis.*

Litterae dimissoriae illae sunt quibus legitimus Superior proprium subditum, ad normam iuris, mittit ad Episcopum ut iste eidem ordines conferat. In huiusmodi litteris Superior testari debet subditum esse ornatum omnibus iis quae a sacris canonibus pro ordine vel ordinibus recipiendis statuuntur (can. 995 § 1).

Iure Codicis Superior maior religionis exemptae etiam laicalis — quia nulla fit distinctio — litteras dimissorias concedere potest (can. 964, 2°) pro suis subditis; et quidem professis votorum simplicium de quibus in can. 574 § 1 ad primam tonsuram et ordines minores, professis vero votorum perpetuorum ad ordines quoque maiores (can. 964, 3°). Ex indulto vel privilegio etiam Superiores plurium religionum non exemptarum et societatum in communi viventium sine votis idem facere queunt iuxta tenorem indulti vel privilegii (can. 964, 4° et 678), « revocato quolibet indulto Superioribus concesso dandi professis a votis temporariis litteras dimissorias ad ordines maiores » (can. 964, 4°). Iure vero communi ii religiosi vel sodales aut litteris dimissoriis non egent sed tantum litteris testimonialibus (can. 958), quando nimirum a proprio Episcopo ordinationis eisdem ordines conferuntur, aut iste Episcopus tribuit si ab Episcopo alieno ordines suscipere debent (can. 961).

c) *De titulo canonico.*

Pro omnibus ordinandis in sacris titulus canonicus sustentationis exigitur. Pro regularibus « est solemnis religiosa professio seu titulus qui dicitur paupertatis; pro religiosis votorum simplicium perpetuorum est titulus mensae communis, Congregationis aliusve similis, ad normam constitutionum; ceteri religiosi, etiam ad ordinationis titulum quod attinet, iure saecularium reguntur » (can. 982). Igitur religiosi qui vota dumtaxat temporaria nuncupant et sodales societatum sine votis (can. 678) titulum beneficii, eoque deficiente, patrimonii aut pensionis » habere debent (can. 979 § 1), quique titulus haud suppleri potest titulo servitii dioecesis aut missionis uti planum est (can. 981 § 1).

II. Nonnullae incongruentiae et difficultates ex praesentis disciplinae applicatione.

a) *Quoad incardinationem,*

quisque colligere potest difficultates frequenter inveniri ad Episcopum incardinationis habendum. Cum enim religiosi votorum tantum temporariorum et sodales societatis sine votis iure saecularis clerici ordinari debent, Episcopus ordinationis (can. 965) erit quoque incardinationis, verum iure merito legislatorem noluisse tantum onus Episcopo ordinationis imponere canonistae sustinent, si autem tale onus ei non imponitur nullum aliud, ex iure communi, suppetit medium nisi Episcopum invenire qui se paratum exhibeat ad religiosum vel sodalem propriae dioecesi incardinandum eo tantum in finem ut religiosum vel sodalem recipiant si religionem vel societatem valedicat aut ab ea dimittatur. Huiusmodi autem Episcopum incardinationis habere haud facile erit sive quia religiosi aut sodales qui religionem seu societatem valedicunt ex optimis esse non solent, sive quia ei non suppetit ius experimenti ad normam can. 641 § 1 et 2, sed sodalem vel religiosum incardinatum recipere tenetur, sive tandem quia dum religiosus vel sodalis egreditur maiori sacerdotum numero in sua dioecesi forte non eget.

b) *Quoad litteras dimissorias et testimoniales,*

pro ordinatione religiosorum tum votorum perpetuorum tum tantum temporariorum et societatum sine votis sodalium quaedam saltem incongruentia nonnihil momenti detegitur. Etenim prudens de idoneitate candidati iudicium nonnisi Superiores interni dare queunt qui, ut plurimum, perdurante toto curriculo formationis scientificae, religiosae et sacerdotalis non modo candidato adstiterunt atque illum invigilarunt,

verum saepius, collatis consiliis cum institutoribus, de eiusdem idoneitate accuratum examen instituerunt, iusiurandum candidati ad normam Instructionis S. Congregationis de Religiosis diei 1 dec. 1931 susceperunt atque de recepto iuramento testari tenentur. Praeterea religiosi votorum perpetuorum per haec vota religioni incardinantur etiam qua clerici, et religiosi votorum dumtaxat temporariorum et sodales societatis sine votis dioecesi incardinantur ad hoc dumtaxat ut propriam dioecesim si quavis de causa e religione vel societate egrediantur habeant, at dum in proprio instituto perseverant, perinde inveniuntur ac si eidem, etiam quatenus clerici incardinati haberentur. Quapropter saltem minus congruum videretur dicendum Superiores istiusmodi institutorum orbatos esse facultate dandi litteras dimissorias, et semper competere Episcopo eas dare qui fortassis nullum iudicium de candidati idoneitate efformare valet nisi in Superioris testimonio nisus et ordinandus subditus eius vix dici potest dum in proprio instituto vivere pergat.

c) *Quoad titulum ordinationis,*

haud parvi momenti difficultates in praxi experiuntur in religionibus votorum tantum temporariorum et societatibus sine votis cum eorum alumni etiam hac in re iure saecularium reguntur (can. 982 § 3) ideo ordinandi sunt ad titulum beneficii, patrimonii aut pensionis (can. 979 § 1) non autem servitii dioecesis aut missionis quia in servitium proprii Instituti ordinantur. Titulus tamen beneficii cum importet officium sacrum (can. 1409) rarius habebitur, frequentius autem patrimonii aut pensionis, at non pauci erunt casus in quibus titulum constituere valde difficile erit, nisi ab eodem Instituto cui ordinandus pertinet, pensio assignetur.

Praefatae difficultates et incongruentiae in praxi ita verae probantur ut Sancta Sedes plerisque institutis votorum perpetuorum facultatem fecit litteras dimissorias tribuendi, et institutis votorum tantum temporariorum et societatibus sine votis tum facultatem propriis sodalibus dandi litteras testimoniales, tum ordinationis titulum constituendi (vide Cappello, *De sacramentis,* n. 428, 4, 5) uti religiosis a votis perpetuis ex iure communi competit (can. 982 § 2). De cetero vinculum sodalium erga societatem, quamvis votis publicis non firmetur, prope eiusdem roboris saepius aestimatur perinde ac religiosorum erga propriam religionem, uti ex can. 681 facile colligitur.

III. Reformatio quae in hac re inducenda videtur

Quo magis hodierna legislatio actuali rerum statui concordet ac practice difficultates atque incongruentiae vitentur, videtur tribuendum iure communi quod saepius hodie Sanctae Sedis indultis conceditur scilicet ut Superiores religionum a votis perpetuis, praeter id quod eis actuali iure circa ordinationes tribuitur, litteras dimissorias quoque dare valeant, et Superiores sive religionum votorum dumtaxat temporariorum saltem iuris pontificii tum litteras dimissorias concedere tum iure uti quod nunc religiosis votorum perpetuorum quoad ordines spectat (can. 965, 966, 982 § 2).

Ordines maiores tamen religiosi votorum tantum temporariorum minime suscipiant priusquam illam probationis religiosae maturitatem, ad quam adipiscendam ordinatur dispositio can. 574, probe adepti fuerint.

Praeterea si e religione vel respective societate egrediantur ipsis can. 641, 670, 671 aliaeque dispositiones Codicis iuxta casus applicentur.

Haec dicta retineantur salvo meliori iudicio et cum omnimoda filiali adhaesione auctoritati Sanctae Sedis.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONIALIBUS

Quaedam mutationes inducendae videntur in legislatione hodierna, ut praescripta circa impedimenta matrimonialia exigentiis nostri temporis accommodentur. Quapropter, tradito imprimis conspectu legislationis hodiernae, quasdam adiungam animadversiones et tandem mutationes, salvo meliori iudicio, opportune inducendas indicabo.

A) IMPEDIMENTORUM CONSPECTUS IUXTA CODICEM I. C.

Ratione effectus impedimenta dividuntur in *impedientia* et *dirimentia,* prout matrimonium respective vel solumodo illicitum vel illicitum simul et invalidum efficiunt.

Inter impedimenta dirimentia Codex ulterius distinguit inter impedimenta « *gradus maioris* » et « *gradus minoris* » (can. 1042 collatus cum can. 31, § 2 Codicis pro Orientalibus). Differentia praecipua inter impedimenta « gradus maioris » et « gradus minoris » habetur in facilitate cum qua Ecclesia in impedimentis « gradus minoris » dispensat. Imo iuxta can. 1054 « Dispensatio a minore impedimento concessa nullo sive obreptionis sive subreptionis vitio irritatur, etsi unica causa finalis in precibus exposita falsa fuerit ». En ergo conspectus impedimentorum iuxta disciplinam hodiernam:

- Impedimenta
  - Impedientia
    - Vota simplicia
    - Mixta religio
    - Cognatio legalis
  - Dirimentia
    - Gradus maioris
      - Aetas
      - Impotentia
      - Vinculum
      - Disparitas cultus
      - Ordo sacer
      - Votum sollemne
      - Raptus
      - Crimen cum coniugicidio
      - Consanguinitas usque ad II gradum
      - Affinitas usque ad I gradum
      - Publica honestas in I gradu
      - Cognatio legalis
    - Gradus minoris
      - Consanguinitas in III gradu
      - Affinitas in II
      - Publica honestas in II
      - Cognatio spiritualis
      - Crimen sine coniugicidio

B) ANIMADVERSIONES

Animadversiones respiciunt solummodo impedimenta dirimentia *gradus minoris* et impediens *mixtae religionis*.

I. Quoad impedimenta gradus minoris in genere

Ad impedimenta gradus minoris in genere quod attinet, iam vidimus dispensationem super iisdem faciliter concedi et concessam nullo sive obreptionis sive subreptioni vitio irritari, etsi unica causa finalis in precibus exposita falsa fuerit. Practice ergo sufficit huiusmodi dispensationem petere ut concedatur. Iamvero incongruum videtur adhuc urgere vim irritandi impedimentorum in quibus tam faciliter dispensatur. Optandum ergo videtur ut praedicta impedimenta gradus minoris vel omnino supprimantur vel saltem vi irritativa priventur.

II. Quoad impedimenta gradus minoris in specie

a) *Consanguinitas in III gradu lineae collateralis*:

Hoc impedimentum non videtur amplius urgendum, attenta praesertim praxi Ecclesiae in eodem tam faciliter dispensandi. Eo vel magis quod rationes ob quas, iuxta auctores, impedimentum consanguinitatis

statuitur, pro hoc gradu non valent. Permissio enim matrimonii inter personas in hoc gradu constitutas neque periculum constitueret pro prole, contrahendi scilicet tabes haereditarias utrique coniugi communes neque grave periculum constitueret pro bonis moribus inter consanguineos in hoc gradu.

b) *Affinitas in II gradu lineae collateralis*:

Etiam hoc impedimentum superfluum videtur. Nam familiaritas quae inter huiusmodi personas intercedit non videtur exigere ut impedimentum dirimens inter easdem habeatur.

c) *Publica honestas in II gradu*:

Etiam hoc impedimentum inter illa gradus minoris adnumeratur. Notandum tamen est casus in quibus habetur rarissimos esse, ob magnam aetatis differentiam quae generatim inter personas in hoc gradu constitutas habetur. Attenta insuper praxi Ecclesiae etiam in illis casibus rarissimis dispensandi, non videtur quare adhuc urgeatur saltem uti impedimentum dirimens.

d) *Cognatio spiritualis*:

Non videtur quare cognatio spiritualis constituat impedimentum dirimens. Si adhuc servandum videtur hoc impedimentum, vi saltem irritativa destituatur.

e) *Crimen ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii:*

Ad hoc impedimentum quod attinet, non solummodo faciliter dispensatur et dispensatio valet ad normam can. 1054, sed de eodem valet praescriptum can. 1053: « Data a Sancta Sede dispensatio super matrimonio rato et non consummato vel facta permissio transitus ad alias nuptias ob praesumptam coniugis mortem, secumfert semper dispensationem ab impedimento proveniente ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii, si qua opus sit... ». Quare ergo uti impedimentum dirimens adhuc sustinetur?

III. Quoad impedimentum mixtae religionis

Quaedam incongruentia in legislatione hodierna apparet etiam ex comparatione inter impedimentum mixtae religionis et impedimenta dirimentia gradus minoris de quibus supra.

Ex experientia constat matrimonia mixta raro admodum faustum exitum habere. Mala enim quae ex iisdem sequuntur tum pro fide coniugis catholici tum pro religiosa educatione prolis maxima esse solent. Ad quod comprobandum sufficit inspicere recentiora data statistica hac de re edita.

Hoc tamen impedimentum in hodierna legislatione non est dirimens,

sicuti sunt e contra impedimenta gradus minoris de quibus supra. Salvo meliori iudicio, putarem impedimentum mixtae religionis magis urgendum esse et quidem uti impedimentum dirimens. Ita etiam fideles efficacius ab huiusmodi matrimoniis mixtis contrahendis arcerentur et multa mala spiritualia impedirentur.

C) VOTUM

Quibus omnibus perspectis, sequentes mutationes in legislatione canonica indicendas proponerem:

1. Distinctio inter impedimenta dirimentia « gradus maioris » et « gradus minoris » supprimatur, abrogatis canonibus 1042 et 1054.

2. Impedimenta quae nunc dicuntur « gradus minoris » vel omnino supprimantur vel saltem omni vi irritativa priventur.

3. Circa impedimenta « gradus minoris » usque nunc vigentia modo sequenti, salvo meliori iudicio, disponendum esse crederem:

a) Impedimenta consanguinitatis in III gradu lineae collateralis, affinitatis in II gradu lineae collateralis et publicae honestatis in II gradu abrogentur, propter rationes supra expositas.

b) Impedimentum cognationis spiritualis fiat simpliciter impediens, sicut et impedimentum criminis ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii. Ex una enim parte non videntur omnino supprimenda, alia vero ex parte attenta praxi in iisdem faciliter dispensandi non videtur quare urgeatur eorum vis irritativa .

c) Ad efficacius arcenda illa mala spiritualia quae ex matrimoniis mixtis tum coniugi catholico tum proli obvenire solent, mixta religio impedimentum dirimens declaretur.

D) APPENDIX

Ad modum appendicis quaedam inconvenientia notare vellem in praescripto can. 1051 in quo statuitur: « Per dispensationem super impedimento dirimente concessam sive ex potestate ordinaria, sive ex potestate delegata per indultum generale, non vero per rescriptum in casibus particularibus, conceditur quoque eo ipso legitimatio prolis, si qua ex iis cum quibus dispensatur iam nata vel concepta fuerit, excepta tamen adulterina et sacrilega ».

Animadversiones:

1. Praescriptum videtur superflue complicari per insertionem clausulae « non vero per rescriptum in casibus particularibus ». Quare haec exceptio?

2. Ex hoc canone aliqui auctores deducunt dari casus in quibus proles legitimatur quin sequatur matrimonium; quod inconveniens videtur.

VOTUM

Optandum ergo videtur ut can. 1051 ita reformetur: « Dispensatio super impedimento dirimente concessa efficit ut, celebrato vel convalidato matrimonio, eo ipso legitimetur proles, si qua ex iis cum quibus dispensatur iam nata vel concepta fuerit, excepta tamen adulterina et sacrilega ».

DE OFFICIO DIVINO

INTRODUCTIO

Plura proponi possent et de facto a variis auctoribus proponuntur ad Officii divini renovationem et adaptationem efficiendam ut oratio officialis Ecclesiae diurna magis sit proficua omnibus qui eam persolvunt et ad maiorem aedificationem fidelium inservire possit.

Nos duo tantum in lucem ponere velimus:

I. De usu psalterii Gallicani.

II. De lectionibus nocturnorum.

I. De usu psalterii Gallicani

Nostra intentio non est reprobare novam versionem psalterii ab Instituto Biblico egregie peractam et a Pio XII, f. m., approbatam pro recitatione divini officii. Quaedam tamen in favorem psalterii Gallicani proponere nobis liceat, optantes ut liberum sit textum reformatum in recitatione servare.

Intima intercedit connexio inter traditionalem textum Psalterii et litteraturam liturgicam, exegeticam, theologicam, necnon — quod potioris momenti aestimamus — spiritualem atque mysticam Ecclesiae.

Non agitur solum de citationibus expressis aut implicitis. Totus loquendi modus, omnes conceptus, concretae experientiae fidei ex versione biblica ab Ecclesia officialiter proposita formatae sunt.

Tam in recitatione liturgica quam in oratione christiana Psalterium intime cum formulis ab ipsomet enatis nectatur oportet.

Possibile hic non est facta demonstrare, quae ceteroquin omnibus clara sunt et cognita.

Sufficiat nobis meminisse operis nuper editi a monachis Abbatiae

S. Hieronymi de Urbe, qui publice deputati sunt ab Ecclesia ad Vulgatam recognoscendam atque emendandam, quique plus quam viginti annorum experientia laboribusque insignes evaserunt: « Richesses et déficiences des anciens psautiers latins » (Rome, Librairie Vaticane, 1959); vel etiam provocare ad argumenta J. Ziegler..., Rev. Domini B. Capelle..., C. Mohrmann.

Comparatio inter Psalterium Instituti Biblici et Gallicanum plura diversaque facta revelat, quae consideratione digna videntur ut Psalterium liturgicum melius fiat:

1. *Significationes inversae* (« *contresens* ») *Psalterii Gallicani.*

Non innumerae omnino dicendae sunt. Si psalmorum quidam plures exhibent, multi tamen prorsus immunes sunt.

Versiones quae falsam significationem reddunt generatim in traditionem receptae non fuerunt; si quae tamen adhibitae sint, quaerendum est num potius agatur de casu infra, § 4, discutiendo.

2. *Modi dicendi « hebraismi » Psalterii Gallicani.*

Saepe antiquae versiones nativam linguam serviliter reddunt, parum latine, ideoque obscure.

Novum Psalterium aptius et clarius vertit. In exemplum: modus reddendi particulas coordinantes et subordinantes; tempus perfectum latinum vertens tempus perfectum hebraicum; usus casus genitivi subordinati loco adiectivi; vel etiam quando versiones stabiles et fixae imponunt linguae latinae significationes aut contextus non usitatos.

In eiusmodi casibus diiudicandis distinguendum est. — Si mos christiane loquendi praedictos « hebraismos » non intellexit neque plene assecutus est, emendatione opus est. — Sin autem late a liturgia, vel a Patribus, vel a mysticis recepti sunt, profundius populo christiano panderunt sensum textus inspirati quam leves interpretationes, quae plus nimio distare solent a nativa locutione hebraica. Et tunc servandi sunt.

3. *Locutiones « vulgares » Vulgatae.*

Antiquae versiones latinae non lingua classica, sed lingua eo tempore usitata excussae sunt.

Inde a renatis litteris (Renaissance) grammatici in hac re offenderunt.

Pleraeque emendationes novi Psalterii praefatas senioris linguae latinae imperfectiones amovent, maioris elegantiae atque claritatis beneficio.

Ceterum evolutio ipsa et perfectio philologiae latinae progressum, maiorem etiam quam renovatae litterae optaverint, adduxit.

In scholis universitatum ferme ubique cultus actus est linguae latinae christianae, saepe plus quam linguae academicae.

Hoc ipsum ad primam quoque institutionem linguae latinae pedetentim adveniat necesse est; quo facto ea, quae prius obscura et mira videbantur, perspicua et communia fient. Ideo nulla necessitas praeproperae emendationis academicae urget.

Praeterea Psalterium textum poeticum praebet atque cantui destinatum.

Veteres versiones latinae, currenti stilo sermoneque confectae, atque ab interprete singulari charismate praedito, saeculorumque pietate illustratae, certum valorem poeticum assequuntur. Conatus quilibet ut, quae nobis aequalia sunt, mortuo aut arido scholastico sermone exprimantur, prorsus sterilis est.

Sicut perspicue exemplum S. Ioannis a Cruce demonstrat, inspiratio quaedam poetica ad veram orationem, quae totius hominis elevationem dicit, fere aeque necessaria est ac nitida perspicuitas conceptuum.

4. *Locutiones « christianae » Vulgatae.*

Non raro veteres versiones, textum nativum hebraicum licet non pessundantes, explicitiorem significationem christianam ei conferunt. Quae res inde explicatur, quod modus vivendi et loquendi populi Israel (ex gr. Templum, Regnum, bella, lex...) valorem ad tempus et typicum habebat, qui pedetentim, prophetarum influxu, declaratus, plene tandem revelatus est in Novo Testamento.

Novum enim Testamentum, imprimis in canticis « Benedictus » et « Magnificat », definitive hunc characterem linguae et syntaxis hebraizantis consecrare videtur.

Potest quidem quandoque modus hic vertendi perpoliri, ordinari, determinari; generatim tamen servandus est.

5. Aliquoties textus hebraicus, nimis obscurus, corruptus videtur, eumque veteres versiones emendare non valent.

Subsidia critica a professoribus Instituti Biblici proposita semper prudentia hac in re elucent atque, salvo meliori iudicio in casibus particularibus, digna sunt quae adhibeantur.

II. De lectionibus nocturnorum

Quicumque lectiones nocturnorum inspicit facile videt in primo nocturno plures earum aedificationi vel instructioni parum inservire, uti sunt illae quae nihil aliud quam genealogias praebent. Lectiones autem secundi nocturni quandoque apparent fundamento historico destitutae ita ut lectores hodiernos etiam pios offendant. Si autem lectiones tertii nocturni inspicimus desiderantur textus qui magis vitam spiritualem

nutrire possint; ad quem finem attingendum etiam textus sanctorum et doctorum recentiorum apte assumi valent.

De his omnibus iam satis est scriptum in variis ephemeridibus nec maiori indiget explicatione. Quae diximus sufficiant ut vota nostra proponere nobis liceat.

VOTA

1. Quantum ad ipsum textum psalmorum attinet: Servata versione Pii Papae XII, fiat etiam versio Vulgatae quae emendetur, et quidem in eodem dicendi genere, — videlicet quantum ad linguam et stilum, qui ei praetium conferunt, — ad mentem Abbatiae O. S. B. Sancti Hieronymi de Urbe.

Praefatus textus emendatus in recitatione divini officii adhiberi possit.

2. Quoad textus Sacrae Scripturae in primo nocturno: derelinquantur quasi omnes textus «historici» Veteris Testamenti et sumantur alii textus sive Veteris sive Novi Testamenti, utilitatem spiritualem directam prae se ferentes.

Idem analogice dicatur de nonnullis commentariis tertii nocturni derelinquendis; desumantur textus meliores sive e Patribus sive ex Doctoribus et Sanctis recentioribus.

Reformatio secundi nocturni quam primum perficiatur.

FACULTAS THEOLOGICA
« MARIANUM »

PROPOSTE VARIE

I. De personis

1. *Formazione del clero*

Non si constata nell'insieme una completa e generale applicazione delle norme emanate dalla S. Sede, tramite numerosi e recenti decreti, circa la formazione spirituale e culturale del clero secolare e regolare. Ne deriva il perpetuarsi di numerosi inconvenienti. Sembra utile perciò che si richiami l'attenzione e si vigili maggiormente sulla stretta applicazione delle norme date e in particolare dei seguenti punti:

che i chierici conseguano convenienti titoli di studio, conformemente alle esigenze della rispettiva nazione;

che nella formazione dei giovani si tengano presenti le condizioni concrete nelle quali dovranno un giorno svolgere il loro ministero;

che i giovani sacerdoti, nelle loro prime esperienze pastorali siano paternamente, personalmene ed attentamente seguiti, sostenuti e corretti.

2. *Scarsità del clero*

Sostenere, poi vagliare e infine propagare tutte quelle iniziative che appaiono adatte ad ovviare alla scarsità del clero che si fa così angosciosamente sentire in certe zone della cristianità.

Mentre, da un lato, appare essenziale conservare la presenza del sacerdote « in loco » (parrocchia, missione ecc.), bisognerebbe ovviare ai pericoli dell'isolamento e rendere più efficace l'azione pastorale tramite la stretta collaborazione particolarmente tra sacerdoti.

Si favoriscano perciò tutte le forme di una certa « vita comune » tra membri del clero secolare, incontri, scambi ecc.; intensificare la collaborazione tra parroci viciniori, tra clero secolare e regolare, tra clero e laicato cattolico; moltiplicare i « centri missionari » nelle zone spiritualmente « depresse ».

Vedere anche in che misura si potrebbe trarre beneficio, particolarmente per le terre di missione, dalla restituzione di ordini maggiori o minori, inferiori al sacerdozio e non condizionati dal raggiungimento del medesimo.

3. *Abito talare*

Le condizioni di vita del sacerdote nella società odierna sembrano postulare un riesame della questione dell'abito ecclesiastico, con norme che vadano incontro alle necessità ma pongano un limite alla indisciplina:

nei paesi dove si è già soliti di non portare in pubblico l'abito talare, si vigili perchè dovunque si indossi l'abito stabilito per gli ecclesiastici;

nei paesi, invece, dove finora è stato possibile conservare l'abito talare sia in pubblico che in privato, si veda se non sia il caso di derogare in casi ben precisati (es. in moto, in montagna ecc.) a tale regola, stabilendo bene a quale divisa comune allora attenersi.

4. *Formazione dei fratelli laici religiosi e delle suore*

Sembra urgente che si impartiscano ormai, per i fratelli laici religiosi e per le suore di vita attiva, delle norme precise comuni relative ad assicurare un minimo soddisfacente di formazione cristiana (certi semplici laici appaiono spesso meglio formati e diretti che dei religiosi), religiosa, intellettuale e professionale (affinchè non si sentano in comunità degli inetti, dei menomati). Esempio: ciò che si è fatto per le monache claustrali con la « Sponsa Christi ».

5. *Attività degli istituti religiosi femminili*

Nell'attività svolta da istituti femminili (ospedali, scuole, pensioni) si eviti:

di sottoporre a accessivo lavoro le religiose con scapito del loro spirito e della loro salute;

di dare all'attività un'impostazione tale che lo scopo di interesse e di lucro sembri prevalere su quello apostolico, o che se ne tragga la conclusione che ci si consacra e ci si occupa più volentieri delle classi sociali più ricche o comunque più dotate.

6. *Organizzazioni laiche cattoliche*

Nelle organizzazioni laiche cattoliche, più che preoccuparsi di esteriorità formalistiche o di manifestazioni di massa (pure esse, *talvolta,* necessarie), si cerchi:

di portare progressivamente i membri ad una vita più integralmente cristiana, ad una più profonda cultura religiosa, alla collaborazione unitaria, umile ma anche impegnativa e responsabile nell'apostolato, particolarmente negli ambienti naturali di vita e di lavoro e in quelli più refrattari all'influsso del sacerdote.

7. *Cattedre di scienze religiose*

Tutto predisporre, particolarmente preparando personale specializzato, per addivenire dappertutto, nel più breve tempo possibile e con la massima serietà scientifica, alla istituzione di cattedre di scienze religiose cattoliche per laici presso gli Atenei civili.

8. *Insegnamento catechistico*

Affrettare l'aggiornamento catechistico, facendo tesoro dei risultati di esperienze locali e tenendo conto anche dei dati certi delle scienze psicologiche e pedagogiche. Dare norme o presentare manuali esemplari per facilitare tale aggiornamento dappertutto.

Preoccuparsi maggiormente della cultura religiosa dei giovani e degli adulti, specialmente uomini, praticanti o meno: in molti di essi, mentre tutto il resto si sviluppa, la cultura religiosa resta allo stadio « dell'infanzia ». Utilizzare ampiamente per questo, oltre i mezzi tradizionali e sacri, anche quelli più moderni di educazione e propaganda popolare, come stampa (meglio curata, quella che già abbiamo, e forse più unificata), cinema, radio-televisione; evitare però, in tale uso, accuratamente (es. nelle sale cinematografiche parrocchiali) ogni finalità ed apparenza di carattere speculativo.

II. De re liturgica et devotionali

1. *Revisione dei libri liturgici*

Promessa, in parte attuata ed attesa da tutti, appare quanto mai desiderabile. Sembra però bene che tale revisione, estesa all'insieme dei libri liturgici, possa entrare globalmente in vigore, forse dopo un periodo di esperimento, per evitare gli inconvenienti che deriverebbero — e in parte già constatati — da una parziale riforma del Breviario o dall'entrata in vigore, in tempi distinti, del Breviario e del Messale revisionati.

2. *Direttorio liturgico*

Per dare unità alle iniziative intese a rendere più attiva la partecipazione dei fedeli all'azione liturgica, si auspica la preparazione e pubblicazione di un « Direttorio-base », valevole ed obbligatorio per la Chiesa universale, che perfezioni tutta la legislazione in materia e che tenga anche conto dell'opportunità di inserire, almeno parzialmente, l'uso della lingua volgare, particolarmente nei riti liturgici con partecipa-

zione di tutto il popolo cristiano. Tale Direttorio assicurerebbe l'unità di atteggiamento dei cristiani ai sacri riti dappertutto, faciliterebbe l'adattamento dei fedeli anche nei loro spostamenti e, per l'influsso vicendevole, porterebbe il flusso liturgico là dove ancora non si è fatto sentire.

3. *Devozioni*

In materia devozionale sembra innazitutto necessario un maggior rigore nell'approvazione di forme devozionali, libretti vari, preghiere, immaginette, impedendo, con grande vantaggio della fede e della sana pietà del popolo, l'introduzione di formule prive di linguaggio conveniente, di sana e solida dottrina cattolica o atte a eccitare deprezzamento in chi, dall'esterno osservi, anche con interesse benevolo, le nostre manifestazioni di fede o di pietà.

In particolare si auspica che risplenda sempre meglio la dottrina cattolica della intercessione dei santi, della mediazione e distribuzione delle grazie da parte della Madre di Dio, di Cristo Mediatore, del Padre e della Trinità fonte di ogni grazia.

DE CATHOLICAE ECCLESIAE MAGISTERIO

Catholicae Ecclesiae Magisterium, Apostolorum ac Nicaeno-Constantinopolitano Symbolo aliisque gravibus expressum documentis, a Pontificibus Summis atque ab Oecumenicis Conciliis saeculorum decursu latis, fidei regulam [1] exstitisse atque exstare sollemne semper in Ecclesia Dei fuit.

Vix enim numerari queunt divi Ecclesiae Patres, seorsim vel in Synodos congregati, qui in eodem fidei Symbolo perficiendo, explanando, fideliter extendendo iugiter insudarunt, atque sancti Doctores qui illud tamquam fidei compendium extulerunt, eruditis commentariis ornavere ac, ex ipsius veluti sinu, absconditos catholicae doctrinae thesauros incessabiliter deprompserunt. Quique omnes, Patres scilicet atque Doctores, ad errantes convincendos erroresque debellandos, quasi armis Symbolo usi sunt.[2]

---

[1] Cf. DENZINGER 782; 2313. Haec mirifice exprimuntur praesertim a sancto Irenaeo.

[2] Inter ceteros, digni sunt qui recenseantur, Cyrillus Hierosolymitanus, Rufinus, Epiphanius, Augustinus, Thomas Aquinas. Cf. etiam DENZ. 1836.

Saeculis autem supervenientibus, Summi Pontifices atque Concilia, illa praesertim quae Oecumenica nuncupantur, veterem absolutamque ac perpetuam fidem, Symbolo expressam, ad christianae religionis augmentum atque ad insurgentium errorum monstra radicitus exstirpanda, documentis paene innumeris ac multiformibus iterum asseruere ac pressius uberiusque exposuere,[3] ita ut persuasum semper in Ecclesia Dei fuerit atque in dies pateat lucidius divinam ipsam Scripturam sacramque Traditionem nonnisi de Ecclesiae Matris ac Magistrae manibus esse sumendam atque duce et collustrante eiusdem Ecclesiae catholicae Magisterio interpretandam atque exponendam.[4]

Hac non obstante mira unitate et consensione, haud paucae vel leves, nostris etiam temporibus, dubietates advertuntur atque discrimina:

— in operibus quae ecclesiasticas disciplinas scientifice pertractant, et consequenter in lectionibus quae ad iuvenes, in sortem Domini vocatos, instituendos traduntur;[5]

— in catechismis aliisque libris in vulgus editis, ad pueros sive adultos catholica imbuendos doctrina concinnatis;

— in sacrorum oratorum sollemniori praedicatione atque in omnibus fere humilioris formae sermonibus;[6]

— tandem in tacito, sed eloquenti, animarum curatorum aliquando ancipiti se gerendi modo.

Dubietates istae atque recensita discrimina circa doctrinarum valorem (quam notam theologicam vocant) haud raro versantur, et circa moralem ac disciplinarem obligationem quam multiformes ecclesiastici Magisterii actus nati sunt inducere: Magisterii nempe scripti, Magisterii dumtaxat oralis, Magisterii demum quod tacitis tantum exprimitur actibus:

a) Magisterii scripti: dubitatio enim aliquando suboritur de cuiusdam documenti universim sumpti valore aut de quarundam maiorum ipsius sectionum (ex. gr. capitum et canonum) differenti auctoritate, vel de aliquarum assertionum aut terminorum pondere;

b) Magisterii tantum oralis: dubia item non raro proferuntur de quorundam sermonum, a Summo Pontifice aut ab Episcopis prolatorum,

---

[3] Prooemia consulantur omnium Tridentinae Synodi decretorum et utriusque Constitutionis Concilii Vaticani; insuper cf. DENZ. 1836.

[4] Cf. S. AUGUSTINUM, *Contra Epist. Manichaei,* V, 6; et DENZ. 2313-2314; item 930.

[5] Unde, ex gr., quod ab uno auctore vel professore « definitum » dicitur, ab alio « declaratum » reputatur, etc.

[6] Desiderium populus mediolanensis manifestasse fertur, expleta sollemniori novissima missione, ut aptus concinnaretur textus in quo clare catholice certa ab incertis distinguerentur.

auctoritate, vel de nonnullarum iussionum, prohibitionum, consiliorum sive optatorum valore;

c) Magisterii taciti tantum actibus expressi: unde diversa sat frequenter advertitur valoris aestimatio de tacito quodam Summorum Pontificum aut Episcoporum, seorsim aut simul agentium, se gerendi modo.

Ideoque, ut praedictae dissipentur dubietates ac removeantur discrimina, necessarium aut consultum videtur ut sacrarum disciplinarum cultoribus ipsisque christifidelibus, clara, tuta atque efficacia tradantur principia ac normae ad omnium Magisterii ecclesiastici documentorum aliorumque actuum valorem accurate ponderandum, atque obligationis gradum adamussim statuendum.

Quod munus II huic Oecumenico Vaticano Concilio potissime videtur incumbere. Sicut enim sacrosancta Tridentina Synodus, attentis temporum exigentiis, suis dogmaticis sessionibus decretum de divinis Scripturis sacrisque Traditionibus quasi fundamentum praeiecit; [7] ita et peropportunum videtur ut, huius nostri incerti temporis conditione suadente, Vaticana Synodus Constitutionibus suis documentum praemittat de multiformium Magisterii ecclesiastici actuum valore seu auctoritate.

Hoc et in ipsius Concilii Vaticani II bonum procul dubio verget: nam, talibus praeiactis principiis et normis, Synodi Patres facilius perspicient quo modo in praecedentium Conciliorum decretis ponderandis atque in novis condendis incedendum sit. Quibus praestitis, ecclesiasticarum disciplinarum cultoribus ipsisque christifidelibus criteria non deerunt quorum ope Concilii Vaticani II Constitutionum tute expediteque auctoritatem percipient ac praecepta servabunt.

Haec autem principia et normae ex his,qui sequuntur, fontibus depromenda videntur:

a) ex nonnullis ipsius Magisterii ecclesiastici documentis, in quibus haec principia et normae explicite et ex professo asseruntur; [8]

b) ex iisdem aliisve Magisterii ecclesiastici textibus, in quibus praedicta principia et normae velut perlucent et insinuantur; [9]

c) ex omnibus illis etiam Magisterii ecclesiastici textibus et actibus, in quibus talia principia et normae certo quidem continentur, licet abscondite: nonnulli enim loci aut se gerendi modi explicari vix queunt, nisi talibus suppositis principiis ac normis.

---

[7] DENZ. 783-786.

[8] DENZ. 1683; 1722; 1792; 1837-1839; 2313-2314.

[9] Cf. documentorum prooemia tridentina et vaticana. Insuper, *Ineffabilis Deus, Munificentissimus Deus, Mediator Dei;* etc.

Quorum principiorum ac normarum syllogen, quam collatis consiliis nos Facultatis Theologicae « Marianum » O.S.M. de Urbe Professores concinnandam curavimus, Commissioni cui a Summo Pontifice Ioanne XXIII fel. regn. Concilii adparandi munus fuit concreditum, ipsique Oecumenicae II Vaticanae Synodo, schematis ad instar, humillimo subiicimus animo.

PROOEMIUM

Aeternus Pater ac Supremus Magister, per Moysen et Prophetas, adveniente autem temporum plenitudine, ipsius Filii sui Iesu Christi atque Apostolorum ore, Spiritus Sancti afflante gratia, praeter alia solo etiam cognoscibilia rationis lumine, seipsum et aeterna suae voluntatis decreta, liberrimo ac misericordissimo suae pietatis consilio, humano generi revelare dignatus est.[10]

Quam revelationem, in divinis contentam Scripturis et divino-apostolicis Traditionibus, Ecclesiae Christi Sponsae fideliter custodiendam concredidit atque infallibiliter interpretandam, promisso ei et collato incessabiliter Spiritus Sancti numine ad idem fidei depositum sancte servandum atque in dies pressius uberiusque indefectibiliter declarandum.[11]

Ecclesia autem, prout Dei filiam decet et Iesu Christi Sponsam, sicut divinae humiliter revelationis donum excepit, ita et Spiritus Sancti iubar incessabiliter excipit, cuius virtute ac lumine mirabile fidei depositum sancte asservat, intactum de progenie in progeniem tradit, ac Magistrae ad instar fideliter interpretatur, pressius uberiusque proponit, ad fines usque orbis terrarum diffundendum curat, strenue defendit non semel sanguine effuso, contrariis erroribus damnatis atque protritis.[12]

Quibus in operationibus exercendis, sacrum Ecclesiae Dei residet Magisterium: quod in universale ac particulare distinguitur, subdistincto universali in extraordinarium (seu sollemne) et ordinarium, dum particulare nullimode extraordinarium (seu sollemne) esse queat at ordinarium dumtaxat.[13]

Ad dignoscendum autem singulis vicibus ac determinandum ad quam ex his Magisterii ecclesiastici distinctionibus documentum, textus aliusve actus pertineat, atque ad uniuscuiusque adamussim discernendum ac

---

[10] Cf. DENZ. 1785.

[11] Cf. DENZ. 1787-1788; 1798, 1800; 2313-2314; et etiam *Munificentissimus Deus,* paulo post initium, et dein DENZ. 2332.

[12] Praeter nn. recensitos in superiori nota 11, cf. Prooemium Const. Vat. *De Fide;* et DENZ. 1836. Insuper, plura prooemia tridentina; DENZ. 873 a, 893 a, 792 a, 937 a; cf. etiam 930.

[13] Cf. DENZ. 1683; 1722; 1792; 2313-2314.

statuendum valorem seu auctoritatem, quatuor singulorum textuum aut actuum accurate investigandae sunt causae ac prae oculis semper habendae, nempe:

I. Causa efficiens: id est auctor documenti aliusve actus Magisterii ecclesiastici;

II. Causa materialis: fontes scilicet et obiectum documenti, loci vel actus;

III. Causa formalis: videlicet forma seu modus quo ab auctore obiectum proponitur;

IV. Causa finalis: nempe finis ac destinatio seu destinatarii.

Hinc in quatuor, praesens Constitutionis schema, dividitur partes.

I. De documentorum et actuum Magisterii ecclesiastici auctoribus.

(= De causa efficiente)

Auctores documentorum et actuum Magisterii ecclesiastici sex numerantur, quorum hic est ordo: 1. Summus Pontifex; 2. Oecumenicum Concilium; 3. Concilium Plenarium; 4. Provinciale Concilium; 5. Conferentia Episcopalis; 6. Singuli Episcopi (locorum Ordinarii).

1. *Summus Pontifex*

Summus Pontifex dupliciter considerari potest:

a) Sive quatenus patris seu capitis et magistri munere fungitur universalis Ecclesiae, quodque exercet officium:

— vel solus, id est per seipsum,

— vel una cum Concilio Oecumenico,

— vel una cum Sacris Romanis Congregationibus seu per eas, ipso mandante, aut approbante, aut consulto, aut non explicite et singulis vicibus consulto,

— vel una cum particularibus, id est Plenariis aut Provincialibus Conciliis.[14]

b) Sive quatenus patris seu capitis seu pastoris munere fungitur suae Almae Urbis dioeceseos, quodque iterum exercet officium:

— vel solus seu per seipsum,

— vel una cum praedictae suae Almae Dioeceseos Synodo,

— vel demum una cum Urbis Vicariatu, seu per eum.[15]

---

[14] Cf. Denz. 1826, 1836, 1839. Cf. etiam *C.I.C.,* cann. 242-264.

[15] Cf. Denz. 636.

2. *Concilium Oecumenicum*

Inter Ecclesiae Concilia illud Oecumenicum dicitur, quod Ecclesiam universalem repraesentat, quodque

a) vel Summus Pontifex convocat, per seipsum aut legatos regit, statim aut quodam interiecto temporis spatio approbat;[16]

b) vel, sicut anteactis saeculis non semel accidit, alius catholicae Ecclesiae Episcopus aut ipse Imperator coegit, postmodum tamen unus aut plures e Romanis Pontificibus probaverunt.[17]

3. *Concilium Plenarium*

Scilicet plurium simul Provinciarum ecclesiasticarum Synodus.[18]

4. *Concilium Provinciale*

Nempe singularum Provinciarum ecclesiasticarum Synodus.[18]

5. *Conferentiae Episcopales*

Sive quae ad normam *C.I.C.*[19] congregantur sive quae maiori Episcoporum numero coalescunt vel ampliori facultate donantur.

6. *Singuli Episcopi*

Id est Ordinarii locorum:
— vel una cum propria cuiusque dioeceseos Synodo,
— vel soli,
— vel demum cum peculiari cuiusque dioeceseos Curia seu per eam.[20]

Inter documentorum et actuum Magisterii ecclesiastici auctores, primum igitur locum Summus Pontifex et Concilium Oecumenicum tenet: hi duo tantum auctores supremum valoris seu auctoritatis attingunt apicem, atque infallibilem, ideoque irreformabilem, valent proferre sententiam.[21] Nam:

1. *Summus Pontifex,* quatenus universalis Ecclesiae pater, caput et magister exsistit, atque ut talis agit, quadruplici saltem ex radice, infallibili Magisterii praerogativa pollet:

a) quia Christum repraesentat, et est eius supremus Vicarius:

---

[16] Sicut de omnibus fere Oecumenicis Conciliis accidit.
[17] Sicut, ex. gr., pro Conc. Constantinop. I et II factum est.
[18] Cf. *C.I.C.* cann. 281-292.
[19] Cf. *C.I.C.,* can. 292.
[20] Cf. DENZ. 1828.
[21] Cf. DENZ. 1839.

Christus autem est indefectibile Ecclesiae universalis Caput, invisibile quidem, at quod Ecclesiam suam numquam relicturum, sed potius eidem ad finem usque saeculi affuturum se esse promisit;

b) quia est Petri Apostolorum Principis, in principatu successor, cui non caro et sanguis arcana revelavit, sed caelestis Pater, cuique amplissima clavium potestas fuit collata: ideoque illa Magisterii indefectibilitate pollet, in beato Petro sibi quoque collata;

c) quia Ecclesiae universae os exstat: qui ea profert atque decernit quae universalis Ecclesia infallibiliter credit ac docet, illa indefectibilitate quae ipsi universali Ecclesiae provenit eo quod Christo indefectibili indissolubiliter sit iuncta ut corpus divino Capiti, ut Sponsa divino Sponso, eiusque perfundatur, illustretur ac dirigatur veritatis Spiritu;

d) quia omnibus hisce de causis, specialissima ac personali Spiritus Sancti adsistentia donatur.[22]

2. *Oecumenicum Concilium,* cum tale revera est, videlicet cum legitime est convocatum, celebratum atque adprobatum, et cum ut tale reapse agit, triplici saltem ex capite, infallibilitatis praerogativa decoratur:

a) quia praeside aut approbante Summo Pontifice, concors universae Ecclesiae Episcoporum loquitur coetus, in quos apostolica ligandi ac solvendi defluxit potestas, quos Spiritus Sanctus posuit regere familiam Dei, quibusque ut regentibus ita et peculiariter assistit docentibus;

b) quia universalem Ecclesiam, indefectibilitate praeditam (cf. supra, 1 *c*) repraesentat, illiusque os exstat;

c) quia pariter hisce de causis, specialissima ac veluti collegiali Spiritus Sancti adsistentia munitur.[23]

1-2. Eo autem quod, praedictis de causis atque rationibus, Pontificem Summum Conciliumve Oecumenicum dixerimus infallibilitatis dote gaudere, nemini inferre licebit universas indiscriminatim harum summarum auctoritatum sententias indefectibilitatis praerogativa pollere, cum ad oraculum falli nescium ferendum non tantum auctoritas in Ecclesia Dei summa necessario requiratur, sed item necessario et materia suprema (scilicet revelata) et forma excellentissima (videlicet definitio vel dogmaticus canon) et finis altissimus ac destinatio universalis (nempe ad omnem Dei Ecclesiam), ut infra, suis locis, accurate exponetur.

Unde quae a Summo Pontifice vel a Concilio Oecumenico proferuntur, si reapse revelata non sunt, non definiuntur nec ad totam Ecclesiam destinantur, infallibilitatis atque irreformabilitatis charactere ca-

---

[22] Cf. DENZ. 1824, 1836, 1839; et supra, nota 11, et *Ineffabilis Deus.*

[23] Cf. Prooemia, praesertim Tridentini et Vaticani.

rent. Nihilominus ab omnibus, ad quos diriguntur, saltem filialis in Dei familia subiectionis titulo religiose sunt suscipienda.[24]

3-6. *Cetera quatuor* auctorum capita, scilicet Concilium plenarium, Concilium provinciale, Conferentiae episcopales, singuli Episcopi (sive soli sive etiam cum propriae dioecesis Synodo), in seipsis infallibilitatis dote non gaudent. Nihilominus pariter ipsorum decreta, ab iis ad quos spectant, humiliter tenenda sunt.[25]

II. De documentorum et actuum Magisterii ecclesiastici materia, seu de eorundem fontibus et obiecto.

(= De causa materiali)

Magisterii ecclesiastici documenta et actus, sicut et quilibet alii textus atque sermones, hauriuntur et pendent a fontibus ac circa obiectum quoddam versantur.

Proinde, ut valor materiae eorumdem documentorum et actuum valeat aestimari, seu ut ipsorum dimetiatur auctoritas sub respectu materiae, erit spectandus ac ponderandus:

A) Ipsorum *fontium valor,* attento etiam modo seu methodo qua a documentorum et actuum auctoribus adhibiti seu pertractati fuere;

B) *Obiecti valor* circa quod singula documenta (eorumque sectiones) et actus versantur, perspecto etiam modo seu methodo qua fuit exhibitum.

A) *Valor fontium, ex quibus Magisterii ecclesiastici documenta et actus depromuntur*

Elenchus et scala valoris fontium, a maiori ad minus, illa statui posse videtur quae sequitur:

1. Utriusque Foederis divina Scriptura.

2. Magisterii ecclesiastici universalis documenta, sive Pontificum sint sive Conciliorum:

a) Magisterii universalis extraordinarii;

b) Magisterii universalis ordinarii.

3. Liturgia universalis. Prex liturgica vere universalis, nulla est nisi oratio dominica « Pater Noster ». Hic igitur, Liturgiae stricte universalis nomine, illa veniunt omnia, sive litteram spectent sive spiritum, in

---

[24] Cf. inter se Denz. 701 (Decr. pro Armenis, *De Ordinis Sacramento*) et 2301 (Const. Ap. *Sacramentum Ordinis*); item Denz. 2313.

[25] Cf. Denz. 1506.

quibus, non obstante rituum ac linguarum discrimine, universa convenit Ecclesia, Orientalis scilicet simul et Occidentalis.

4. Universorum, seu moraliter unanimis Patrum consensus.

5. Consensus catholicae Ecclesiae.

6. Documenta et actus Magisterii ecclesiastici particularis ordinarii:

a) Pontificii: scilicet a Summo Pontifice quidem lata, at non prout munere fungitur pastoris universalis Ecclesiae (ex. gr. in Romanis Synodis);

b) Conciliaris: scilicet Conciliorum Oecumenicorum (in documentis particularibus), Synodorum plenariorum ac provincialium;

c) simpliciter Episcopalis: scilicet episcopales Conferentiae aut singuli Episcopi documenta quaedam aut actus ferentes.

7. Liturgiae particulares, attento uniuscuiusque valore seu auctoritate, decernenda spectatis singularum sinceritate ac profunditate doctrinae, antiquitate, ac per terrarum orbem diffusione et ex parte ipsius Magisterii ecclesiastici supremi approbatione.

8. Sanctorum Patrum turmae, vel singuli sancti Patres, aut antiquiores Ecclesiae Scriptores, attenta, sive pro praedictis agminibus sive pro singulis Patribus aut Scriptoribus, illa auctoritate quam ipsis Ecclesia Dei tribuere consuevit.

9. Sanctorum Doctorum, qui post Patrum aevum floruere, moraliter unanimis consensus.

10. Moraliter unanimis Theologorum consensus.

11. Sanctorum Doctorum coetus aut Doctores singuli, perspecta auctoritate quam illis tribuit Ecclesia.

12. Theologorum acies aut singuli Theologi, auctoritate considerata quam ipsis forte recognoscit Ecclesia, vel saltem attenta ipsorum catholicitate ac soliditate doctrinae, profunditate, originalitate atque influxu.

13. Sanctorum scripta, criterio ponderanda de quo sub praecedenti n. 12.

14. Eorum scripta qui charismatum donis decorati videntur, aestimanda criterio de quo sub n. 12.

15. Piorum scriptorum opera, pariter supra memorata iudicanda criterio.

16. Sensus fidelium.

17. Generis humani consensus.

18. Veri nominis philosophia, scientiae, artes: quarum valor si divinae et catholicae fidei adversentur nullus est; eo autem crescit quo perfectius verum bonumque exprimunt ac promovent, fidei divinae et catholicae famulantur eamque illustrant ac extollunt.

19. Popularia effata, qua mensura de eis dici recte queat: « Vox populi, vox Dei ».[26]

Hos inter omnes fontes, potissimum locum tenent divinitus inspiratae Scripturae ac divino-apostolicae Traditiones, sive scriptae sive non scriptae.

Divino-apostolicae autem Traditiones, ut plurimum, vel in antiquorum Patrum Conciliorumque scriptis, vel in sacrarum Liturgiarum vetustissimis monumentis continentur; non semel autem, quorundam saeculorum decursu, velut in Ecclesiae visceribus occlusae et custoditae manent et in perspicuo ponuntur nonnisi pedetentim, tempore ac modo divinitus praestitutis, Spiritu Sancto collustrante et humano ingenio studiisque cooperantibus.[27]

Sub respectu igitur fontium adhibitorum, potioris auctoritatis illud Magisterii ecclesiastici documentum aut actus erit:

a) quod maioris valoris utitur fontibus, et quidem;

b) iuxta incorruptum aut fideliter restitutum originalem textum, aut saltem accuratas versiones quae textus originalis spiritum quoque adamussim exhibeant;

c) et fontibus utatur, seu eas exhibeat, iuxta omnes rectae methodi scientificae regulas.

Animadvertendum tamen, hanc valoris scalam, quae undeviginti numeris seu gradibus constat, non in omnibus immutabilem esse: immo ut fontium valor seu auctoritas ponderetur numerorum a 6 ad 19, res singulis vicibus erunt accurate spectandae: sic, ex .gr., causalitatis principium, a sana philosophia (n. 18) assertum, consentiente etiam generis humani universalitate (n. 17), maiori auctoritate pollere dicendum erit, quam hypotheses quaedam, licet solidae, a spectabili etiam Theologorum coetu (n. 12) propositae.

---

[26] Cum Tridentina Synodus argumentum quoddam aggrediebatur discutiendum, modum Theologis praefigebat in sententiis dicendis: « Sententiae per Theologos dicendae deducantur: ex S. Scriptura, Traditionibus Apostolicis, sacris et approbatis Conciliis ac Constitutionibus et auctoritatibus Summorum Pontificum et Sanctorum Patrum, ac consensu catholicae Ecclesiae. Utantur brevitate, et abstineant a superfluis et inutilibus quaestionibus, ac etiam a protervis contentionibus ». Cf. DENZ. 787, etc.; et ordinem auctoritatum apud *Munificentissimus*.

[27] Cf. DENZ. 783, 785, 786; 1787-1788. Cf. insuper *Munificentissimus Deus* circa initium: « Deus reapse... clariore luce profecto enituit... novo quodam fulgore illuxit »; item circa finem: « quoniam igitur... perficiendam... renuntiemus ».

B) *Valor obiecti, circa quod singula Magisterii ecclesiastici documenta (eorumque sectiones) et actus versantur*

Ut autem adamussim, ex parte materiae, valor seu auctoritas documentorum et actuum Magisterii ecclesiastici determinari queat, necessarium profecto est ut ipsorum documentorum (eorumque singularum sectionum) et actuum pondus statuatur, attenta materia de qua agunt seu obiecto circa quod versantur.

Scala autem valoris materiae sive obiecti, a maiori ad minus, illa esse videtur quae sequitur:

1. Deus ipse, attenta ipsius naturae unitate vel Personarum Trinitate.

2. Filius Dei Iesus Christus, illis omnibus perspectis quae eiusdem sanctissimam respiciunt Humanitatem.

3. Dei relationes cum universo creationis opere (de creatione, providentia, etc.).

4. Deipara Virgo Maria.

5. Sancti Angeli.

6-8. Sancta Dei Ecclesia:

6) Ecclesia caeli, seu triumphans;

7) Ecclesia Purgatorii;

8) Ecclesia terrae, seu militans.

9. Universum hominum genus.

10. Ceterarum creaturarum universitas.

11. Infernus eiusque habitatores, sive daemones sive damnati.[28]

Circa quae, tria accurate animadvertenda sunt:

a) Ad singula ex undecim his obiectis referantur quae unicuique sunt propria. Sic, ex. gr., quae Beatae Mariae Virginis Mediationem aut Corredemptionem spectant, ad n. 4, qui Deiparam considerat, sunt referenda.

b) Item, plura obiecta seu doctrinae non ad unum tantum sed ad plures ex illis numeris reduci possunt. Ex. gr., sacrosanctum Eucharisticum Sacrificium ac septem maiora Ecclesiae Sacramenta, sive ad Christi Humanitatem (n. 2) sive ad Ecclesiam (nn. 6-8) etc. referri queunt, aliquoties ad libitum, ut plurimum vero considerata re de qua agitur.

c) Tandem, quaedam ex praedictis materiis, per numeros memoratos expressis, attento respectu sub quo materia ipsa spectatur, anteponi vel postponi possunt. Ita, ex. gr., infernarum poenarum aeternitas (n. 11),

---

[28] Valoris scala, sub respectu obiectorum, perlucet praesertim ex Symbolis et ex fidei professionibus; cf. insuper DENZ. 1782 sq.

attento salutari influxu quem in terricolas nata est exercere, sub respectu materiae magis aestimanda erit quam sacramentale illud quo poenitentium cervices consperguntur cinere, quodque ad Ecclesiam refertur (n. 8).

III. De modo seu forma qua in magisterii ecclesiastici documentis materia seu doctrina proponitur.

(= De causa formali)

Hi, de quibus agitur, modi seu formae ad quinque reduci queunt: 1. Sollemne iudicium (seu definitio et canon); 2. Declaratio; 3. Expositio; 4. Simplex enuntiatio; 5. Reassumptio.

1. *Sollemne iudicium*

Sollemne iudicium vel definitione fertur vel canone.

a) *Definitio* autem triplici modo exprimi consuevit:

— Symbolo, seu fidei professione (scilicet Symbolo Apostolorum et Nicaeno-Costantinopolitano);

— Pontificia definitione, quae ex cathedra profertur;

— Conciliari definitione, scilicet in Concilio Oecumenico pronuntiata.

Inter fidei Symbola et definitiones praedictas a Summis Pontificibus vel ab Oecumenicis Concilii latas, hoc viget discrimen, quod fidei Symbolum brevissime summarum veritatum revelatarum ac definitarum generalem exhibet syllogen, dum e contra definitiones particularem quendam doctrinae aspectum seu argumentum summa auctoritate proponunt.[29]

b) *Canone* etiam, quo sub forma anathematis doctrina exhibetur aut error damnatur, sollemne ab Ecclesia fertur iudicium.

Canonibus autem sollemne ferri iudicium inde saltem a Tridentino Concilio certum est, ut praeviis disceptationibus patet ad eiusdem Synodi decretum de Sanctissimae Eucharistiae Sacramento.[30]

Nihilominus prudentia exigit ut, ad doctrinae valorem canone expressae ponderandum, singulis accurate spectentur casus, attento speciatim an

---

[29] Cf. Denz. 1839.

[30] Cf. Denz. 883-893. Quoad canonem 11 (Denz. 893), animadverte pauca omnino, certissima ac perpetuo in Ecclesia Dei retenta, sub anathematis comminatione fuisse posita. Cetera vero sub sola excommunicationis poena. Ex actibus autem aperte colligitur Patres Concilii clarum persensisse valoris discrimen inter utrumque res exhibendi modum.

proposita materia talis sit (in fidei scilicet deposito contenta), quae sub forma exhiberi queat iudicii sollemnis, ideoque infallibilis et irreformabilis.[31]

Characteres peculiares sollemnis iudicii sunt:

a) Uni ipsi propria atque excellens *sollemnitas formae,* seu modi quo doctrina proponitur aut error damnatur. Qua sollemnitate formae seu modi, doctrina definita aut damnata supra ceteras eiusdem documenti partes manifeste eminet; quaeque praecipua pars non raro terminis introducitur quibus valoris excellentia significatur et in qua insuper persollemnes inveniuntur voces, quae sunt: « credo » vel « credimus », « diffinimus » vel « definimus », « haereticus est », « anathematizamus » vel « anathema sit », etc.[32]

b) *Materia* e divinae revelationis fontibus hausta, et quidem hoc potissimum ordine:

— in primis et semper, si possibile sit, e divinis deprompta Scripturis;

— insuper, vel deficiente Scriptura, e divino-apostolica Traditione scripta;

— tandem, vel praedictis duobus deficientibus fontibus, e divino-apostolica Traditione orali.

c) Praedicta autem materia, e suprascriptis fontibus desumpta, circa *veritates* aut *facta ad fidem moresve* pertinentia versatur.

d) Quaeque praecise *ut* veritates et facta *divinitus revelata* ac proin credenda proponuntur.[33]

e) *Intentio,* quae in definitionum et canonum textu vel manifeste asseritur vel sufficienti innotescit claritate, est voluntas ferendi de illa re sollemne, *irreformabile* ac perpetuum iudicium, scilicet:

— fidei veritatem aut factum statuendi;

— errorum monstra stirpitus convellendi; exterminandi nempe graviora illa errata quae fidei catholicae bonisque adversantur moribus, ac proinde multorum salutem in discrimen vertunt.[34]

---

[31] Ex. gr., DENZ. 956.

[32] Cf. inter omnes conciliares definitiones, florentinam pro Graecis: DENZ. 691; inter pontificias, Assumptionis B. M. V.: DENZ. 2333.

[33] Cf. DENZ. 1792. Cf. *Ineffabilis Deus,* circa finem, inde a: « nihil igitur mirum... constanterque credenda », et *Munificentissimus Deus,* circa finem, inde a: « quoniam igitur... defecisse ».

[34] Cf. DENZ. 148; 1839; etc. Cf. insuper saepe invocata proemia tridentina et vaticana.

f) *Stylus,* qui in definitionibus atque canonibus advertitur, magis expolitus ac pressus est, singulis etiam verbis accurate selectis.[35]

g) *Destinatio* amplissima est: ad universam quippe diriguntur Dei Ecclesiam, toto terrarum orbe diffusam.

h) Si tandem non ipsi tantum definitionum aut canonum inspiciantur textus qui promulgati fuere, sed disceptationes praeviae ac praecedentia *schemata,* haud raro patebit:

— singula definitionum vel canonum verba, ab ipsis aliquando Summis Pontificibus, ab Oecumenicorum Conciliorum Patribus et a Commissionum Pontificalium membris non tantum fuisse accurate, ut dictum est, selecta, at insuper electa post studium saepe diuturnum, disceptationes multas, repetita tentamina, mutuam deliberationem;

— item patebit, deputatos ad paranda Magisterii ecclesiastici documenta nonnisi e fontibus divina aut catholica auctoritate pollentibus doctrinam proponendam haurire decrevisse ac de facto deprompsisse: nempe a divinis Scripturis, a divino-apostolicis Traditionibus, a Pontificum vel Conciliorum actis et ab aliis textibus consensum catholicae Ecclesiae exprimentibus;

— nullum insuper e sanctis Ecclesiae Patribus ferire voluisse, aliquando in hunc finem definitionibus aut canonibus studiose et multo labore confectis;

— nullam theologicam scholam, ex iis quae inter se libere pugnant, amplecti voluisse;

— nonnisi ergo tutissima ac certissima eligere ac proponere voluisse: unde saepe advertitur plura elementa, quae in pontificalium documentorum vel Oecumenicorum Conciliorum parte declarativa aut expositiva prostant, in eorundem definitionibus aut canonibus prorsus desiderari.[36]

2. *Declaratio*

Sollemnis vel simplex declaratio, post definitionem aut canonem, est potissimus res proponendi modus, qui in ecclesiastici Magisterii documentis advertitur.

a) Declaratio autem triplici de causa ac sub triplici *forma* ut plurimum fertur. Ideoque reponitur:

---

[35] Ad invicem confer, ex. gr., caput V decreti de SS. Eucharistiae Sacramento (Denz. 877) et canonem 2 eiusdem decreti (Denz. 884); adverte pariter quomodo numquam terminus « accidens » adhibeatur.

[36] Cf. praesertim disceptationes Theologorum et Patrum ac schemata praevia ad omnia fere Tridentinae Synodi decreta.

— aut in authentica locorum Sacrae Scripturae vel Traditionis *interpretatione*;[37]

— aut in iis *clarificandis* quae obscura sunt;

— aut in iis maiore luce *illustrandis,* quae minus clara videntur.[38]

b) Declaratio, ut plurimum, *verba* secumfert: « declarat » vel « declaramus »; « docet » vel « docemus » et similia.

c) Declarationes multo minorem prae se ferunt sollemnitatem quam definitiones, de quibus supra.[39]

d) Quae reprobanda vel damnanda, mitioribus terminis, quam quae in definitionibus vel canonibus occurrunt, mulctantur.[40]

e) Declarationis *materia* seu obiectum non unice ad revelatam doctrinam coarctatur, sed et ad doctrinam extenditur cum revelatis veritatibus connexam; et hoc vel quia ex ipsis derivat, vel quia cum ipsis utcumque exhibet cognationem.[41]

f) *Media* quibus Magisterii ecclesiastici auctores utuntur ad declarandam doctrinam desumuntur:

— vel e revelatis fontibus;

— vel e consensu totius Ecclesiae;

— vel e consensu notabilis ac potioris eiusdem Ecclesiae partis (Liturgiarum, Patrum, Doctorum, Theologorum, etc.);

— vel e sanae philosophiae, aliarumque veri nominis scientiarum et artium, doctrina;

— vel tandem ex ipso sensu communi.[42]

g) Dein advertendum, declarationem, sub *destinationis* seu destinatariorum respectu, non necessario et semper ad universam Ecclesiam dirigi toto terrarum orbe dispersam.[43]

3. *Expositio*

Expositionis nomine, simplex intelligitur propositio doctrinae:

— sive revelatae,

— sive cum revelatione utcumque connexae,

---

[37] Cf. DENZ. 691; 791; etc.

[38] Cf. DENZ. 432; cf. etiam *Munificentissimus Deus,* quae saepe loquitur de clariore luce, de novo fulgore, etc.

[39] Hoc elucet, ex. gr., in decreto florentino pro Graecis quoad Spiritus Sancti processionem et explicationem vocum « ex » et « per » (DENZ. 691).

[40] Cf. DENZ. 431.

[41] Cf., ex. gr., DENZ. 930.

[42] Recolantur *Ineffabilis Deus* ac *Munificentissimus Deus,* quae ex omnibus fere locis argumenta seu lucem trahunt ad declarandas doctrinas. Item Encyclicae.

[43] Ex. gr., quaedam Florentini decreta; Const. Ap. *Sacramentum Ordinis,* etc.

— sive quae circumfertur communiter, et quidem: vel semper saeculorum decursu, vel aliquamdiu; etc.[44]

4. *Simplex enuntiatio*

Simplicis enuntiationis nomine, singulae veniunt assertiones vel rerum elenchi. Ita, ex. gr., septem Sacramentorum elenchus, qui in Concilii Florentini Decreto pro Armenis recensetur.

5. *Reassumptio*

Reassumptio, tandem, tunc verificatur cum pontificium vel conciliare subsequens documentum, in proprium textum praecedentes quosdam introducit Magisterii ecclesiastici fontiumque locos, et hoc:

— aliquando ad litteram,[45]

— aliquando quibusdam immutationibus inductis,[46]

— aliquando praecedentem locum ad compendium redigendo.[47]

Praecedentis loci in subsequens Ecclesiae documentum introducti valor diiudicandus est attento tum fonte tum praesertim novo documento in quo inseritur: aliquando enim subsequens documentum confert loco reassumpto novam interpretationem et auctoritatem.

Hos circa quinque modos, in documentis Magisterii ecclesiastici res proponendi, tria animadvertenda sunt:

a) In unoquoque Magisterii ecclesiastici documento doctrina, ut plurimum, *mulptiplici* exhibetur *forma*: immo in sollemnioribus nonnullis, ut in documentis quibus Immaculatus Deiparae Conceptus, Summi Pontificis Primatus ac Beatissimae Virginis Assumptio infallibili sancita fuere oraculo, forma intervenit sive definitionis, sive declarationis, sive expositionis, sive enuntiationis, sive tandem reassumptionis. Unde, antequam documenti alicuius, universim inspecti, statuatur auctoritas, singularum eiusdem partium accurate dimetiendus est valor.

b) Valoris seu auctoritatis *vertex in definitione* reponitur *aut in canone* quo, anathemate adiecto, errantes erroresve plectuntur.

— Ad eam enim, vel hunc, ferenda supremam Ecclesiae auctoritatem interesse necesse est, Summum scilicet Pontificem Conciliumve Oecumenicum.

— Ad eam, item, conflandam, nulla valet materia nisi revelata

---

[44] Magna pars decretorum florentinorum pro Armenis et Iacobitis.

[45] Ex. gr., reassumitur ad litteram Bulla pro Graecis in decreto pro Armenis, Symbolum in sessione III Conc. Trid. (DENZ. 782).

[46] Ita Vaticanum reassumit Lateranense (DENZ. 428; 1783).

[47] Cf. DENZ. 918.

divinitus, adeoque in scrinio supernae revelationis contenta: tali continentia quae aut historicis (fontium scilicet) pateat seu comprobetur argumentis, aut cuius fidem praestet universae Ecclesiae auctoritas infallibilitate praeditae.[48]

— Nec praetereundum, sub ipsius formae seu modi respectu, rem nullam sollemniter definitam intelligi, nisi id manifeste constiterit.[49]

— Tandem sub destinationis respectu ideo in definitionibus et canonibus valoris apex attingitur, quia nulla fertur definitio nullusque canon nisi ad universam dirigatur Ecclesiam.[50]

Quia, ergo, valoris seu auctoritatis culmen, ex parte formae seu modi in definitionibus reponitur vel in dogmatico canone, *secundum* valoris *gradum* declaratio occupat, *tertium* expositio, *quartum* enuntiatio, *novissimum* vero simplex reassumptio.

c) Si ergo universim documentum quoddam spectetur, illud valoris *apicem* attigisse dicendum erit, in quo sollemnis quoque includitur definitio, vel cuius doctrinae pars anathematis comminatione concluditur; licet aliae eiusdem documenti sectiones vel loci ad praedictum auctoritatis cacumen nullimode valeant pertingere.

Post documentum quo definitio aut anathematismus fertur, illud, universim inspectum, *potioris* valoris occupat gradum quod declarationem et praesertim sollemnem declarationem includit, et signanter quod totaliter aut abundanter in doctrinae declaratione reponitur, etiamsi ceterae omnes eiusdem documenti sectiones aut assertiones multo minoris sint auctoritatis, scilicet vel expositio, vel enuntiatio, vel reassumptio.

IV. De documentorum Magisterii ecclesiastici fine ac destinatione.

(= De causa finali)

Sub unica causae finalis nomenclatura, duo comprehenduntur, scilicet documentorum Magisterii ecclesiastici finis ac destinatio: 1. finis, quem auctores documentorum ac documenta ipsa sibi praestituunt attingendum; 2. destinatio seu destinantarii, ad quam seu ad quos ipsi diriguntur textus.

---

[48] Vide classica verba Pii XII apud *Munificentissimus Deus,* circa initium: « Cum vero tanti momenti... credenda proponuntur ».

[49] *C.I.C.,* can. 1323 § 3.

[50] Cf. Denz. 1839.

1. *Finis*

Documentorum Magisterii ecclesiastici finis numeratur *triplex*: Deus (et Coelites), Ecclesia, humanum genus, videlicet:

a) *Dei* gloria, Christi gloria, Deiparae Virginis Sanctorumque gloria seu honor, per documenta ipsa (seu definitiones aut declarationes et assertiones etc. in ipsis latas vel contentas) simpliciter seu perfectius attingenda sive in dies promovenda.

b) Universalis *Ecclesiae,* aut partis eiusdem Ecclesiae, bonum spirituale aut materiale etiam (ad spirituale tamen ordinatum), vel simpliciter aut perfectius attingendum vel in dies provehendum.

c) Ipsum *generis humani* bonum et salus aeterna, custodienda, complananda, attingenda, promovenda.[51]

2. *Destinatio*

Documentorum tandem Magisterii ecclesiastici destinatio recensetur *duplex*: Ecclesia videlicet atque humanum genus.

a) *Ecclesia.* Magisterii ecclesiastici documentum fere semper ad ipsam dirigitur Ecclesiam, attamen:

— vel ad Ecclesiam universalem, stricto sensu, scilicet toto terrarum orbe dispersam (Orientalem videlicet simul et Occidentalem);[52]

— vel ad alterutram eiusdem partem, Orientalem nempe vel Occidentalem;[53]

— vel ad quandam Ecclesiae portionem, quae peculiari Deum adprecatur ritu (ex. gr., ad fideles ritus romani aut byzantini);

— vel ad peculiarem quendam in Dei Ecclesia coetum: ex. gr. ad S. R. E. Cardinales, ad Episcopos, ad saecularem vel regularem clerum, ad quendam Ordinem aliudve religiosum Institutum, ad Actionis catholicae aliarumve laicorum societatum agmina, etc.

— vel tandem ad unam alteramve Ecclesiae personam: ex. gr. ad praelatum aut virum quendam egregium de Ecclesia optime meritum, etc.

b) *Humanum genus.* Unum alterumve Magisterii ecclesiastici docu-

---

[51] Exempla celeberrima sunt: definitio Florentini pro Graecis, Vaticani de Romano Pontifice, Immaculati Conceptus et Assumptionis B. M. V. Quoad universum genus humanum, cf. *Munificentissimus Deus* circa finem: « Itemque sperandum... ante omnium oculos... destinentur... ».

[52] Cf. notam praecedentem.

[53] Recolas, ex. gr., ius canonicum respective occidentale et orientale.

mentum aliquoties, insuper, non tantum ad Dei Ecclesiam dirigitur, sed et ad ipsum humanum genus; hoc sensu quatenus:

— vel de re agit quae non solum Ecclesiae asseclas sed et universos terram incolentes respicit;[54]

— vel indiscriminatim ad coetum dirigitur in quo catholicis miscentur fratres separati ipsive hebraei atque pagani.[55]

Dirigi autem potest:

— vel ad universum humanum genus;

— vel ad quasdam maiores eiusdem partes, Continentes videlicet aut nationes;

— vel ad quosdam peculiares coetus: ex. gr. ad scientiarum quarundam vel artium cultores, etc.;

— vel tandem ad aliquas particulares personas: ex. gr. ad nationis moderatorem, ad personam gravi quadam calamitate percussam, etc.

Attenta, ergo, causae finalis consideratione, fine videlicet atque destinatione, documentum illud eo maiori gaudebit *valore* seu auctoritate quo:

a) ad *altiorem* nobilioremque dirigitur *finem,* inter praestitutos, attingendum vel promovendum;

b) ad *ampliorem* ac *potiorem* destinatur Ecclesiae ipsiusque generis humani *partem;*

c) et characterem, sub durationis respectu, *perpetuum* praesefert, vel diuturnum et non simpliciter transeuntem.

Ideoque, ceteris paribus, sub finis destinationisque respectu, illud erit potissimum Ecclesiae Magisterii documentum, quod maxime ipsius Dei (in Unitate vel Trinitate inspecti) gloriam attingit vel promovet, quodque ad totam Dei Ecclesiam dirigitur, atque ad universos extenditur terrae incolas. Quo finis altitudo et nobilitas, quo destinatorum amplitudo decrescit, eo documenti valor minuitur.

Epilogus

Ex omnibus hucusque expositis sponte fluit aut confirmatur *generale criterium* ponderandi valoris seu auctoritatis dimetiendae alicuius documenti Magisterii ecclesiastici vel sectionum eiusdem vel assertionis cuiuscumque in eo contentae:

---

[54] Plures nuntios radiophonicos conferas, inde a primo, quem Pius XI marconianis undis ad universum genus humanum direxit, immo fere ad creaturarum universitatem.

[55] Ex. gr., permulti sermones a Pio XII pronunciati coram scientiarum vel artium cultoribus.

1. Cum quis praedictum valorem aggreditur aestimandum documenti vel sectionis vel assertionis, quatuor causas aspiciat oportet, nempe:

a) efficientem, seu auctorem;

b) materialem, seu fontes (attento etiam modo quo adhibiti fuere) et obiecto, (considerata quoque ratione qua fuit exhibitum);

c) formalem, seu modum quo doctrina proposita fuit aut condemnata;

d) finalem, videlicet finem ac destinationem.

2. Quo maior est valor seu auctoritas alicuius ex his quatuor causis, eo maior est valor seu auctoritas documenti vel partis vel assertionis sub illius causae respectu, seu partialiter, seu secundum quid; et, vicissim, quo minor, eo minor.

3. Quo maior est valor seu auctoritas omnium simul harum quatuor causarum simul inspectarum, eo maior est valor seu auctoritas illius documenti, vel partis, vel affirmationis, sub omnium quatuor causarum respectu, scilicet in universum seu simpliciter; et, vicissim, quo minor, eo minor.

* * *

Quae omnia clariora fient, allatis nonnullis exemplis; quibus abstracta principia concrete applicata ostendentur:

1. Documentum a Summo Pontifice Pio XII latum, de Ordinum maiorum elementis constitutivis, sub Apostolicae Constitutionis forma redactum, directe ad Occidentalem ritus romani Ecclesiam destinatum:

a) ratione causae efficientis seu auctoris, qui est Summus Pontifex in quantum Orbis et non tantum Urbis Episcopus, valoris seu auctoritatis attingit apicem;

b) ratione causae materialis:

— inspectis fontibus et modo quo adhibiti fuere, praedictum documentum summa auctoritate gaudere dicendum est, cum accuratissime e revelatione fuerit haustum, partim in divinis Scripturis, partim in divino-apostolicis Traditionibus asservata;

— considerato obiecto, cum non circa Deum Unum vel Trinum sed circa Ordinis Sacramentum versetur, non primum valoris attingit gradum, sed vel secundum (Sacramenta enim cum Christo auctore nectuntur, et maxime Ordo, qui cum Summo et Aeterno strictius sociat Sacerdote), vel octavum (Sacramenta namque ad Ecclesiam militantem referuntur);

c) ratione item causae formalis seu modi, cum nullam novam

definitionem pronuntiet, haec Constitutio deficit a valoris culmine, licet secundum auctoritatis gradum attingat, nempe sollemnis declarationis;

d) ratione causae finalis, etiam inspecta sola destinatione, cum directe nonnisi ad unam, licet magnam ac nobilissimam, dirigatur Ecclesiae partem (Occidentalem ritus romani) et non ad universalem Ecclesiam, sicut deficit a destinationis universalitate, ita sub hoc respectu et a supremo auctoritatis gradu.

Unde Constitutio ista documentum est altissimum secundum aliquas causas, scilicet efficientem et materialem (respectu fontium), sed non iuxta materialem (respectu obiecti), formalem atque finalem. Est universale, seu Magisterii universalis, penes causam efficientem, materialem (respectu fontium et obiecti), non vero penes finalem (destinationis respectu). Est ergo Constitutio ista altissima et universalis secundum quid et non simpliciter.

2. Pariter, si quis Constitutionum Romanae Synodi velit accurate cognoscere ac ponderare valorem seu auctoritatem, quatuor eiusdem causas inquirat ac dimetiatur oportet:

a) sub auctoris respectu, sedulo considerandum est Summum Pontificem ibi munus gerere non Orbis sed Urbis Episcopi, et nihilominus in sua eadem persona esse Orbis et Urbis Episcopus. Unde sub auctoris respectu, illarum Constitutionum valor simul et non summus est et summus: non summus, quatenus exarantur a Summo Pontifice prout est Urbis Episcopus; summus, quatenus exarantur a Summo Pontifice qui, cum de facto sit et Orbis Episcopus, seu supremus pastor, caput atque magister, uno servato iure divino, quaecumque in Domino decernenda duxerit, etiam in sua una Romana Dioecesi, valet statuere. Quod alius Episcopus, in sua Dioecesi, praestare omnino non potest;

b) sub materiae respectu, Constitutiones illae tantum valent quantum ipsorum fontes atque obiecta, et qua mensura et perfectione fontes recte adhibiti et obiecta accurate fuere proposita. Cum ergo ad Constitutiones conficiendas multi invocati fuerint fontes multaque pertractata obiecta, ideo iuxta fontium et argumentorum varietatem et methodi adhibitae perfectionem, diversum erit auctoritatis pondus;

c) sub modi respectu quo res proponuntur, Constitutiones praedictae auctoritatis cacumen minime attingunt, cum nulla in eis definitio inveniatur, nisi forte reassumpta: valor ergo, et hic, pro diversitate modi, erit diversus;

d) sub destinationis respectu, pariter Constitutiones huiusmodi a summitate auctoritatis deficiunt, cum non ad universum Orbem, sed ad Romanam tantum dirigantur Urbem.

3. Item, non omnia Conciliorum Oecumenicorum decreta (vel eorundem sectiones) eiusdem sunt ponderis seu auctoritatis, ut clare patebit consideranti, exempli gratia, Bullas Florentini Concilii. Nam auctoritas Decreti pro Graecis alia est quam Bullarum pro Armenis aut Iacobitis. Etenim:

a) sub causae efficientis ratione, haec tria Decreta, utique, supremo gaudent valoris gradu et universalitatis praerogativa, cum omnia et singula a Summo Pontifice cum Oecumenico Concilio ferantur;

b) deficere tamen possunt a summitate valoris et a charactere universalitatis sub causae materialis ratione, fontium nempe et obiecti, si non exhibeant doctrinam divinitus revelatam aut saltem retentam a consensu catholicae Ecclesiae. Et ita:

— Decretum pro Graecis, quoad ea quae respiciunt Spiritus Sancti processionem a Patre et Filio, e Sacra Scriptura, e divino-apostolicis Traditionibus pendet et e consensu catholicae Ecclesiae: unde a summae auctoritatis fontibus; pariter circa supremum versatur obiectum, Deum scilicet in Trinitate inspectum: unde primi gradus auctoritate pollet;

— Decretum pro Armenis, quoad permulta et praesertim quoad Ordinis Sacramentum, non praecise a divinis Scripturis aut Traditionibus divino-apostolicis vel consensu catholicae Ecclesiae, Liturgia universali signanter expresso, sed e fontibus quibusdam pendet quae potius quorundam saeculorum aut scholarum mentem exhibent: ideoque a fontibus quae in auctoritatis scala nonnisi undecimum aut duodecimum obtinent locum; nec, in suis maioribus partibus, circa supremum versatur obiectum, cum potissime de Sacramentis agat, quae, iuxta superius dicta, secundum vel octavum dumtaxat attingunt valoris gradum;

— Decretum pro Iacobitis, etiam quoad fontium et obiecti naturam et auctoritatem, assimilatur Bullae pro Armenis;

c) deficere item possunt a summitate valoris sub respectu causae formalis, si novas definitiones non condant aut dogmaticos canones. Sicque:

— Decretum pro Graecis, cum sollemnem non tantum contineat sed pronuntiet definitionem, auctoritatis culmen attingit;

— Decreta pro Armenorum et Iacobitarum unione, cum nihil noviter definiant, sed definitiones iam latas simpliciter reassumant, et quidem ad litteram, nullimode primum tangunt auctoritatis gradum; at potius, cum generatim nec declarationes contineant, consistant vero in expositionibus et enuntiationibus, ad tertium vel quartum tantum pertingunt valoris gradum.

d) deficere etiam possunt a summitate valoris et ab universalitatis

praerogativa sub respectu causae finalis, si documentum non ad universalem, sed ad particularem dirigatur Ecclesiam. Et ideo:

— Decretum pro Graecis, cum non ad Graecos tantum, sed ad universam toto orbe diffusam dirigatur Ecclesiam, auctoritatis et universalitatis fastigium obtinet;

— Decreta vero pro Armenis et Iacobitis ad unam, respective, et quidem parvam, Orientalis Ecclesiae diriguntur partem. Unde destituuntur summi valoris atque universalitatis nota.

4. Item, dicendum ad documentorum valorem statuendum, quae a SS. RR. Congregationibus feruntur:

a) sub auctoris consideratione, pondus crescit quo magis a Summo Pontifice documenta singula pendere censentur: unde magis valent quae ab eo probantur, quam quae a Sacris Congregationibus promulgantur non consulto Pontifice. Ideo maiori pollet auctoritate « Decretum Generalem quo liturgicus Hebdomadae Sanctae Ordo instauratur », quod « per singula... Sanctitas Sua... approbare dignata est », quam Rescriptum Sacrae Poenitentiariae, quo ecclesiolae cuidam, inconsulto Pontifice, indulgentia conceditur;

b) sub materiae consideratione, tantum documenta ista valent, quantum ipsorum fontes, obiectum et methodus qua fontes adhibiti et obiectum exhibitum. Ita ampliori valore gaudet Sacrae Congregationis Rituum « Instructio de Musica sacra et sacra Liturgia ad mentem Litterarum Encyclicarum Pii Papae XII *Musicae Sacrae Disciplina* et *Mediator Dei* », quam Sacrae Congregationis Consistorialis « Decretum de mutatione nominis et sedis » S. Peregrini Latiosi in superioribus Acre et Purus;

c) sub formae seu modi consideratione, haec Sacrarum Congregationum documenta nunquam valoris cacumen attingunt, cum definitiones condere aut dogmaticos ferre canones unius sit Romani Pontificis aut Concilii Oecumenici;

d) sub finis consideratione, attenta documentorum destinatione, magis valent quae ad omnem Ecclesiam quam ad particularem Ecclesiam vel coetum aut particularem personam. Sic magis valent decreta quae ieiunii eucharistici legem mitigarunt, quam Sacrae Romanae Rotae sententia qua matrimonii cuiusdam nullitas declaratur.

5. Tandem, similiter iudicandum de documento a Conciliis particularibus (sive plenariis sive provincialibus) lato:

a) sub causae efficientis respectu, ad primum auctoritatis gradum nunquam ascendit, nisi Summus Pontifex aut Oecumenica Synodus ita documentum illud approbent ut velut absorbeant seu proprium efficiant, ut Arausicano II Concilio accidit;

b) sub causae materialis respectu, possunt supremum tangere valoris gradum, si divinis et vere catholicis utantur fontibus, eos perfecte adhibeant, circa summum versentur obiectum, eaque decernant quae iam fide divina aut divino-catholica in Dei Ecclesia tenentur atque traduntur. Exemplum doctrinae iam fide divina et catholica creditae, reassumptae et uberius explicatae in Concilio particulari, sumi potest ex Symbolo fidei Concilii Toletani XI relate ad Beatissimam Triadem;

c) sub causae formalis respectu, nunquam ad auctoritatis summae fastigium deveniunt, cum sollemnis iudicii ferendi particulare Concilium prorsus sit incapax;

d) tandem, sub causae finalis respectu, de se, nunquam summa gaudebunt auctoritate, cum non ad universam sed ad particularem tantum dirigi possint Ecclesiam. Ad universalem vero nequeunt extendi, nisi ab habentibus auctoritatem super omnem Dei familiam, scilicet a Summo Pontifice vel a Concilio Oecumenico.

* * *

Sciscitanti autem quodnam esset, sub quatuor causarum respectu, supremum omnino Magisterii ecclesiastici documentum, responderi potest:

a) quod a Summo Pontifice aut ab Oecumenico Concilio exaratur (maxima causa efficiens seu auctor);

b) quod e revelatis fontibus perfecte adhibitis doctrinam revelatam depromit, de Deo in unitate naturae aut in Personarum Trinitate inspecto (suprema causa materialis sub omni respectu);

c) quodque hanc doctrinam sollemni proponit definitione erroremve contrarium sub anathematis comminatione plectit (excellentissima causa formalis);

d) quodque tandem revelatam hanc definitamque doctrinam, Dei gloriam summopere provehentem, ad universam Ecclesiam toto terrarum orbe diffusam, immo et ad omnem hominum ubique incolentium dirigit consortionem (summa causa finalis).

DE BEATA MARIA VIRGINE EIUSQUE CULTU

Schema

Introductio: Ecclesia iugiter cordi habuit christifideles illuminare circa doctrinam et cultum B. M. Virginis, prout eius acta, saeculorum decursu, aperte testantur.

Pars I (doctrinalis): I. *Singularis missio* B. M. Virginis. Deus enim « uno eodemque decreto » Christum Hominem-Deum et Redemptorem nec non B. Virginem eius Matrem praedestinavit. Ex hoc autem sequitur B. M. Virginem triplici veluti nexu 1) physico, nempe, 2) metaphysico et 3) morali, Christo fuisse intime et indissolubiliter coniunctam. Hoc posito, magna consectaria derivantur, videlicet: 1) singularis locus seu transcendentia B. Virginis, cum Christo, supra res omnes creatas; 2) singularis B. M. Virginis similitudo cum Christo; 3) singulare B. M. Virginis momentum in Religione Christiana, cuius essentiam ingreditur; 4) singulare B. M. Virginis officium Matris universalis, sive erga Christum sive erga christianos (Christi membra), nec non Mediatricis et universorum Reginae.

II. *Singularia B. M. Virginis privilegia* intuitu singularis missionis a Deo Ipsi collata, 1) in initio, 2) in decursu et 3) in fine vitae.

Pars II (practica): 1) *Natura cultus* B. M. Virgini exhibiti: nec latria, nec simplex dulia, sed hyperdulia; 2) *Actus cultus* mariani, nempe: 1) veneratio, 2) invocatio, 3) dilectio et 4) imitatio; 3) *Utilitas* cultus mariani; 4) *Necessitas* cultus mariani; 6) *Variae* formae cultus mariani ab Ecclesia adprobatae.

Conclusio.

Introductio

Divini sui Conditoris Christi Iesu monitis, saeculorum decursu, obsequuta, Ecclesia Catholica semper cordi habuit illuminare suos asseclas circa ea quae B.mam Virginem respiciunt, praesertim definiendo, suo infallibili Magisterio, quaedam dogmata quae ad illam attinent, contra eos qui ausi fuerant eadem denegare. Quae dogmata sunt: perpetua Mariae SS.mae Virginitas, quae variis fidei Symbolis continetur et a pluribus Conciliis affirmatur;[1] Eiusdem Divina Maternitas contra Nestorium definita in Ephesino Concilio A.D. 431;[2] Immunitas Beatissimae Virginis ab omni vel levi culpa in Concilio Tridentino;[3] Immaculata Conceptio, a Pio IX definita die 2 decembris 1854;[4] Assumptio B. M. Virginis, corpore et anima, expleto terrestris vitae cursu, ad coelorum gloriam.[5]

Praeter haec dogmata de fide tenenda, multa alia, magisterio suo ordinario, scilicet quotidiana mariali praedicatione et praesertim Encyclicis Romanorum Pontificum, quae ad Ipsam spectant, docuit Ecclesia de Beatissima Virgine.

His praemissis, Concilium Vaticanum secundum, ad Christifidelium devotionis incrementum erga Beatissimam Virginem, muneris sui esse ducit ad synthesim reducere, praesenti constitutione, quidquid Ecclesia de Virgine docuit suo Magisterio, tam ordinario quam extraordinario. Et hoc eo magis quod nostris temporibus duae habentur, circa B.mam Virginem, oppositae opiniones: una nimirum, quae Virgini tribuere velit — per exaggerationem — praerogativas absque fundamento theologico, itidem devotionis formas a theologica veritate aberrantes; altera, e contra, quae Ipsius Virginis praerogativas, nulla solida ratione, reducere et infitiari aut in dubium revocare, iam acquisitas, vel reprobare quaedam devotionis Marialis praxes iam approbatas vel etiam ab Ecclesia commendatas.

Opportunum igitur videtur Christifideles illuminare ut huiusmodi excessus diligenter omnino vitentur, et ut magis ac magis floreat in ipsis saluberrima devotio erga B. V. Mariam, Dei et omnium nostrum dulcissimam Matrem.

Pars Prima
(doctrinalis)

I - SINGULARIS B. M. VIRGINIS MISSIO

Cum ab aeternitate sapientissimus Deus decreverit ad extra, propter suam extrinsecam gloriam, effundere suam infinitam bonitatem, prae multis rationibus, quibus hanc effusionem perficeret, praesentem selegit ordinem, rebus visibilibus et invisibilibus constantem, quorum omnium centrum et vertex esset Verbum Incarnatum, omnium operum Dei ad extra compendium, Redemptor, i. e. novus Adam, ruinae a primo Adam patratae Reparator.

At quoniam Deus ab aeterno disposuerat ut Verbum Incarnatum et mundi Redemptor, foret « semen mulieris » (*Gen.* 3, 15)) i. e. « factum ex muliere » (*Gal.* 4, 4) ut eiusdem nostrae stirpis esset extorris, sequitur ut ipso eodem decreto, quo Christus praedestinatus fuit Dei Filius mundique Redemptor, scilicet novus Adam, SS.ma quoque Virgo — quamvis non pari modo — praedestinata fuerit Mater Christi Iesu, qua hominis Dei et qua Redemptoris, i. e. universalis Mater: Mater Dei in ordine naturali, Mater vero redemptorum in supernaturali. Christus Iesus,

enim, qua Homo-Deus, corpus reale habet, sicut et nos; sed qua humani generis Redemptor, corpus morale habet, ex omnibus hominibus, quorum caput est, compactum. Iamvero Maria SS.ma Eum genuit et peperit non tantum ut Hominem Deum, cum corpore suo physico, sed etiam ut Redemptorem, cum corpore suo morali, cuius est Caput. Hinc consequitur Ipsam veram matrem esse tam Hominis-Dei et eius corporis realis, quam Redemptoris et eius corporis mystici, ex omnibus credentibus, mystici Christi membris, compositi, i. e. esse Matrem universalem, Matrem totius Christi, tam capitis quam membrorum.

Hinc triplex exoritur vinculum, nempe physicum, metaphysicum et morale quo Christus et Maria, in tempore et in aeternitate, indissolubiliter uniuntur. Vinculum, imprimis, physicum, vi cuius Christi caro et sanguis (ille sanguis — ut Apostolus ait — qui pretium nostrae redemptionis fuit) nihil aliud sane sunt nisi caro et sanguis Mariae; vinculum metaphysicum, vi cuius iugiter Christo Maria reali sociatur relatione, innixa reali generationi divinae personae Verbi secundum humanam naturam, ita ut Christus, eius Filius, neque existere, imo nec intelligi quidem possit absque Maria eius Matre: correlativa enim simul sunt in esse quam in cognitione; vinculum denique morale, in duobus praecedentibus fundatum, vi cuius Mater sortem sequitur Filii, et e converso, mirabili unione cogitationum et affectuum, gaudiorum et dolorum, quae unio tam arcta est ut ex Matre et Filio unicum quid morale efficiatur; ita ut qui exaltaverit Filium etiam Matrem exaltet, qui Filium offenderit et Matrem offendat, qui Filium abnegaverit vel ab eo seiungatur, Eius quoque Matrem negare vel ab ea seiungi necesse sit et e converso.

Vi etiam vaticinii a Deo in Eden prolati, statim ac progenitores nostri praevaricati sunt, Virgo benedicta ab Ipso intime sociata est non tantum augustissimae personae Redemptoris, ut Eius Mater, sed Ipsi Illius operi redemptivo, metaphorice expresso per triumphales inimicitias ex una parte inter Christum Eiusque SS.mam Matrem, ex altera serpentem, qui iam in Adam et Hevam victor, a novo Adam et a nova Heva contritus evaderet.

Ex hac intima et indissolubili unione (physica, metaphisica, morali) quaedam magni momenti consectaria sequuntur, inter quae primum obtinet locum transcendentia Mariae, una cum Christo, super omnes res creatas, etiam nobilissimas, ita ut quidquid pulchri, boni aut magni in toto orbe seiunctim invenitur, simul coniunctum, aliquo modo, sit et in Maria; consequitur etiam ut Maria SS.ma simillima omnium Christo fuerit, ita ut habeat, participative, eadem privilegia quae Sacrosanctae Christi humanitati competunt: similis enim Ei in praedestinatione fuit, in prophetarum praeconiis, in saeculorum expectatione, similis in immu-

nitate a quovis peccato, in plenitudine gratiae et gloriae; et licet Filius natura, Ipsa quoque, quamvis gratia, omnipotens sit.

Ex eadem intima et indissolubili unione, quae Christo Mariam sociat, sequitur praeterea Mariam SS.mam esse non tam quid accidentale aut accessorium Religionis Christianae quam quid essentiale; non quasi ad margines, sed in ipso veluti centro Religionis inveniri, una cum Christo, licet secundario et subordinate. Duobus enim Religio Christiana innititur: Christo et Christianis, mystici Christi membris. Iamvero tum Christus cum corpore suo reali, tum Christiani, Christi Capitis mystica membra, prorsus intelligi nequeunt absque Maria, vera Mater — saepe iam diximus — cum Christi capitis, cum mysticorum suorum membrorum. In hac duplici Maternitate, physica nempe et naturali erga Corpus Christi reale, supernaturali vero et mystica erga Corpus Christi mysticum seu in maternitate tam erga Deum quam erga homines, invenitur singulare munus a Deo Mariae concreditum, cui, una cum Christo Homine-Deo et Redemptore ab aeterno praedestinata fuerat.

Praeterea, ex intima et indissolubili unione quae est inter Christum et Mariam in eodem praedestinationis decreto, sequitur etiam ut Maria, iam ab aeternitate, primum locum habuerit, una cum Christo, non solum in mente Dei, eo sensu ut, nostro intelligendi modo, de Eis Deus cogitaverit eosque voluerit ante omnes alias res creatas, sed et in creatione totius mundi, velut centrum eiusdemque verticem, ita ut omnis, tamquam minus nobilia, in suo ordine hierarchico, nobilioribus ordinentur, scilicet Christo et Mariae, eorum nempe gloriae, ut chorus qui mundi Regem et Reginam praecedit et sequitur.[6] « Omnia enim — ut est in S. Paulo (*I Cor.* 3, 22) — vestra sunt » nempe a Deo vobis, o homines, ordinantur; « Vos autem Christi » i. e. ordinati estis maiori gloriae Christi, qui a sua Matre seiungi non potest; « Christus, autem Dei », i. e. et Ipse, una cum Maria gloriae Dei ordinatur.

Virgo quoque SS.ma una cum Christo et simul cum Ipso, constituta est a Deo « Haeres universorum » (*Hebr.* 1, 2); etenim, sicut « omnia per Ipsum [Christum] et nos per Ipsum » (*I Cor.* 8, 6) facti sumus, ita etiam omnia et nos ipsi per Mariam.

Ex intima tandem et indissolubili unione inter Christum et Mariam, consequitur Ipsam, una cum Christo, esse Reginam et centrum omnium saeculorum, magnam historiae Dominam, verum axem circum quem omnes historiae eventus volvuntur; et ut iam Apostolus de Christo dixit « Christus heri et hodie, Ipse et in saecula » ita et de Maria, sine qua Christus de facto non fuisset, eadem dici possunt. « Finem legis, imaginum atque oraculorum veritatem in Maria denique post Christum referimus ».[7] Propter quod sive in praedictionibus potioribus, aeternum

manifestantibus decretum praedestinationis divinae, sive in earum complemento, Christus Iesus et B. Virgo intime et indissolubiliter coniuncti exhibentur; Christus, enim, iam a prima omnium prophetia ab ipso Deo in Paradiso terrestri facta, proditur tamquam « semen mulieris » (*Gen.* 3,15), ab Isaia vero tamquam virginis propago (*Is.* 7, 14) aut virga a radice Iesse germinata (*Is.* 11, 1). Primi Iudaeorum adoratores, pastores, « invenerunt Mariam et Infantem » (*Lc.* 2, 16); Magi quoque, primitiae gentium « invenerunt Puerum cum Maria Matre eius » (*Mt.* 2, 11), Maria SS.ma Christum sanctificationi Baptistae affert, primae oblationi in tempo Ierosolimitano adest, quando ei praedicitur Illam doloribus Filii transfigendam esse (*Lc.* 2, 22-35); adest etiam sollemni Christi revelationi in nuptiis ad Cana Galileae, impetrans, suis maternis precibus, primum Christi miraculum: « et erat Mater Iesu ibi » (*Io.* 2, 1-11); praesens adest in Calvaria apud aram Crucis, praesolemni momento quo Christus sua morte orbem redemit: « Stabat iuxta Crucem Iesu mater eius » (*Io.* 19, 25). Iure ergo mundi historia sicut circa Christum, ita et circa Mariam, a Cristo indivisibilem, volvi dicenda est.

Sicut Adae peccatum, Hevae cooperatione patratum, totum mundum affecit, itā et redemptio a culpa, per Christum, novum Adam operata, cooperante Maria nova Heva, universum afficit mundum, hunc vitae supernaturali regenerans, et ex integro renovans, iuxta illud Apostoli « Ecce facta sunt omnia nova » (*II Cor.* 5, 17). Christus Iesus et Maria omnia sibi subiecerunt (*Eph.* 1, 22; *Hebr.* 2, 8) ut Deus omnia vivificaret (*I Tim.* 6, 13).

Sicut Christus Mediator est, ita et Maria, ei intime nexa, inter Deum et homines est Mediatrix, quoniam, simul cum Christo, inter duo extrema, illinc Deum, hinc vero homines, stat, eosque coniungit, Deo res humanas deferens pro homine, et homini divinas, i. e. gratiam et gloriam.[8] Ut Christus Iesus est Rex, ita et Maria tum iure naturae, quia Illius Mater, tum iure acquisitionis, quia socia Eius in opere Redemptivo, Regina mundi sensu vero proprioque dicenda est, dominium habens universale super omnia et in omnes, ita ut etiam coram Ipsa, sicut et coram Christo necesse sit ut « omne genuflectatur caelestium, terrestrium et infernorum » (*Philipp.* 2, 10).[9]

II - SINGULARIA B. M. VIRGINIS PRIVILEGIA

Quoniam autem Deus, concredens alicui particulare munus, simul illum omnibus donis et privilegiis exornat, quae dignum illo munere efficiant,[10] sequitur singularissimis donis et privilegiis Mariam ditasse, ob praestantissimum munus illi commissum Matris suae, Mediatricis

inter se et homines ac totius mundi Reginae. Quae dona et privilegia totam Mariae personam affecerunt, a primo ad ultimum suae vitae punctum.[11]

Iam a primo suae existentiae instanti, etenim, Illa, secus ac omnes ab Adam progeniti, intuitu futurorum Iesu Christi, Filii sui meritorum, praeservata fuit immunis a labe originali, luce divinae gratiae, velut « mulier amicta sole » (*Ap.* 12, 1) apparens et gratia, iam ab illo instanti, omnium aliorum simul sumptorum, gratiam excedente.[12]

Decursu, vero, terrestris vitae, Ipsa una Virgo fuit et Mater; Virgo integra non solum ante, sed etiam post partum, qui sui non violavit integritatem corporis, perenniter et totaliter defixa mente et corde in Deum; [13] Ipsa una, inter omnes mulieres, non in dolore, sed in gaudio Unigenitum suum edit,[14] sic effugiens maledictionem a Deo in mulierem prolatam (*Gen.* 3, 16); Ipsa denique una, toto vitae suae decursu, una cum plenitudine gratiae (Lc. 1, 28) [15] plenitudinem omnium virtutum habuit et donorum Spiritus Sancti,[16] semperque immunis fuit ab omni vel minima labe.[17]

Expleto autem suae vitae terrestris cursu, Ipsa una, culpae et proinde mortis debellatrix, non in sepulchro corruptionem vidit, sicut et ceteri, sed corpore et anima ad gloriam coeli assumitur, nempe ad gloriam superexcedentem eam quae omnibus aliis, tam Angelis quam Sanctis simul sumptis competit.[18]

Pars secunda

(practica)

I. Ecclesia Christi, iam a suis initiis, coram tam singulariter excellente, suis muneribus, consequentibusque privilegiis, muliere, non potuit abstinere quin ei cultum praestaret,[19] qui semper in eo cui tribuitur excellentiam supponit, cum nihil aliud sit — iuxta acceptam ab omnibus Damasceni definitionem — nisi « nota submissionis ob agnitam excellentiam alterius ».[20] Ex eo autem quod illa omnes res creatas incomparabiliter excedit, et inferior tantum suo Creatore est, consequens est ut etiam cultus, scilicet agnitio tam singularis excellentiae praestet cultui qui aliis creaturis tribuitur et cedat tantum cultui Creatoris: peculiaris cultus, iure ab Ecclesia, verbo iam multis a saeculis usitato, *hyperdulia* dictus, ut distinguatur tam a *dulia,* quae Sanctis, quam a *latria,* quae uni Deo tribuitur, iuxta illud S. Epiphanii contra Collyridianos: « Maria in honore sit! Dominus adoretur! ».[21] Maria enim ut egregie aiebat S. Ambrosius, « erat Templum Dei, non Deus Templi »; [22] Ipsa est « Mater Dei, sed non Deus ».[23]

Qui quidem cultus absolutus esse potest aut relativus, secundum quod ipsa Beatissimae Virginis persona honoretur vel aliquid quod cum Ea relationem habeat, ut eius imagines; privatus aut publicus, prout ab uno vel a pluribus simul praestetur; ordinarius, demum, aut liturgicus.

II. Actus potiores, autem, quibus eiusmodi cultus exprimitur, quatuor sunt, scilicet: veneratio, propter praestantiam et dignitatem paene infinitam Matris Dei; amor, eo quod sit vera hominum Mater; invocatio, propter eius potentiam in regno gratiae; postremo imitatio, ob eius virtutum excellentiam. Tres priores a devotione eliciuntur, et velut fructus sunt quos ipsa devotio producit; quartus, vero, devotione mariana imperatur.[24]

1) Mediante veneratione, fideles non modo interius, i. e. mente (aestimatione) et voluntate (honore) Beatissimam Virginem colunt, sed etiam exterius, scilicet laudibus et piis devotisque exercitiis in eius honorem statutis, sive privatis sive publicis, individualibus aut socialibus, liturgicis aut extraliturgicis.

Per hanc Christifideles, praeterquam prophetiam Virginis (*Lc.* 2, 48) ad actum reducere, nihil aliud agunt, nisi in laudibus Virginis se cum Angelo Gabriele (*Lc.* 1, 28) et Sancta Elisabeth sociare (*Lc.* 1, 42) necnon cum illa e vulgo muliere, quae, quasi vicaria Ecclesiae, Christi eiusque Ss.mae Matris inimicos et hostes spernens, semper Eam magna proclamat voce « Beatam » (*Lc.* 11, 27-28). Haec veneratio, Beatissimae Virgini tributa, non solum non minuit adorationem Deo debitam, sed potius eam firmat et auget, in Maria enim quoddam speculum divinae perfectionis infinitae miratur, proindeque Ipsum Deum finem ultimum habet, cuiuscumque perfectionis creatae fontem increatum.[25] Propter hoc tam definitio dogmatica de Immaculata Virginis Conceptione, quam eiusdem ad coelum Assumptione, incipit memorando laudem et gloriam Ss. Trinitatis.[26] Ubi magis Maria, ibi etiam Deus magis colitur.

2) Per invocationem vero fideles ad Eam fidenter recurrunt, quae a Deo constituta est Mediatrix et dispensatrix omnium gratiarum, ut vitam gratiae obtineant, si eius expertes sint, aut conservent augeantve usque dum in vitam gloriae transformentur.[27] Gaudet enim Ipsa nos exaudire, quippe quae nos iugiter in Deo intueatur et audiat; potest nos exaudire, quoniam omnia a Deo obtinere valet, cum Deus eam constituerit thesaurorum suorum administram et instrumentum in omnium gratiarum elargitione; desiderat nos exaudire, nostra enim vera Mater est, cui nihil magis cordi est quam filiorum felicitas verax. Per hos invocationis actus, hodierni fideles primis sociantur Christianis, qui Eam invocare consueverant perpulchra illa, quae etiam nostris temporibus ubique resonat, prece « Sub tuum praesidium confugimus ».

Neque per hoc quidquam nostrae fiduciae in Deum adimitur, vel Christi mediationi, cum Deus, in suorum beneficiorum distributione uti possit Beatissima eius Matre, velut instrumento, quin haec beneficia ab Eo tantum promanare censeri valeat. Ideo « implorandae ... Virginis ritus aliquid habet cum Dei cultu commune, adeo ut Ecclesia his vocibus ipsam compellet, quibus exoratur Deus: *Peccatorum miserere* ».[28] Constat enim instrumentales causas, vel secundas, quae omnem agendi vim mutuantur a causa prima, nempe Deo, necessario eidem necti. Potius ergo quam in hac instrumenti ratione, quandam Dei, causae primae imminutionem, videre cogimur et admirari pleniorem suae bonitatis et infinitae sapientiae manifestationem, cum creaturas suae societ actioni.[29]

3) Actibus autem amoris filialis erga Mariam, nostram veram Matrem in ordine supernaturali (obsequio nempe mentis et voluntatis) obsequium adiungimus dilectionis, quae non potest facere quin sese effundat coram propria genitrice; haec enim lex a Deo in cordibus filiorum insculpta est. Iure meritoque, ergo, Ecclesia damnavit hanc Molinos propositionem « Nulla creatura, nec Beata Virgo, nec Sancti sedere debent in nostro corde » [30] et fideles incitavit per Leonem XIII ut, semper prae oculis habentes exemplum S. Ioannis, accipiant et ipsi in sua Beatissimam Virginem, velut propriam Matrem.[31] « Nihil potest Iesu Christo gratius obvenire, qui in Matrem suam magno profecto flagrat amore, quam si eam pro merito veneremur, impense redamemus ».[32]

4) Per imitationem tandem fideles vitam Virginis Mariae exemplar sibi diligunt. Imitatio virtutum B. Mariae Virginis, ex se non pertinet — sicut veneratio, amor et invocatio — ad essentiam devotionis, erga eam, at est eius corollarium, quod logice deducitur ex vera devotione erga Ipsam; sine qua imitatione devotio ipsa non esset completa et perfecta, ut docuit S. Pius X in Encyclica *Ad diem illum*: « Quod si praeterea quis velit, velle autem nullus non debet, ut sua in Virginem religio iusta sit omnique ex parte absoluta, ulterius profecto opus est progredi, atque ad imitationem exempli eius omni ope contendere ».[33] Et Pius XII, Encyclica *Fulgens corona*: « Quemadmodum matres omnes suavissime afficiuntur, cum suorum filiorum vultum cernunt propriam ipsarum faciem peculiari quadam similitudine in se referre, ita dulcissima Mater nostra Maria nihil optatius habet, nihil iucundius, quam cum eos videt, quos sub Cruce Nati in eius vicem suscepit filios, sui animi lineamenta ornamentaque cogitando, loquendo, agendoque exprimere ».[34]

Verum quidem est Christo Iesu Christicolas conformes fieri debere (*Rom.* 8, 29) ut aeternam beatitudinem consequi valeant; at verum

etiam est quod idem S. Pius X in Encyclica *Ad diem illum* animadvertit: « Ea fere est infirmitas nostra, ut tanti exemplaris amplitudine facile deterreamur »; [35] ideoque « providentis Dei munimine, aliud est nobis exemplar propositum, quod, cum Christo sit proximum, quantum humanae licet naturae, tum aptius congruat cum exiguitate nostra. Eiusmodi autem nullum est praeter Deiparam ».[36]

III. Cultus erga Beatissimam Virginem, ut docet Suarez « utilis est et necessarius ».[37] Utilis est non solum individuis, in vita, morte et post mortem, sed etiam societati, tam domesticae, quam religiosae et civili, propter innumerabilia beneficia, spiritualia et materialia, ab eo manantia.

IV. Sed est etiam necessarius iis fidelibus, qui eius idonei sunt, ad simpliciter obtinendam aeternam salutem,[38] non quidem necessitate absoluta, nempe ex natura ipsius cultus, sed necessitate, uti aiunt, relativa vel hypothetica, divina sic disponente voluntate, ex qua Virginis devotio « es un elemento fundamental en la vida cristiana » [39] et sicut illum negligere reprobationis, ita illum devote exercere signum est praedestinationis ad coeli gloriam. Eiusmodi enim cultus, implicite in actibus fidei, spei et caritatis invenitur, qui, certe, ad salutem aeternam necessarii sunt. Qui, enim, elici potest actus (radicis et fundamenti iustificationis) in Verbum Incarnatum, quin actus eliciatur fidei in Eam in qua et ex qua Verbum Incarnatum est? Qui, autem, actus fidei in eius Maternitate et privilegiis Immaculatae Conceptionis, Virginitatis perpetuae et Assumptionis corpore et anima in coelum, elici potest, quin simul praestetur Ei obsequium mentis, ob Eius singularem excellentiam? Aut quomodo elici potest actus fidei in eius mediationem universalem, ut per Magisterium ordinarium et universale Ecclesiae docemur, quin simul voluntas agnoscat peculiarem et iugem necessitatem Illius, cuncta, postquam a Deo, ab Ea sperans?

Qui autem fieri potest ut Eam, velut Magisterium ordinarium et universale Ecclesiae docet, veram omnium nostrum Matrem, in ordine supernaturali gratiae, agnoscamus, quin in cordibus nostris amor oriatur filialis, scilicet quin eam totis visceribus redamemus? [40] Iure ergo meritoque S. Ioannes Damascenus aiebat cultum Virginis cordi nostro ipsa respiratione cariorem esse debere eo quia vitae aequivalet.[41] « Maria dicitur *Porta coeli* — ait S. Bonaventura — quia nullus potest coelum intrare nisi per Mariam transeat tamquam per portam ».[42] « Sicut enim per Ea, Deus ad nos descendit, sic oportet ut nos per eam ad Dominum ascendamus ».[43]

V. Numquam ergo satis laudabuntur pia exercitiae devotionis Marialis a pluribus iam saeculis in Ecclesia florentibus ut dies Sabbati peculiariter Virgini Beatissimae dicatus, recitatio « Angelus Domini », Ro-

sarii, Coronae Septem dolorum, Scapularia Beatae Virginis, primum Sabbatum cuiusque mensis ad reparandas offensiones B. Virgini illatas, supplicationes mensibus Maio et Octobri, diesque Festi, infra annum, Beatissimae Matris semperque Virginis Mariae.

Adnotationes

[1] Denz., n. 13, 218, 227, 255, 993.

[2] Denz., n. 111 A, 148.

[3] Denz., n. 833.

[4] Pius PP. IX, *Ineffabilis Deus.* Cf. Denzinger, n. 1641.

[5] Pius PP. XII, *Munificentissimus Deus.* In *A.A.S.,* 42 (1950), pp. 767-770.

[6] Leo PP. XIII, Enc. *Augustissimae Virginis,* 12 sept. 1897: « Eam... ab aeterno ordinavit [Deus] ut Mater Verbi fieret humanam carnem assumpturi; ideoque inter omnia, quae essent in triplici ordine naturae, gratiae gloriaeque pulcherrima, ita distinxit, ut merito eidem Ecclesia verba illa tribuerit: *Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam* (Eccli 24, 5) ». In *Acta Leonis Pp. XIII,* vol. 17, p. 285.

Leo PP. XIII, Enc. *Magnae Dei Matris,* 8 sept. 1892: « Eo digna [Maria], quam Deus ipse amavit et dilexit primus, atque ita dilexit, ut unam ex universitate rerum sublimius evectam amplissimisque ornatam muneribus sibi adiunxerit matrem ». In *Acta Leonis Pp. XIII,* vol. 12, p. 221.

Pius PP. XII, Enc. *Ad coeli Reginam,* 11 oct. 1954: « Nullum igitur dubium est Mariam Sanctissimam dignitate sua super omnes res creatas excellere itemque super omnes post Filium suum obtinere primatum ». In *A.A.S.,* 46 (1945), p. 635.

[7] Cf. Enc. *Ad diem illum.* In *Acta Pii Pp. X,* vol. 1, p. 147.

[8] Leo PP. XIII, Enc. *Fidentem piumque,* 20 sept. 1896: « Certissime quidem perfecti Conciliatoris nomen et partes alii nulli conveniunt quam Christo, quippe qui unus, homo idem et Deus, humanum genus summo Patri in gratiam restituerit: "*Unus mediator Dei et hominum homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*" » (*1 Tim.* 2, 5-6). At vero si « *nihil prohibet,* ut docet Angelicus, *aliquos alios secundum quid dici mediatores inter Deum et homines, prout scilicet cooperantur ad unionem hominis cum Deo dispositive et ministerialiter* » (III, q. 26, aa. 1, 2), cuiusmodi sunt angeli sanctique caelites, prophetae et utriusque testamenti sacerdotes, profecto eiusdem gloriae decus Virgini excelsae cumulatius convenit. Nemo etenim unus cogitari quidem potest qui reconciliandis Deo hominibus parem atque illa operam vel umquam contulerit vel aliquando sit collaturus. Nempe ipsa ad homines in sempiternum ruentes exitium Servatorem adduxit, iam tum scilicet quum pacifici sacramenti nuncium, ab Angelo in terras allatum, admirabili assensu, « *loco totius humanae naturae* » (III, q. 30, a. 1) excepit: ipsa est « *de qua natus est Iesus* », vera scilicet eius Mater, ob eamque causam digna et peraccepta *ad Mediatorem Mediatrix.* In *Acta Leonis Pp. XIII,* vol. 16, pp. 282-283.

Leo PP. XIII, Enc. *Supremi Apostolatus,* 1 sept. 1883: « ... Nihil validius potiusque iudicamus, quam religione et pietate demereri magnam Dei Parentem Mariam Virginem quae pacis nostrae apud Deum sequestra et gloriaeque fastigio

in caelis collocata, ut hominibus ad sempiternam illam civitatem per tot labores et pericula contendentibus patrocinii sui subsidium impertiat ». In *Acta Leonis Pp. XIII,* vol. 3, pp. 280-281.

LEO PP. XIII, Enc. *Supremi Apostolatus,* 1 sept. 1883: « Revera primaevae labis expers Virgo, adlecta Dei Mater, et hoc ipso servandi hominum generis consors facta, tanta apud Filium gratia et potestate valet, ut maiorem nec humana nec angelica natura assecuta umquam sit, aut assequi possit ». In *Acta Leonis Pp. XIII,* vol. 3, p. 281.

LEO PP. XIII, Const. apost. *Ubi primum,* 2 oct. 1898: « ... Ad magnam Dei Matrem eamdemque reparandi humani generis consortem ultro animus convolavit, ad quam trepidis in rebus confugere catholicis hominibus praecipuum semper ac sollemne fuit ». In *Acta Leonis Pp. XIII,* vol. 18, p. 161.

LEO PP. XIII, Enc. *Iucunda semper,* 8 sept. 1894: « Cum enim se Deo vel ancillam ad matris officium exhibuit vel totam cum Filio in templo devovit, utroque ex facto iam tum consors cum eo exstitit laboriosae pro humano genere expiationis ». In *Acta Leonis Pp. XIII,* vol. 14, p. 307.

PIUS PP. X, Enc. *Ad diem illum,* 2 febr. 1904: « Ad haec, Deiparae sanctissimae non hoc tantum in laude ponendum est quod *nascituro ex humanis membris Unigenito Deo carnis suae materiam* (S. BEDA VEN. l. 4, in *Lc.* 2) ministravit, qua nimirum saluti hominum compararetur hostia; verum etiam officium eiusdem hostiae custodiendae nutriendaeque atque adeo, statuto tempore, sistendae ad aram. Hinc Matris et Filii numquam dissociata consuetudo vitae et laborum, ut aeque in utrumque caderent Prophetae verba: *Defecit in dolore vita mea, et anni mei in gemitibus* (*Ps.* 30, 11). Cum vero extremum Filii tempus advenit, *stabat iuxta crucem Iesu Mater eius,* non in immani tantum occupata spectaculo, sed plane gaudens quod *Unigenitus suus pro salute generis humani offerretur, et tantum etiam compassa est, ut, si fieri potuisset, omnia tormenta quae Filius pertulit, ipsa multo libentius sustineret* (S. BONAV., *I Sent.* d. 48 ad Litt. dub. 4).

Ex hac autem Mariam inter et Christum communione dolorum ac voluntatis, *promeruit* illa *ut reparatrix perditi orbis dignissime fieret* (EADMERI MON., *De excellentia Virg. Mariae,* c. 9), atque ideo universorum munerum dispensatrix, quae nobis Iesus nece et sanguine comparavit.

Equidem non diffitemur horum erogationem munerum privato proprioque iure esse Christi; siquidem et illa eius unius morte nobis sunt parta, et ipse pro potestate mediator Dei atque hominum est. Attamen, pro ea, quam diximus, dolorum atque aerumnarum Matris cum Filio communione, hoc Virgini augustae datum est, ut sit *totius terrarum orbis potentissima apud Unigenitum Filium suum mediatrix et conciliatrix* (PIUS IX, Litt. Ap. *Ineffabilis,* 8 dec. 1854: *APN* I 597). Fons igitur Christus est, et *de plenitudine eius nos omnes accepimus* (*Io.* 16); *ex quo totum corpus compactum, et connexum per omnem iuncturam subministrationis... augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate* (*Eph.* 4, 16).

Maria vero, ut apte Bernardus notat, *aquaeductus* est (S. BERN., *Serm. de temp., in Nativ. B. V. de Aquaeductu,* n. 4), aut etiam collum, per quod corpus cum capite iungitur itemque caput in corpus vim et virtutem exserit. *Nam, ipsa est collum capitis nostri, per quod omnia spiritualia dona corpori eius mystico communicantur* (S. BERN. SEN., *Quadrag. de Evangelio aeterno* serm. 10 a. 3 c. 3). Patet itaque abesse profecto plurimum in nos Deiparae supernaturalis gratiae efficiendae vim tribuamus, quae Dei unius est. Ea tamen, quoniam universis sanctitate praestat con-

iunctioneque cum Christo atque a Christo ascita in humanae salutis opus, *de congruo,* ut aiunt, promeret nobis quae Christus *de condigno* promeruit, estque princeps largiendarum gratiarum ministra. *Sedet* ille *ad dexteram maiestatis in excelsis* (*Hebr.* 1, 3), Maria vero astat regina a dextris eius, *tutissimum cunctorum periclitantium perfugium et fidissima auxiliatrix, ut nihil sit timendum nihilque desperandum ipsa duce, ipsa auspice, ipsa propitia, ipsa protegente* (Pius IX, Litt. Ap. *Ineffabilis,* 8 dec. 1854: *APN* I 1 597) ». In *Acta Pii X,* vol. 1, p. 147.

Benedictus PP. XV, Epist. apost. *Inter sodalicia,* 22 martio 1918: « Quod autem Virgo Perdolens bonae mortis Patrona deligitur atque invocatur, id cum mirifice doctrinae catholicae pioque Ecclesiae sensui respondet, tum spe innititur recte feliciterque collocata. Enimvero tradunt communiter Ecclesiae Doctores, B. Mariam Virginem, quae a vita Iesu Christi publica veluti abesse visa est, si ipsi mortem oppetenti et Cruci suffixo adfuit, non sine divino consilio adfuisse. Scilicet ita cum Filio patiente et moriente passa est et paene commortua, sic materna in Filium iura pro hominum salute abdicavit placandaeque Dei iustitiae, quantum ad se pertinebat, Filium immolavit, ut dici merito queat, Ipsam cum Christo humanum genus redemisse ». In *A.A.S.,* 10 (1918), pp. 181-182.

Pius PP. XI, Enc. *Miserentissimus Redemptor,* 8 martio 1928: « (Christus), qui unus cum sit " Mediator Dei et hominum ", suam sibi Matrem adsciscere voluit peccatorum advocatam gratiaeque ministram ac mediatricem ». In *A.A.S.,* 20 (1928), p. 178.

Pius PP. XII, Radiom. *Bendito seja o Senhor,* 13 maggio 1946: « ... o Filho Deus reflecte sobre a celeste Mâe a glória, a majestade, o império da sua realeza; — porque associada, come Mâe e Ministra, ao Rei dos mártires na obra inefável da humana Redençao, lhe é para sempre associada, com um poder quasi imenso, na distribuiçâo das graças que da Redençâo derivam » (Leo XIII, Enc. *Adiutricem populi,* 5 sept. 1895: *Acta,* XV, 303). In *A.A.S.,* 38 (1946), p. 226.

Pius PP. XII, Const. apost. *Munificentissimus Deus,* 1 nov. 1950: « ... divina collustrati (christifideles) gratia pietateque erga eam permoti, quae Dei Parens est suavissimaque Mater nostra, clariore cotidie luce mirabilem illam privilegiorum concordiam ac cohaerentiam contemplati sunt, quae Providentissimus Deus almae huic Redemptoris nostri sociae impertiit, et quae talem attigere celsissimum verticem, qualem praeter ipsam nemo a Deo creatus, excepta humana Iesu Christi natura, assecutus est umquam ». In *A.A.S.,* 42 (1950) p. 758.

S. Ephraem Syrus: « Tibi... Mediatrix mundi... supplico: tuum promptum in necessitatibus praesidium... invoco » (Assem., *Op. Graec.* Lat. 3, 525).

« Domina mea... post Paraclitum alius consolator, et post Mediatorem Mediatrix totius mundi... universalis protectio mundi » (*ibid.,* 3, 528).

« Spes mea... defensio... Patrona, Mediatrix » (*ibid.,* 3, 530).

S. Epiphanius: « Ipsa enim est caeli et terrae Mediatrix, quae unionem naturaliter peregit » (*PG.* 43, 491).

S. Germanus Constantinopolitanus: « Ave, gratia plena... fonsque perennis universis aquas effluens... omnium peccatorum Mediatrix vere bona » (*PG.* 98, 322).

« Nos in te abunde vitae aeternae altum pignus accepimus, atque ad Deum Mediatricem, humanis emigrantem (in Assumptione) nanciscimus » (*PG.* 98, 362).

S. Bernardus: « Opus est... mediatore ad Mediatorem istum (Iesum): nec alter nobis utilior quam Maria... Crudelis nimirum mediatrix Eva... sed fidelis

Maria... Age gratias ei, qui talem tibi Mediatricem benignissima miseratione providit » (*PL.* 183, 429-430).

« Magnifica gratiae Inventricem, Mediatricem salutis, Restauratricem saeculorum... Haec mihi de illa cantat Ecclesia, et me eadem docuit decantare » (*PL.* 182, 333).

PSEUDO-ALBERTUS M.: « Nomen Maria... Beatissimae Virgini congruentissime adaptatur... ad statum designandum mediationis beatissimae Virginis, qua mediante genus humanum per mare huius saeculi ad portum caeli exemplo, suffragio et merito revocatur » (*Mariale,* q. 29).

« B. Virgo fuit medium universale et causa pacis: « universalis enim fuit Mediatrix et Reconciliatrix; omnes enim per ipsam fuerunt reconciliandi » (*ibid.,* q. 77).

[9] LEO PP. XIII, Enc. *Magnae Dei Matris,* 8 sept. 1892: « Sic eam superi et mundani regni manet corona, quod invicta futura sit regina martyrum; sic in caelesti Dei civitate per aeternitatem omnem coronata assidebit ad Filium; quod constanter per omnem vitam, constantissime in Calvaria, redundantem tristitia calicem sit cum illo exhaustura ». In *Acta Leonis Pp. XIII,* vol. 12, pp. 231-232.

LEO PP. XIII, Enc. *Iucunda semper,* 8 sept. 1894: « Stellanti diademate a Filio Deo aucta, apud ipsum sedet regina et domina universorum ». In *Acta Leonis Pp. XIII,* vol. 14, pp. 308-309.

PIUS PP. X, Enc. *Ad diem illum,* 2 febr. 1904: « Sedet Ille (Christus) ad dexteram Maiestatis in excelsis (*Hebr.* 1, 3): Maria vero adstat regina a dextris eius, tutissimum omnium periclitantium perfugium et fidissima auxiliatrix, ut nihil sit timendum nihilque desperandum ipsa duce, ipsa auspice, ipsa propitia, ipsa protegente ». In *Acta Pii Pp. X,* vol. 1, p. 147.

PIUS PP. XII, Enc. *Ad Caeli Reginam,* 11 oct. 1954: « Ad caeli Reginam, inde a primis Catholicae Ecclesiae saeculis, supplices preces ac laudis pietatisque cantus christianus populus adhibuit, sive cum laetitiae suavitatibus afficeretur, sive praesertim cum in gravibus periclitaretur rerum angustiis; ac numquam spes decidit, in Divini Regis Iesu Christi Matre reposita, numquam fides illa elanguit, qua docemur Deiparam Virginem Mariam in universo terrarum orbe materno animo regnare, quaemadmodum regalis gloriae corona in caelesti beatitate ». In *A.A.S.,* 46 (1954), p. 625.

Conc. Nicaenum II, 787, Oecum. II [*contra Icon.*] *actio VII,* DENZ. 302: « Definimus in omni certitudine ac diligentia, sicut figuram pretiosae ac vivificae crucis, ita venerabiles ac sanctas imagines proponendas... tam videlicet imaginem Domini Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi, quam intemeratae dominae (despòines) nostrae sanctae Dei genitricis... ».

PIUS PP. XII, Enc. *Ad Coeli Reginam,* 11 oct. 1954: « Christianorum populus, cum elapsis etiam temporibus, non sine ratione crederet illam, de qua Filius Altissimi natus est, qui " regnabit in domo Iacob in aeternum " (*Lc.* 1, 32), " Princeps pacis " (*Is.* 9, 6), " Rex regum et Dominus dominantium " (*Apoc.* 19, 16), prae aliis omnibus a Deo creatis, singularia accepisse gratiae privilegia, cumque consideraret arctam necessitudinem interesse inter matrem et prolem, regiam excellentiam Dei Genetrici super omnia facile agnovit.

Quamobrem mirum non est iam antiquos Ecclesiae scriptores, verbis innixos S. Gabrielis Archangeli, qui Mariae Filium praedixit regnaturum esse in aeternum (cf. *Lc.* 1, 32, 33), verbisque Elisabeth, quae eam reverenter salutando celebravit

" Matrem Domini mei " (*Lc.* 1, 43), Mariam appellasse " Matrem Regis ", " Matrem Domini ", haud obscure significantes eam ex regia Filii sui dignitate praecipuam quandam habuisse celsitudinem atque praestantiam ». In *A.A.S.,* 46 (1954), pp. 627-628.

S. EPHRAEM: « Caelum sustineat me suis amplexibus, quia prae illo honorata sum. Etenim caelum non fuit tibi mater, sed illud effecisti thronum tuum: Quam honorabilior et venerabilior Mater Regis throno eius » (*Hymni de B. Maria,* ed. Th. J. Lamy, t. 2, Mechliniae, 1886, hymn. IX, p. 624).

S. GREGORIUS NAZ.: « Mater Regis totius universi, Mater Virgo (quae) totius mundi peperit Regem » (*PG.* 37, 485).

S. CRYSOLOGUS: « Maria hebraeo sermone, latine Domina nuncupatur: vocat ergo Angelus Dominam, ut Dominatoris Genetricem trepidatio deserat servitutis, quam nasci et vocari Dominam ipsa sui germinis fecit et impetravit auctoritas » (*PL.* 52, 579 C).

S. ANDREAS CRETENSIS: « Matrem suam semper Virginem, e cuius utero, ipse Deus exsistens, humanam induit formam, hodierna die ceu Reginam humani generis, a terrenis sedibus transfert » (*PG.* 97, 1079 B).

« Regina totius humani generis, nuncupationem cum usu sinceram retinens, quae, uno excepto Deo, rebus omnibus excelsior » (*PG.* 97, 1099 A).

S. GERMANUS: « Sede, Domina; decet enim, Regina cum sis et prae omnibus regibus gloriosa, sublimi loco sedere » (*PG.* 98, 303 A).

PIUS PP. XII, Enc. *Ad Coeli Reginam,* 11 oct. 1954: « Praecipuum, quo regalis Mariae dignitas innititur, principium procul dubio est divina eius maternitas. Quando quidem enim in Sacris Litteris de Filio, quem Virgo concipiet, haec sententia legitur: *Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius et regnabit in domo Iacob in aeternum et regni eius non erit finis* (*Lc.* 1, 32-33), ac praeterea Maria *Mater Domini* (*ibid.,* 1, 43) nuncupatur, inde facile eruitur ipsam quoque esse Reginam, quippe quae Filium genuerit, qui eodem momento quo conceptus est, propter hypostaticam humanae naturae cum Verbo unionem, Rex etiam ut homo, erat rerum omnium Dominus. Itaque iure meritoque S. Ioannes Damascenus haec scribere potuit: *Vere omnis creatura Domina facta est cum Creatoris Mater exstitit* (S. IOANNES DAMASCENUS, *De fide ortodoxa,* l. 4, c. 14, *PG.* 94, 1158 s. B.); parique modo affirmari potest primum, qui regium Mariae munus caelesti ore nuntiavit, ipsum fuisse Gabrielem Archangelum.

Attamen Beatissima Virgo Maria non tantum ob divinam suam maternitatem Regina est dicenda, sed etiam quia ex Dei voluntate in aeternae salutis nostrae opere eximias habuit partes. *Quid possit iucundius nobis suaviusque ad cogitandum accidere* — ut Decessor Noster fel. rec. Pius XI scribebat — *quam Christum nobis iure non tantum nativo, sed etiam acquisito, scilicet Redemptionis imperare?* Servatori enim nostro quanti steterimus obliviosi utinam homines recolant omnes: *non corruptibilibus auro vel argento redempti estis... sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi et incontaminati* (*1 Pet.* 1, 18-19). Iam nostri non sumus, cum Christus *pretio magno* (*1 Cor.* 6, 20) *nos emerit* (PIUS XI, litt. enc. *Quas primas*: *A.A.S.* XVII [1925] p. 599).

Iamvero in hoc perficiendo redemptionis opere Beatissima Virgo Maria profecto fuit cum Christo intime consociata; merito igitur in Sacra Liturgia canitur: *Stabat Sancta Maria, Caeli Regina et mundi Domina, iuxta crucem Domini Nostri Iesu Christi dolorosa* (Festum septem dolorum B. Mariae Virg., Tractus). Quapropter, ut iam media aetate piissimus S. Anselmi discipulus scribebat, *sicut... Deus sua*

potentia parando cuncta, pater est et Dominus omnium, ita Beata Maria suis meritis cuncta reparando, Mater est et Domina rerum, singula congenitae dignitati per illam, quam meruit gratiam, restituendo (EADMERUS, *De excellentia Virginis Mariae,* c. 11: *PL.* 159, 508 AB). Etenim, *sicut Christus, eo quod nos redemit, speciali titulo Dominus est ac Rex noster, ita et Beata Virgo, propter singularem modum, quo ad nostram redemptionem concurrit, et substantiam suam ministrando, et illum pro nobis voluntarie offerendo, nostramque salutem singulariter desiderando, petendo, procurando* (F. SUAREZ, *De mysteriis vitae Christi,* disp. 22 sect. 2 [ed. Vivès, XIX, 327]).

Quibus ex rationibus huiusmodi argumentum eruitur: si Maria, in spirituali procuranda salute, cum Iesu Christo, ipsius salutis principio, ex Dei placito sociata fuit, et quidem simili quodam modo, quo Heva fuit cum Adam mortis principio consociata, ita ut asseverari possit nostrae salutis opus, secundum quandam *recapitulationem* (S. IRENAEUS, *Adv. haer.* V, 19, 1: *PG.* 7, 1175 B) peractum fuisse, in qua genus humanum, sicut per virginem morti adstrictum fuit, ita per virginem salvatur; si praeterea asseverari itidem potest hanc gloriosissimam Dominam ideo fuisse Christi matrem delectam *ut redimendi generis humani consors efficeretur* (PIUS XI, Epist. *Auspicatus profecto*: *A.A.S.* 25 [1933] p. 80), et si reapse *ipsa fuit quae vel propriae vel hereditariae labis expers, arctissime semper cum Filio suo coniuncta, eumdem in Golgotha, una cum maternorum iurium maternique amoris sui holocausto, nova veluti Heva, pro omnibus Adae filiis, miserando eius lapsu foedatis, aeterno Patri obtulit* (PIUS XII, litt. enc. *Mystici Corporis*: *A.A.S.* 35 [1943] p. 247); inde procul dubio concludere licet, quaemadmodum Christus, novus Adam, non tantum quia Dei Filius est, Rex dici debet, sed etiam quia Redemptor est noster, ita quodam analogiae modo, Beatissimam Virginem esse Reginam non tantummodo quia Mater Dei est, verum etiam quod nova veluti Heva cum novo Adam consociata fuit ». In *A.A.S.,* 46 (1954) pp. 633-635.

[10] S. THOMAS, *Summa Th.,* III, q. 27, a. 4 c: « Illos quos Deus ad aliquid elegit, ita praeparat et disponit, ut ad id, ad quod eliguntur, inveniantur idonei, secundum illud II, *Cor.* III, 6: *Idoneos nos fecit ministros novi Testamenti.* Beata autem Virgo fuit electa divinitus ut esset mater Dei. Et ideo non est dubitandum quin Deus per suam gratiam eam ad hoc idoneam reddidit, secundum quod angelus ad eam dicit: *Invenisti gratiam apud Deum: ecce concipies, etc.* ».

[11] PIUS IX, Enc. *Ineffabilis Deus,* 8 dec. 1854: « Ineffabilis Deus... ab initio et ante saecula Unigenito Filio suo Matrem... ita elegit atque ordinavit, ut in illa una sibi propensissima voluntate complacuerit. Quapropter illam longe ante omnes angelicos Spiritus, cunctosque Sanctos caelestium omnium charismatum copia de thesauro divinitatis deprompta, ita mirifice cumulavit, ut ipsa ab omni prorsus peccati labe semper libera, ac tota pulchra et perfecta eam innocentiae et sanctitatis plenitudinem prae se ferret, qua maior sub Deo nullatenus intelligitur, et quam praeter Deum nemo assequi cogitando potest. Et quidem decebat omnino ut perfectissime sanctitatis splendoribus semper ornata fulgeret... tam venerabilis Mater ». In *Acta Pii Pp. IX,* vol. 1 (1854) p. 597.

S. ANSELMUS: « Decens erat ut ea puritate qua maior sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret cui Deus Pater unicum suum Filium, quem de corde suo aequalem sibi genitum, tamquam seipsum diligebat, ita disponebat, ut naturaliter esset unus idemque communis Dei Patris et Virginis Filius; et quam ipse Filius substantialiter facere sibi matrem, eligebat; et de qua Spiritus Sanctus volebat et operaturus

erat, ut conciperetur et nasceretur ille de quo ipse procedebat » (*De conc. Virg.*, c. 18, *PL.* 158, 451).

[12] PIUS PP. IX, Enc. *Ineffabilis Deus,* 8 dec. 1854: « Patres Ecclesiaeque Scriptores affirmarunt eandem beatissimam Virginem fuisse per gratiam ab omni peccati labe integram, ac liberam ab omni contagione et corporis et animae, et intellectus, ac semper cum Deo conversatam, et sempiterno foedere cum Illo coniunctam, numquam fuisse in tenebris, sed semper in luce; et idcirco idoneum plane extitisse Christo habitaculum, non pro habitu corporis, sed pro gratia originali ». In *Acta Pii Pp. IX,* vol. 1, p. 597.

PIUS PP. IX. Enc. *Ineffabilis Deus,* 8 dec. 1854: « Ab initio et ante saecula Unigenito Filio suo Matrem... elegit atque ordinavit, tantoque prae creaturis universis est prosecutus amore, ut in illa una sibi propensissima voluntate complacuerit. Quapropter illam longe ante omnes angelicos spiritus cunctosque Sanctos caelestium omnium charismatum copia de thesauro divinitatis deprompta ita mirifice cumulavit, ut Ipsa... eam sanctitatis plenitudinem prae se ferret, qua maior sub Deo nullatenus intelligitur, et quam praeter Deum nemo assequi cogitando potest... Et quidem decebat omnino ut perfectissimae sanctitatis splendoribus semper ornata fulgeret... tam venerabilis Mater ». In *Acta Pii Pp. IX,* vol. 1, p. 597.

[13] « Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit, et incarnatus est, hoc est, ex Maria semper Virgine per Spiritum Sanctum perfecte genitus, homo factus est » (*Symbolum Epiphanii,* DENZ. 13).

« Sane non possumus negare de Mariae filiis iure reprehensum, meritoque vestram sanctitatem abhorruisse, quod ex eodem utero virginali, ex quo secundum carnem Christus natus est, alius partus effusus sit. Neque enim elegisset Dominus Iesus nasci per virginem, si eam iudicasset tam incontinentem fore, ut illud genitale Dominici corporis, illam aulam regis aeterni concubitus humani semine coinquinaret. Qui enim hoc adstruit, nihil aliud nisi perfidiam Iudaicam adstruit, qui dicunt eum non potuisse nasci ex virgine. Nam si hanc accipiant a sacerdotibus auctoritatem, ut videatur Maria partus fudisse plurimos, maiore studio veritatem fidei expugnare contendunt » (*De virginitate B. M. V.,* DENZ. 91).

« Si quis non confitetur, Deum esse veraciter Emmanuel, et propterea Dei genitricem sanctam virginem (peperit enim secundum carnem carnem factum Dei Verbum), A. S. » (*Anathematismi seu Capitula Cyrilli,* DENZ. 113).

« Nova autem nativitate generatus: quia inviolata virginitas concupiscentiam nescivit, carnis materiam ministravit. Assumpta est de matre Domini natura, non culpa; nec in Domino Iesu Christo, ex utero virginis genito, quia nativitas est mirabilis, ideo nostri est natura dissimilis » (S. LEO I. M., *De Incarnatione,* DENZ. 144).

« Gloriosam vero Sanctam semper virginem Mariam et proprie et veraciter Dei genitricem matremque Dei Verbi ex ea incarnati ab hominibus catholicis confiteri recte docemus. Proprie namque et veraciter idem ipse ultimis temporibus incarnatus, ex sancta et gloriosa Virgine matre dignatus est » (IOANNES II, *Circa « Unus de Trinitate passus est » et de B. V. M. matre Dei,* DENZ. 202).

« Si quis non confitetur Dei Verbi duas esse nativitates, unam quidem ante saecula ex patre sine tempore incorporaliter, alteram vero in ultimis diebus eiusdem ipsius, qui de coelis descendit, et incarnatus de sancta gloriosa Dei Genitrice et semper Virgine Maria, natus est ex ipsa, talis A. S. » (*Anathematismi de tribus Capitulis,* DENZ. 214).

« Si quis secundum sanctos Patres non confitetur proprie et secundum veri-

tatem ipsum unum sanctae et consubstantialis et venerandae Trinitatis Deum Verbum e coelo descendisse, et incarnatum ex Spiritu Sancto et Maria semper Virgine... » (S. MARTINUS PP. I, *Conc. Lateranense 649, De Trinitate, Incarnatione, etc.,* DENZ. 255).

« Si quis secundum sanctos Patres non confitetur proprie et secundum veritatem Dei genitricem sanctam semperque Virginem et immaculatam Mariam, utpote ipsum Deum Verbum specialiter et veraciter, qui a Deo Patre ante omnia saecula natus est, in ultimis saeculorum absque semine concepisse ex Spiritu Sancto, et incorruptibiliter eam (eum?) genuisse, indissolubili permanente et post partum eiusdem virginitate, condemnatus sit (MARTINUS PP. I, *Conc. Lateranense 649, De Trinitate, Incarnatione etc.,* DENZ. 256).

« Si quis secundum sanctos Patres non confitetur proprie et secundum veritatem ipsius et unius Domini nostri et Dei Iesu Christi duas nativitates, tam ante saecula ex Deo et Patre incorporaliter et sempiternaliter, quamque de sancta Virgine semper Dei genitrice Maria... » (S. MARTINUS PP. I, *Conc. Lateranense 649, De Trinitate, Incarnatione etc.,* DENZ. 257).

« De his tribus personis solam Filii personam pro liberatione humani generis hominem verum sine peccato de sancta et immaculata Maria Virgine credimus assumpsisse, de qua novo ordine novaque nativitate est genitus; novo ordine, quia invisibilis divinitate, visibilis monstratur in carne; nova autem nativitate est genitus, quia intacta virginitas et virilem coitum nescivit et foecundatam per Spiritum Sanctum carnis materiam ministravit... » (*Conc. Toletanum XI, 675, Symbolum fidei,* DENZ. 282).

« Definientes Dominum nostrum Iesum Christum verum Deum Nostrum... Deum vere et hominem vere... ante saecula quidem ex Patre genitum secundum deitatem, in ultimis diebus autem eundem propter nos et propter nostram salutem de Spiritu Sancto et Maria Virgine proprie et veraciter Dei genitrice secundum humanitatem... » (*Conc. Constant.* III, Oecum. VI, Definitio de duabus voluntatibus Christi, DENZ. 290).

« Credo quoque ipsum Dei Patris Filium, Verbum Dei aeternaliter natum ante omnia tempora de Patre, consubstantialem, coomnipotentem et coaequalem Patri per omnia in divinitate, temporaliter natum de Spiritu Sancto ex Maria semper Virgine, cum anima rationali... » (S. LEO IX, *Symbolum fidei,* DENZ. 344).

« Credimus ipsum Filium Dei, Verbum Dei aeternaliter natum de Patre, consubstantialem, coomnipotentem et aequalem per omnia Patri in divinitate, temporaliter natum de Spiritu Sancto et Maria semper Virgine, cum anima rationali... » (*Conc. Lugdunense II,* Constitutio de processione Spiritus Sancti, DENZ. 462).

« Firmiter credit, profitetur et praedicat, unam ex Trinitate personam verum Deum, Dei Filium ex Patre genitum, Patri consubstantialem et coaeternum, in plenitudine temporis, quam divini consilii inscrutabilis altitudo disposuit, propter salutem humani generis veram hominis integramque naturam ex immaculato utero Mariae Virginis assumpsisse... » (*Decretum pro Iacobitis,* DENZ. 708).

« Nos cupientes... paterna severitate admonere, omnes et singulos, qui hactenus asseruerunt, dogmatizarunt vel crediderunt... eandem beatissimam Virginem Mariam non esse veram Dei matrem, nec perstitisse semper in virginitatis integritate, ante partum scilicet, in partu et perpetuo post partum, ex parte omnipotentis Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti apostolica auctoritate requirimus et monemus etc. » (Ex Constit. PAULI IV *Cum quorumdam,* 7 aug. 1555, DENZ. 993).

PIUS PP. XII, Enc. *Sacra Virginitas,* 25 marzo 1954. In *A.A.S.* 46 (1954), pp. 187-189.

S. IUSTINUS: « Iamvero quemadmodum ex virgine oriturum conceptis verbis Isaias praedixerit, audite. Sic autem locutus est: Ecce Virgo in utero habebit et pariet filium, et dicent super nomine eius: Nobiscum Deus. Quae enim incredibilia erant et fieri non posse hominibus videbantur, ea Deus per Spiritum propheticum futura praenuntiavit, ut cum evenissent, fides eis non derogaretur, sed ex eo quod essent praedicta, crederetur. Ne qui autem prolatam prophetiam minus intelligentes, eadem nobis obiiciant, quae poëtis, Iovem dicentibus ad mulieres rei venereae causa ventitasse, obiecimus, verba explanare tentemus. Illud igitur: Ecce Virgo in utero habebit significat absque concubito concepturam. Nam si cum aliquo consuevisset, non iam esset virgo. Sed virtus Dei superveniens Virgini obumbravit eam, fecitque ut tum, cum esset Virgo, praegnaret. Et qui tunc ad ipsam Virginem missus est Angelus Dei, sic laetum ei nuntium attulit: Ecce concipies in utero ex Spiritu Sancto etc. » (*Apologia,* I, 33: *PG.* 6, 380 ss.).

S. IRENAEUS: « Quid enim magnum aut quod signum fieret in eo quod adulescentula concipiens ex viro peperisset, quod evenit omnibus, quae pariunt, mulieribus? Sed quoniam inopinata salus hominibus inciperet fieri Deo adiuvante inopinatus et partus virginis fiebat. Deo dante signum hoc, sed non homine operante illud » (*Adv. haer.,* l. 3, c. 21, n. 6: *PG.* 7, 953).

S. IRENAEUS: « Et qui eum ex virgine Emmanuel praedicabant, adunctionem Verbi Dei ad plasma eius manifestabant; quoniam Verbum caro erit, et Filius Dei filius hominis, purus pure puram aperiens vulvam, eam quae regenerat homines in Deum, quam ipse puram fecit, et hoc factus, quod et nos, Deus fortis est, et inenarrabile habet genus » (*Adv. haer.,* I, 4, c. 33, n. 11: *PG.* 7, 1080).

S. AMBROSIUS: *PL.* 16, 1125 ss. – S. AUGUSTINUS: *PL.* 33, 519; 35, 1410; 39, 999. – S. CHRYSOLOGUS: *PL.* 52, 520. – S. LEO MAGNUS: *PL.* 54, 195.

[14] « Leo III acceptavit professionem fidei a Nicephoro, Patr. Constantinopolit., a. 811 oblatam, iuxta quam Deus " Virginem quoque, qua supernaturaliter et ineffabiliter pepererat, post partum virginem conservavit, virginitate illius secundum naturam nulla ex parte demutata aut labefactata " [*MG.* 100, 186 B] » (DENZ. 314 a, n. 3).

S. AMBROSIUS: *Comm. in Luc.,* 1. 2, c. 57: *PL.* 15, 1573 A; *De institutione virginis,* l. 8, c. 52: *PL.* 16, 320 A. – Cf. S. THOM., *Summa Theol.,* III, q. 28, a. 3, ad 1. – S. HIERONYMUS: *Ep. 84,* 21, 21: *PL.* 22, 510. – S. FULGENTIUS: *De Veritate praed. et gratiae Dei,* l. I, c. 2, n. 5: *PL.* 65, 605.

[15] PIUS PP. IX, Enc. *Ineffabilis Deus,* 8 dec. 1854: « Et quibus decebat omnino, ut perfectissimae sanctitatis splendoribus semper ornata fulgeret ».

« Quapropter illam longe ante omnes angelicos spiritus cunctosque Sanctos caelestium omnium charismatum copia de thesauro divinitatis deprompta ita mirifice cumulavit, ut ipsa ab omni prorsus peccati labe semper libera, ac tota pulchra et perfecta eam innocentiae et sanctitatis plenitudinem prae se ferret, qua maior sub Deo nullatenus intelligitur, et quam praeter Deum nemo assequi cogitando potest ». In *Acta Pii Pp. IX,* vol. 1 (1854), p. 597.

LEO PP. XIII, Enc. *Magnae Dei Matris,* 8 sept. 1892: « Magnum enim est in quolibet sancto, quando habet tantum de gratia quod sufficit ad salutem multorum: sed quando haberet tantum, quod sufficeret ad salutem omnium de mundo,

hoc esset maximus; et hoc est in Christo et in beata Virgine » (S. TH., op. 8, *Super salut. angel.*). In *Acta Leonis Pp. XIII,* vol. 12, pp. 224-225.

LEO PP. XIII, Enc. *Iucunda semper,* 8 sept. 1894: « Eam salutamus, quae *gratiam apud Deum invenit,* singulariter ab illo *plenam gratia,* cuius copia ad universos proflueret ». In *Acta Leonis Pp XIII,* vol. 14, p. 310.

PIUS PP. XII, Enc. *Mystici Corporis,* 28 iun. 1943: « Efficiat... haec Nostra paterna vota, quae vestra etiam profecto sunt, ac veracem erga Ecclesiam amorem omnibus impetret Deipara Virgo, cuius sanctissima anima fuit, magis quam ceterae simul omnes a Deo creatae, divino Iesu Christi Spiritu repleta ». In *A.A.S.,* 35 (1943), p. 247.

PIUS PP. XII, Radiom. *Bendito seja o Senhor,* 13 maggio 1946: Maria « é mais cheia de graça, mais santa, mais formosa, mais endeusada, incomparavelmente mais, que os maiores Santos e os Anjos mais sublimes, ou separados ou juntos ». In *A.A.S.,* 38 (1946), p. 266.

PIUS PP. XII, Epist. *Ab Octaviensi Archidioecesi,* 25 mart. 1947: « Qua ratione et vera libertas a Maria proficiscitur, quae fuit omnium liberrima, quia omnium sanctissima, eademque, cunctarum magistra virtutum... ». In *A.A.S.,* 39 (1947), p. 255.

PIUS XII, Radiomess. all'A.C.I. nell'apertura dell'Anno Mariano, 8 dicembre 1953: « Nell'anima di Lei Iddio ha riversato la pienezza delle sue ricchezze con un miracolo della sua onnipotenza ». In *A.A.S.,* 45 (1953), p. 850.

PIUS XII, Radiomess. *Le Seigneur* (al Congresso Mariano del Canada), 15 agosto 1954: « Has never wavered in its burning love of God, has never weakened its complete union with Christ Jesus. The holiness of her Son was unthinkably beyond and abore the holiness of His mother; but the growth of her holiness so far surpasses all other created holiness, as to recede into unapproaclied heights of splendour before the dazzled gaze of saints and angels: " Oh, sinless, pure, grace-filled soul! " ». In *A.A.S.,* 46 (1954), p. 500.

PIUS XII, Enc. *Ad caeli Reginam,* 11 oct. 1954: « ... iam in primo temporis momento, quo concepta fuit, tali gratiarum abundantia repletam fuisse, ut Sanctorum omnium gratiam superaret ». In *A.A.S.,* 46 (1954), p. 636.

S. HIPPOLYTUS: « Porro autem arca ex lignis quae putrescere non poterant, erat ipse Salvator. Per hanc enim, putredinis et corruptionis expers eius tabernaculum significatur, quod nullam peccati putredinem genuit... Dominus autem peccati expers erat et ex lignis putrefactioni non obnoxiis secundum hominem, hoc est, ex Virgine et ex Spiritu Sancto, intus et foris tamquam purissimo Verbi Dei auro, circumtectus » (Apud Theodoretum, in dial. *Eranistes, PG.* 10, 620).

S. GREGORIUS THAUMATURGUS: « Inveniensque (Verbum) virginem spiritu corporeque sanctam, ex ea animatum corpus suis congruum consiliis assumpsit » (*Serm. in nativ. Christi,* ap. PITRAM, *Analecta sacra,* t. 4, p. 136).

S. EPHREM: « Tu revera et mater tua soli estis, qui omni ex parte pulchri estis; in te enim, Domine, nulla est labes, nec ulla in Matre tua macula » (*Carmina Nisibena,* ed. Leipzig, 1866 a Bickell, p. 40).

[16] PIUS PP. XII, Ep. *Philippinas insulas,* 31 iul. 1946: in *A.A.S.* 38 (1946) pp. 417-418; Radiom. *Era el dia,* 12 oct. 1947: in *A.A.S.* 39 (1947) p. 629; Enc. *Fulgens corona,* 8 sept. 1953: in *A.A.S.* 45 (1953) p. 584; Radiom. *Entre los primeros,* 19 iul. 1946: in *A.A.S.* 38 (1946) pp. 325-326; Ep. *Ab Octaviensi Archidioecesi,* 25 mart. 1947: in *A.A.S.* 39 (1947) pp. 255-256; Radiom. *Hardly a year,* 4 mai. 1952: in *A.A.S.* 44 (1952) pp. 430-431; Radiom. *Quando lasciate,* 8 dec.

1953: in *A.A.S.* 45 (1953) pp. 852-853; Radiom. *It would indeed,* 13 dec. 1954: in *A.A.S.* 46 (1954) pp. 727-728; Disc. *Dans l'Encyclique,* 17 iul. 1954: in *A.A.S.* 46 (1954) p. 494; Radiom. *Au moment,* 26 iul. 1954: in *A.A.S.* 46 (1954) pp. 495-496; Radiom. *Le Seigneur a rendu,* 15 aug. 1954: in *A.A.S.* 46 (1954) pp. 499-500.

S. AMBROSIUS: « Sit igitur in vobis tamquam in imagine descripta, virginitas, vita Mariae; de qua velut speculo refulgeat species castitatis et forma virtutis. Hinc sumatis licet exempla vivendi, ubi tamquam in exemplari magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid effingere, quid tenere debeatis ostendunt... Talis fuit Maria, ut eius unius vita omnium sit disciplina » (l. 2 *De virg.*, c. 2, n. 6, *PL.* 15, 212-214).

S. BONAVENTURA: « Verum est, quod Virgo gloriosa perfectissime habuit omnes virtutes » (Serm. I, *De Purif.*, Op. 9, 638 a).

« Talis fuit Virgo Maria, quae illustrat totam Ecclesiam et machinam mundanam... Illustrat enim suis exemplis omnia tamquam lucerna super candelabrum mundi posita » (Serm. 2, *De Nativ. B. M. V.*, Op. 9, 710).

S. THOMAS AQUINAS: « Ipsa (Maria) omnium virtutum opera exercuit, alii autem sancti specialia quaedam: quia alius fuit humilis, alius castus alius misericors: et ideo dantur in exemplum specialium virtutum... sed Beata Virgo in exemplum (datur) omnium virtutum » (Opusc. 6, in *Salut. Angelic.*, t. 16, p. 133).

[17] S. EPHRAEM: « Immaculata et intemerata, incorrupta et prorsus pudica atque ab omni sorde et labe peccati alienissima » (ed. Venet. 1754, p. 571).

S. AUGUSTINUS: « Excepta itaque sancta Virgine Maria, de qua, propter honorem Domini, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, haberi volo quaestionem: unde enim scimus quod ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum ex omni parte peccatum, quae concipere ac parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum. Hac ergo Virgine excepta, si omnes illos sanctos et sanctas, cum hic viverent, congregare possemus, et interrogare utrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus? » (*Lib. de nat. et Grat.* c. 37, n. 42, *PL.* 44, 267).

S. BERNARDUS: « Ego puto quod et copiosior sanctificationis benedictio in eam descenderit, quae et ipsius non solum sanctificaret ortum, sed et vitam ab omni deinceps peccato custodiret immunem, quod nemini alteri in natis quidem mulierum creditur esse donatum » (Epist. 184, 5, *PL.* 183, 420).

PIUS PP. XII: Enc. *Mystici Corporis Christi,* 29 iun. 1943: in *A.A.S.,* 35 (1943) p. 248; Enc. *Fulgens corona,* 8 sept. 1953: in *A.A.S.,* 45 (1953) p. 577; Radiom. *Quando lasciate,* 8 dec. 1953: in *A.A.S.,* 45 (1953) p. 848.

[18] Cf. *Munificentissimus Deus,* in *A.A.S.,* 42 (1950) p. 753.

[19] LEO PP. XIII, Enc. *Adiutricem Populi,* in *Acta Leonis Pp. XIII,* vol. XV, p. 300.

[20] Or. III *De imaginibus,* n. 26 (*PG* 94, 1346).

[21] *PG* 42, 735.

[22] *De Spir. S.,* l. 3, c. 2, nn. 79-80 (*PL.* 16, 829).

[23] S. IOANNES DAMASCENUS: « Neminem oportet ut Deum adorare, nisi ipsum qui natura Deus est... Adoremus et sanctam Dei genitricem, non tamquam Deus, sed ut Dei matrem... Adoremus etiam sanctos ut electos amicos Dei » (Serm. III, « *De sacris imaginibus* », n. 41, *PG.* 94, 1358).

[24] PIUS PP. IX, Enc. *Ineffabilis Deus*: « Audiant haec nostra verba omnes nobis carissimi Ecclesiae catholicae filii, et ardentiori usque pietatis, religionis et amoris studio pergant colere, invocare, exorare beatissimam Dei Genitricem Vir-

ginem Mariam sine labe originali conceptam, atque ad hanc dulcissimam misericordiae et gratiae in omnibus periculis, angustiis, necessitatibus, rebusque dubiis ac trepidis cum omni fiducia confugiant ». In *Acta Pii Pp. IX,* I (1854) p. 577.

[25] Cf. G. ROSCHINI, O. S. M., *Mariologia,* vol. IV, p. 1-10.

[26] Cf. DENZ., nn. 1641, 2333.

[27] PAULUS PP. V, Bulla *Immensae Bonitatis:* « Sicuti Redemptor noster et Deus ipsam sacratissimam Virginem sublimavit in coelis, ita eam nos quantum possumus honoremus in terris » (in BOURASSÉ, *Summa Aurea,* X, p. 174). Cf. *S. Ioan.,* II, 1-12.

[28] LEO PP. XIII, Enc. *Augustissimae Virginis.* In *Acta Leonis XIII,* vol. XVII, p. 292.

[29] S. TH., in *IV Sent.,* d. 15, q. 4, a. 5; *Suppl.,* q. 72, a. 2.

[30] DENZ., n. 1256.

[31] LEO PP. XIII, Enc. *Augustissimae Virginis:* « Nec dubiis honoris significationibus Unigenitus Dei Filius sanctissimam matrem est prosequutus. Nam et dum privatam in terris vitam egit, ipsam adscivit utriusque prodigii administram, quae tunc primum patravit... Nos igitur qui, licet indigni, vices ac personam gerimus in terris Iesu Christi Filii Dei, tantae Matris persequi laudes numquam desistemus, dum hac lucis usura fruemur. Quam quia sentimus haud futuram Nobis, ingravescente aetate, diuturnam, facere non possumus quin omnibus et singulis in Christo filiis Nostris ipsius cruce pendentia extrema verba, quasi testamento relicto, iteremus: *Ecce Mater tua.* Ac praeclare quidem Nobiscum actum esse censebimus, si id Nostrae commendationes effecerint, ut unusquisque fidelis mariali cultu nihil habeat antiquius, nihil carius, liceatque de singulis usurpare verba Ioannis, quae de se scripsit: *Accepit eam discipulus in sua* ». In *Acta Leonis Pp. XIII.* vol. 17, p. 286.

S. MAXIMUS TAURINENSIS: *Oratio 52, PL.* 58, 959.

S. AMBROSIUS: « Talis enim fuit Maria ut eius unius vita omnium sit disciplina... Ergo Sancta Maria disciplinam vitae informet ». *De Virginibus,* lib. II, n. 9, *PL* 16, 221.

[32] PIUS PP. XI, Enc. *Lux veritatis.* In *A.A.S.,* 23 (1931) p. 513.

[33] In *Acta Pii Pp. X,* vol. I, p .147.

[34] In *A.A.S.,* 45 (1953) p. 584.

[35] In *Acta Pii Pp. X,* vol. I, p. 147.

[36] *Ibid.*

[37] *In III P.,* disp. 29, sect. III.

[38] LEO PP. XIII, Enc. *Magnae Dei Matris:* in *Acta Leonis Pp. XIII,* vol. XII (1892), p. 221.

[39] PIO XII, Radiom. *Era el dia,* 12 ott. 1947. In *A.A.S.,* 39 (1947) p. 628.

[40] PIUS PP. X, Enc. *Ad diem illum:* « Quamvis autem deceat filios Matris sanctissimae nullam praeterire laudem quin imitentur; illas tamen eiusdem virtutes ipsos fideles assequi prae ceteris desideramus, quae principes sunt ac veluti nervi atque artus christianae sapientiae: fidem inquimus, spem et caritatem in Deum atque homines. Quarum quidem virtutum fulgore, etsi nulla, in Virgine, vitae pars caruit, maxime tamen eo tempore enituit, cum nato emorienti adstitit ».

[41] Cf. *PG* 96, 699.

[42] *Comment. in Evang. Lucae,* c. I, n. 70 (op. 7, 27 a b).

[43] *Serm. de Nativ. B. M. V.* (op. 9, 713 b).

INDEX

PONTIFICIUM ATHENAEUM ANGELICUM

PONTIFICIUM ATHENAEUM S. ANSELMI

PAGG.

PONTIFICIUM ATHENAEUM ANTONIANUM

PONTIFICIUM ATHENAEUM SALESIANUM

PONTIFICIUM INSTITUTUM MUSICAE SACRAE

PONTIFICIUM INSTITUTUM ARCHAEOLOGIAE CHRISTIANAE

PONTIFICIA FACULTAS THEOLOGICA S. BONAVENTURAE

FACULTAS THEOLOGICA CARMELITARUM DISCALCEATORUM

PAGG.

FACULTAS THEOLOGICA « MARIANUM »